DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/aristotelisdemor00aris

ARISTOTELIS DE MORIBVS AD NICOMACHVM LIBRI DECEM.

NVNC PRIMVM E GRAECO ET LAtinè & fideliter, quod vtrunque querebantur omnes præſtitiſſe adhuc neminem, à DIONYSIO Lambino expreſſi.

Eiuſdem Dionyſ. Lambini in eoſdem libros annotationes, quibus cùm obſcuri loci multi illuſtrantur, deprauatiq; emendantur, tum, quid inter hanc & ceteras horum librorum conuerſiones interſit, aliqua ex parte oſtenditur.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Ex Officina Eraſmiana, apud Vincentium Valgriſium.

CIↃ IↃ LVIII.

Tr. R. A717 DN

Dionyſius Lambinus Clariſsimo, & Ampliſsimo viro FRANCISCO TVRNONIO S. R. E. Cardinali S. D.

DVAE res eſſe dicũtur clariſsime atque ornatiſsime Cardinalis, quæ ad laudem ac virtutem, vel ſingulæ magnopere valeant, multoq́; adeò magis, ſi ambæ in vno, eodemque homine concurrant, natura & doctrina. Sed cùm perrarò accidat, vt aut is, quem natura ad ſingularem quandam virtutis præſtantiam finxit, doctrinam cum ingenii, naturæq́ue bonitate coniungat: aut is qui acerrimo doctrinæ ſtudio incenſus totam ætatem in veterũ ſcriptis legendis ac peruolutandis conterit, ea, quã dixi, naturæ bonitate fretus diſcendi cupiditatem, longius prouehere, feliciusq́; promouere poſsit: tùm illud eſt hominum genus multo rariſsimum, qui primùm omnibus & naturæ & doctrinæ bonis cumulati, atq; inſtructi: deinde in reip. adminiſtratione, muneribusq́ue ciuilibus aſſidue verſati non ſolùm expreſſam ac ſolidam virtutis ſpeciem animo contemplari, & cogitatione comprehendere potuerunt, verùm etiam eius vſum, atq; vtilitatem tùm ſuis ciuibus, tùm exteris nationibus impertire ſtuduerunt. Quo quidem ex hominum genere niſi te in primis eſſe & ſentiret & prædicaret

non modò Gallia,cui te notiorẽ eſſe credibile eſt, ſed etiam Italia & Hiſpania,quę duæ orbis terrarũ partes & de virtutibus tuis ſæpe audierunt, et te præſentem vehementer admiratę ac veneratę ſunt: ego longiore oratione diligenter & accurratè collectis, ac ſub vno aſpectu poſitis legationũ abs te obitarum,peregrinationum,cõſiliorum, pacificationum, ceterarum deniq; rerum abs te geſtarum monumentis ac teſtimoniis id, quòd dico, docere atq; oſtendere conarer. Nunc autem cùm ſint hæc omnibus nationibus notiſſima, nihilq; ſit totius tuæ vitæ curriculo clarius atque illuſtrius,quippe quæ in oculis potentiſſimorum populorũ, atq; in media regnorũ ac rerũ publicarũ luce aſſiduè verſata eſt:non cõmittam, vt dum ea,quę omniũ mortalium voce ac prædicatione comprobata, omniũ populorũ vno ore teſtata, multorum Pontificum Romanorũ, Regum, Imperatorum ſenſibus intimis impreſſa ſunt, mea oratione amplificare & illuſtrare ſtudeo,rebus clariſſimis tenebras offundere videar:hoc tantum dicam,illud mihi in te videri ſumma laude,atq; admiratione digniſſimũ, te hominẽ maximis Reip.curis diſtrictum, plurimis ac grauiſſimis occupationibus diſtentum, ita nõ intermittere ſtudia doctrinæ, vt quotidie horas aliquot ad libros veterũ vel legendos, vel animo tuo rerum ciuiliũ cura ſuſpenſo ac defatigato, audiendos tibi ſeponas. Quod vt minore negotio,& maiore cũ animi oblectatione efficere queas, curaſti, vt domi tuæ viros haberes omniũ ingenuarũ artiũ

laude præſtãtes,quibuſcum de literis, de numerorũ ac magnitudinũ proportionibus ac mẽſuris, de ſonorum ac vocum diſtinctionibus, & interuallis, de rebus occultis,& ab ipſa natura inuolutis, de variis poetarum generibus, de optima dicendi figura,de Iure ciuili,de rebus diuinis communicare, & ſermones conferre poſſes. Neq; verò nunc primũ iſtud facere inſtituiſti,ſed quo tempore tibi per occupationes tuas ſtudio doctrinæ,& literarum dare operam non licebat, cum Hiſpanienſes, Italicas, Britanicas legationes obibas: cũ totius Regni Gallici clauum tenebas, gubernaculaq́; tractabas: cũ in mediis curarum ciuilium vndis, negotiorũque publicorum fluctibus verſabaris, eo tempore doctiſſimorum virorum comitatu ſtipatus iter faciebas, equitabas, nauigabas, diuerſabare. Cui enim ignoti, aut inauditi ſunt magnarum artiũ principes illi D. Coronæus, Hier. Fundulus, P. Daneſius nuper ob eximiam virtutem ac ſingularem doctrinam Vaurenſis Pontifex creatus, Ar. Ferrerius, N. Valla ambo Iuriſconſulti,& Centumuiralis conſilii Pariſienſis lectiſſimi Iudices, Regisq; conſiliarii,N. Binetus,& Mat. Oriſius Theologi, Fr. Rondeletus medicus in primis eruditus, aliiq; complures doctiſſimi & eloquentiſſimi viri? Tunc igitur te talium virorum circunſtabat comitatus,cũ tantum tibi temporis in ſtudiis doctrinę ponere licebat,quantum à grauiſſimis Reip. curis,occupationibusq́; ſuperabat. Nũc autem cùm tanquam fortis & inuictus miles, qui poſteaquàm luculẽta ſui

animi, ſuæq; virtutis ſigna dedit, multis præliorũ laboribus ac periculis perfunctus, multisq́; victoriis potitus eſt, ſi non vacationem militiæ, & excuſationem ætatis, at laborum remiſſionem ab Imperatore impetrat: Sic tu rebus præclariſſimis cõſilio & ratione geſtis in vrbe totius Italiæ pulcherrima, opulentiſſima, quietiſſima, pacatiſs. à priſtinis tuis curis ac laboribus non omnino quidem conquieſcis, & vacas, ſed aliquantulum laxamenti nactus reſpiras: tum tibi multo minus exiſtimas taliũ virorum cœtu, & pręſentia eſſe carendum, quibuſcũ ſtudia doctrinæ olim propter grauiſſimas illas occupationes tuas, abs te non ita accuratè, libereq; culta, paulo ſolutiore animo repetas, retractes ac recolas. Atque alii quidem pro ſuo quiſque gradu & munere præſto tibi ſunt, tibi operam dant, tibi inſeruiunt homines in ſua quiſque arte nobiles ac præſtãtes, P. Villarius iuriſconſultus doctiſſimus, idemq́ue Centumuiralis conſilii Pariſienſis iudex ſelectus, & Regis conſiliarius. B. Broæus item iuris peritiſſimus, Vincen. Laurus Philoſophus acutiſſimus, medicusq́; clariſs. Donat. Iannoctius cũ omnium rerum magnarum cognitione in primis inſtructus, tùm ſingulari probitate, atq; humanitate ornatus ac perpolitus, G. Torôdes Latinis & Græcis literis admodum eruditus, Io. Darcius: ego autem quicunq; ſum (neque enim de me dicere attinet,) ſed ego tamen, quando me quoq; in tuorum numerum aggregare voluſti, cum tu ſuperioribus annis (vt memoria tenes) Ariſtotelis libros de-

cem

cem de moribus ad Nicomachum Græcos partim legeres, partim me legente reguſtares ac recognoſceres, vnaq; adhiberes latinos quoſdam interpretes, ex quibus alii tibi inquinatè loqui, alii non ſatis fideliter Ariſtotelis ſententiam interpretari viderentur, atq; ob eam cauſam iuſsiſſes me operam dare, vt hos libros tibi in linguam latinam conuerterem, ita tamen, vt orationem meam nõ nimis dilatarem (quod quidam non ſatis conſideratè fecerant) ſed quoad eius facere poſſem, Ariſtotelis breuitatem & limatiſſimum diſſerendi genus imitarer, atque exprimerem: honeſtiſſimæ tuæ voluntati cum primùm potui, mihi obtemperandum eſſe exiſtimaui. Neq; verò eo conſilio id feci, vt in manus hominum aliquando peruenirent, ſed tantum, vt tuo ſtudio gratificarer, tibi officium meum præſtarem, me hoc ære alieno liberarem. Verùm cum hos libros Adriano Turnebo Galliæ noſtræ ornamento, M. Antonio Mureto, cuius eloquentiam ac doctrinam quadriennium iam admirantur Venetiæ, Lodoico Corrado Mantuano ſapiẽtiſſimi, maximi animi, munificentiſſimi, omnium deniq; virtutum laude præſtantiſſimi viri VIDI BALDI Vrbinatum reguli familiari ac domeſtico ea mente legendos dediſſem, vt iudicium interponerent ſuum: hortati ſunt me, vt quæ tibi vni elaborauerã, ea cum ceteris communicarem. Acceſſit ad Turnebi, Mureti, Corradi hortationẽ P. Manutii doctiſſimi & eloquentiſſimi viri cõſilium, atq; auctoritas. A quo tamẽ incœpto longè refugiſſem, valdeq;

abhorruiſſem , ſi te id moleſtè laturum ſuſpicatus eſſem: Sed cum intellexiſſem tibi quoq; horum diuulgandorum librorum conſilium probari: non putaui quenquam , quod talibus viris auctoribus, hortatoribus, approbatoribus ſuſcepiſſem, id à me minus conſideratè factum ac ſuſceptum eſſe dictu-rum. Iam verò cur eos in tuo nomine apparere voluerim, neminem arbitror quæſiturum, qui modò & audierit eoſdem te impulſore, atq; auctore à me latinitate eſſe donatos, & ſcierit me, quanuis longo poſt interuallo, in eorum eſſe numero tamen, quos tibi nomine literarum domum tuam accerſendos, atque in fidem tuam recipiendos, omni deniq; liberalitatis, & beneficentiæ genere afficiendos eſſe duxeris. Quando igitur hoc, qualecunque eſt, à me profectum, domi tuæ natum eſt, tibique tuo iure debetur, petam abs te ampliſſime Cardinalis, vt qua me ipſum beneuolentia complecti ſoles, eandem huic muneri, quod ad te defero, præſtes, exiſtimesq́ue tibi hos libros non eſſe tanquam hoſpites domum tuam recipiendos, ſed vt domeſticos fœtus recens editos tua præſtanti fide ab omni externa iniuria defendendos, tuoq́ue firmiſſimo præſidio muniendos. Vale. Venetijs. a. d. 17 cal. Maias, an. CIↃ IↃ LVIII.

DIONYSIVS LAMBINVS erudito, & bonis artibus expolito lectori. S. D.

MIRABERIS fortaßè humanißime lector, quibus ego cauſis impulſus is, cuius nulladum ſcripta in publicū prodierunt, quæ mihi forſitan apud homines nomen aliquod conciliare potuiſſent, decem libros Ariſtotelis de moribus ad Nic*omachum à tam multis, & tam claris uiris anteà in latinum ſermonem conuerſos, quaſi illis uel doctior, uel eloquentior de integro ſuſceperim interpretandos.* Atqui *ſi is es, quem te eſſe & ſpero & opto, lectis aliorum interpretationibus, & cum Ariſtotele ſua lingua loquente comparatis, quantum abſint illi partim à ſanitate atque integritate latini ſermonis, partim ab Ariſtotelis ſententia, dudum cognoſcere potuiſti: ſin autem cùm eas artes didiceris, quibus excultus de Ariſtotelis ſententia, & interpretum fide ac facultate iudicare poßis, Perionij interpretationē tamen ſuperiorum omnium luminibus obſtruxiſſe contendes, eiusq; eloquentiæ laude & gloria me ab hoc incœpto deterreri ac refugere debuiſſe cenſebis: petam abs te optime lector, ut, priuſquàm hunc meū laborem aſperneris atque improbes, quid alij doctißimi uiri de reliquis interpretibus ſentiant, diligenter exquiras atque explorēs, ac tum deniq; incipias de meo conſilio & conatu iudicare.* Nam *Perionium quidem cuius tu mihi nomen ſtatim opponis, magnam ex ſua interpretatione*

lau-

laudē eſſe conſecutū non nego:ſed eundem ſuperioribus omnibus ita præſtare, ut etiam ijs, qui ætate ſunt poſteriores, omnem ad alicuius laudis ſpem aditum intercluſerit, palmamq́; præripuerit, id profectò nego. Neque uerò uideo quamobrem,ſi Perionium à ſuo incœpto nomen Argyropyli non deterruit, me debuerint ab honeſtiſsimo de omnibus benè merendi ſtudio Perionij ſcripta reuocare. Quid enim Argyropylo præter orationis nitorem, atque elegantiam defuiſſe dicemus? quam culpam non hominis fuiſſe, ſed tēporis,quiuis æquus harum rerum exiſtimator facile iudicabit. Quanta autem ille reconditarum artium,& Græcarum literarum cognitione floruit? Quis erit Perionij fautor ita pertinax, ut eum audeat Argyropylo anteponere? & tamen auſus eſt Perionius cornicum (ut dicitur) oculos configere, nouamq́; nobis reiecto, ac penè dicā, extincto Argyropylo interpretationem moliri. Iudicio igitur Perionij malus uidetur eſſe Ariſtotelis interpres Argyropylus. Ergo Perionius de uiris præſtantiſs.iudicabit, eosq́; ueluti cenſor quidam ordine mouebit: de Perionij ſcriptis exiſtimare nemo omnium mortalium audebit? Equidem de Perionio minuendæ eius gloriæ cauſa nihil cōſtitui dicere, niſi quod ita promptum & propoſitum eſt,ut à quouis uel tacente me,animaduerti poſsit. Non eſt mei ingenij, non mei pudoris, non meæ conſuetudinis de cuiuſquam hominis laude decerpere,præſertim doctrinæ & eloquentiæ fama præſtantis.Legebā adoleſcēs Perionij ſcripta diligenter,& cum Ariſtotele conferebam: genus orationis pro illo, quod tum in eam ætatem cadebat, iudicio, amplectebar, probabam,admirabar. Proceſsi paulatim ætate: probatorum ſcriptorum lectione,aſsiduo ſtudio ac la

bore;

bore, doctorum uirorum conſuetudine conatus ſum me ab ignoratione literarum uindicare. Ac quantum quidem profecerim, quantumq́; mihi ad eruditionem ætate progrediente acceſſerit, aliorum eſto iudicium: ſed qualecunque illud ſit, quod legendo conſecutus ſum, de Perionij ſcriptis mihi religio eſt ſententiam ferre. hoc tantum liquidò uereq́; affirmare poſſum, quotquot ingenio ac doctrina excellentes uiros conuenerim (conueni autem tùm in Gallia, tùm in Italia plurimos) partim eorum in Perionio diligentiam deſiderare, partim illius ſcripta omnia uno genere circunſcripta improbare. Sæpe querelis interfui Gallorum noſtrorum: audiui reprehenſiones ſeueriſſimas, atq; acerrimas Italorum, cùm hi Perionium in diſertorum numero non haberent: illi quererentur eundem neque ſatis fideliter Ariſtotelem interpretatum eſſe, neque ſatis eleganter, aut, ut ita dicam, rotundè, græca latinè reddidiſſe. Ego autem tametſi utrorunq; oratione aliquantulum commouebar, adduci tamen non poteram, ut eam, quam habebam de Perionio opinionem, præſertim inueteratam, & penitus inſitam, deponerem. Volui ego uidere ecquid ipſe de aliorum ſcriptis iudicare poſſem: uolui experiri utrùm maleuolentia & obtrectandi ſtudio tùm Galli, tùm Itali ſcripta Perionij de græcis conuerſa parui penderent: an incorruptè, integreq́; iudicarent. Ac de ceteris quidem Ariſtotelis libris, quos Perionius interpretatus eſt, in præſenti taceo. Erit alius nobis de eis quoque (ſi licebit) & dicendi, et exiſtimandi locus. Libros autem decem de moribus ad Nicom. in manus ſumpſi, eosq́; cum Ariſtotele Græco multo attentius, quàm unquam anteà, contuli. Dicam tibi ſine diſſimulatione, quod ſentio, humaniſſime lector.

ctor. dabis autem mihi hanc ueniam, ut (quod me paulo ante facturum negaui) timidè quidem, ſed tamen ſincerè id, quod mihi uidetur, proferam, atque expromam. Ex illorum librorum lectione in hanc opinionem diſceßi, ut exiſtimem fieri omnino non poſſe, ut is qui Ariſtotelem Perionio interprete Latinè loquentem legat, diſputationem huius Philoſophi de moribus mirifico ordine, purißimoq́; ſermone abſolutam, aſſequatur. Vidit hoc. N. Gruchius uir cum primis eruditus. Itaque conatus eſt ille huic malo publico ſubuenire. Sed ei nomen odioſum, atque inuidioſum neſcio qui homines, præter ipſius (opinor) uoluntatem aſcripſerunt, quòd eum Perionij correctorem appellarunt. neque tamen ille præſtitit, quod ſe facturum eſſe oſtenderat. Nam neque omnia Perionij uulnera ſanauit, & ipſe interdum, quæ erant à Perionio ſat benè conuerſa, quæq́; tolerabilia uidebantur, deteriora fecit. Ego autem neque me Perionij correctorem uolui profiteri: (Quis enim ſibi hoc nominis ſumat, niſi qui ſuæ uirtuti, ſuoq́; ingenio maximopere confidat?) neque Gruchij ſtudium atque optimam uoluntatem damnare animum induxi: ſed de integro hos libros in latinum ſermonem uertendos ſuſcepi: idq́; non tam mea ſponte, quàm cùm uiri omnibus & naturæ et fortunæ bonis ornatiß. FRANCISCI TVRNONII *Card. auctoritate adductus, tùm aßiduis hominum uocibus, & clamoribus impulſus. Qua in re hæc ſecutus ſum: Primùm Ariſtotelis ſententiam quàm apertißimè & fidelißimè potui, oratione latina expreßi: deinde orationis genere uſus ſum humili, preſſo, ſubtili, tenuiter limato, & ad docendum quàm maxime accommodato: Tùm optima & emendatißima exemplaria non ſolum typis excuſa, uerumetiam manu*

ſcripta

ſcripta conquiſiui, exploraui, conſului: lectionis uarietatem diligenter conſideraui, eamq́; in meis annotationibus eo conſilio propoſui, ut tu lector erudite de ueritate, & (ut ita dicã) germanitate ſcripturæ iudicares: Poſtremò multos locos partim ueterum codicum fide ac teſtimonio fretus, partim coniectura quadam ductus emendaui. Neq; Perionium autem, neque quenquam alium hominem lædere in animo habui, immò uerò omnes bonarum literarum ſtudioſos iuuare concupiui: hominum querelas, quibus uti aßiduè me audiente ſolebant, ferre non potui: cum ita dicerent, deplorandum, atque ingemiſcendum eſſe, Ariſtotelis libros decem de moribus, qui ſemper eſſent in manibus tenendi, ſemperq́; legendi, ad noſtra tempora literarum latinarum luce carere: in latinam linguam illos quidem eſſe conuerſos, ſed ita, ut ex interpretibus alij non ſatis fideliter Ariſtotelis ſententiam conſequantur, neque exprimant: alij ſermone incondito, ac, penè dicam, inquinato præclari huius Philoſophi ſplendorem obſcurare, maculare, extinguere uideantur. Hoc igitur onus ego unus Reip. iuuandæ ſtudio ſubij ac ſuſtuli: ego ampliſsimi Cardinalis uoluntati morem geßi, ego exterarum nationum ſermonem ac reprehenſionem ſedare, ego noſtratium hominum querelas comprimere, ego adoleſcentium ſtudijs conſulere conatus ſum. Tuæ autem partes erunt humaniſſime lector primùm ut legas, deinde ut iudices ac ſententiam feras. Legere autem debebis animo non ſolùm attento, uerumetiam æquo & ab omni maleuolentia libero ac ſoluto. Ac meum quidem ſtudium & conatum ſi probabis, meq́; aliquanto propius, quàm ſuperiores, à rectè interpretandi laude abeſſe iudicabis: me mei laboris fructum cepiſſe

piſſe arbitrabor uberrimum: ſimulq́; libros tres eiuſdem Philoſophi de arte dicendi, & octo de rep. quos habeo in manibus rudes adhuc, atque impolitos, alacrius tibi perpoliam, perpolitosq́; diuulgabo: ſin minus, hoc unum abs te contendam, ut tibi perſuadeas me incredibilem diligentiã in his libris conuertendis adhibuiſſe, ſingularemq́; huius à me ſuſcepti muneris cumulatè adminiſtrandi uoluntatem habuiſſe, ſed mihi uires & facultatem defuiſſe. Vale & utere. Venetijs. a. d. 17 Cal. Maias an. 1558.

Εἰπέ μοι ὦ κούρη, τίνος ἡ βίβλος ἥδε πόνημα;
  Παντοδαπῆς αὐτὴν τεῦξατ' Ἀριστοτέλης.
Τίς δὲ τὰ παρ κείνου πεπονημένα Ἑλλάδι φωνῇ,
  Εἰς τὸν Ῥωμαϊκὸν νῦν μετέφρασε λόγον;
Λαμβῖνος τόδ' ἔρεξε, φίλον κάρα Δήλου ἄνακτι,
  Μουσῶν δ' εὐπλοκάμων τηλυγέτης τρόφιμος,
Ὧν πάρα καὶ μεμάθηκε δίκην τινὸς Ἀστεροπαίου
  Χρῆσθαι ταῖς φωναῖς ἐξίσου ἀμφοτέραις.
Ἀλλὰ σὺ τίς; Φήμη, περὶ Λαμβίνοιο βοῶσα
  Πᾶσι παρ' ἀνθρώποις, κ' οὔποτε παυσομένη,
Ὅττι τάδ' Αὐσονίην δὲ τὰ βιβλία τῶν ἀγαγόντων
  Οὗτος ἄτερθε φθόνου τἄθλα τὰ πρῶτα φέρει.

Superiores M. Antonij Mureti verſus græcos ſic ver]
tebat Lazarus Mocenicus Franciſci filius,
Patricius Venetus.

Dic mihi quisnam opifex horum eſt ô Virgo librorum?
  Hos ſapiens olim ſcripſit Ariſtoteles.
Sed quisnam, Graio quæ ſermone edidit ille,
  In linguam vertit commodus Auſoniam?
Hoc fecit Lambinus, amat quem pulcher Apollo,
  Quem comptæ tenero Muſæ aluere ſinu.
A quibus & didicit quidam veluti Aſteropæus,
  Lingua Itala pariter, Cecropiaque loqui.
Quæ tu? Fama ego ſum, de Lambino, omnibus oris
  Vociferans ſeclis innumerabilibus:
Ex iis qui libros verterunt hoſce, ſine vlla
  Inuidia, hunc primum promeruiſſe decus.

FRANCISCO TVRNONIO, S. R. E.

CARDINALI AMPLISS.

Idem Muretus.

Turnoni antiquæ ſpirans virtutis imago,
Quo ſtupet hæc ætas, quoque beata tumet:
Hæc tibi Lambinus multo uigilata labore
Dona dicat, nullo deperitura die:
Lambinus, cui multiplici pectusque refertum eſt
Doctrina, & variis lingua diſerta modis,
Vt, tua cum ſeri repetent monimenta nepotes,
Si, dederint cœlum quæ tibi facta, rogent:
Poſt alias laudes, quas bello & pace paraſti,
Conſilio moderans tempus vtrunque pari:
Quòd, quas fudit opes pleno tibi Copia cornu,
Aſſidue doctos foueris hiſce viros,
Pectore & ingenuas conſtanti adamaueris artes:
Adiiciat titulis hoc quoque fama tuis.

Ariſtotelis de Morib.

AD NICOMACHVM Libri decem,

DIONYSIO LAMBINO INTERPRETE,

LIBER PRIMVS.

OMNIS *ars, & omnis docendi uia & ratio, itemq́; actio, &* [1] *conſilium bonum* [2] *aliquod appetere uidetur.* Itaque *pulchrè ueteres id eſſe ſummũ bonum pronuntiarunt, quod omnia appetunt.* Ac *uidentur quidem inter ſe fines diſcrepare.* Alij *enim ſunt muneris* [3] *functiones, alij præter eas, opera quædam.* Ac *quarum rerum præter actiones, aliqui ſunt fines, in his opera ſunt actionibus meliora natura.* Quoniam *uerò multæ ſunt actiones, artes, & ſcientiæ: multi quoque fines extiterunt.* Nam *medicinæ finis eſt, bona ualetudo: artis ædificandarum nauiũ, nauis: artis* Imperatoriæ, *uictoria: rationis eius quæ in re familiari tuenda uerſatur, diuitiæ.* Quæcunque *autem artes huius generis uni alicui* [4] *facultati ſubiectæ ſunt, ut equeſtri ea quæ in frenis conficiẽdis occupata eſt, ceteræq́; omnes ad inſtrumenta equeſtria comparatæ, atque hæc ipſa equeſtris, omniſq́; actio militaris, arti* Imperatoriæ, *itemq́; aliæ alijs: in ijs omnibus fines earum, quæ principẽ locum obtinent, earum quæ eis ſubiectæ ſunt, finibus ſunt*

[5] *optabiliores. Nam illorum cauſa hi quoque expetuntur. Nihil porrò intereſt utrùm functiones ipſæ muneris actionum ſint fines, an præter has aliud quippiam, quemadmodum apparet in ijs artibus, quas ſuprà diximus. Si quis igitur eſt rerum, quæ ſub actionem cadunt, finis, quem propter ſe uelimus, cuiusq; cauſa cetera, nec omnia propter aliud, eligamus (ſic enim res abibit in infinitum, ita ut noſter omnis appetitus inanis & irritus ſit futurus) perſpicuum eſt hoc eſſe ſummum bonum, atque adeo bonorum optimum. Huius igitur cognitio magnum etiam ad uitam agendam habet momentum. Nam ſcopo aliquo nobis tanquam ſagittarijs propoſito, facilius [6] id quod expetere nos oportet, conſequamur. Quod ſi ita eſt, danda eſt opera ut eius [7] formam adumbremus, ut quid ſit, & ad quã ſcientiam, aut facultatem pertineat, ſcire poßimus. Videri autem poßit ad reliquarum facultatum longè principem ac dominam, pertinere. Talis igitur etiam ciuilis prudentia eſt. Nam & quas in Rep. ſcientias eſſe oporteat, et quas quiſque diſcere debeat, & quatenus, ea ſtatuit, ac præſcribit. facultates autem eas, quæ ſummo in honore ſunt, ut artem imperatoriam, & rationem tuendæ rei familiaris, et bene dicendi facultatem huic eſſe ſubiectas uidemus. Quòd ſi hæc reliquis omnibus artibus, quæ in actione uerſantur, utitur, legibusq; latis quid agendum, & à quibus abſtinendum ſit, præſcribit: neceſſe eſt profectò eius fine atque extremo reliquarum artium fines contineri. Itaque hoc erit ſummnm hominis bonum. Nam [8] & ſi idem unius hominis & ciuitatis bonum ſit, ciuitatis [9] tamen bonum et conſequi & conſeruare maior quædam res eſſe & perfectior uidetur. Enimuerò præclarè nobiſcum agatur, ſi id*

quod

quod uel uni ſoli ſit utile, reperire poſsimus: ſed longè certè pulchrius ac diuinius, id quod gentibus & ciuitatibus uſui eſt. Huic igitur arte & uia ſuſceptæ diſputationi hæc ſunt propoſita, cùm ſit ciuilis prudentiæ pars quædam. In eius autem tractatione nihil deſiderabitur, ſi pro rei ſubiectæ natura, explicetur. Non enim in omni diſputationis ac ſermonis genere peræquè docendi ſubtilitas [10] requirenda eſt: quemadmodum [11] nec in operibus manu factis. Atqui in iis rebus, quæ honeſtæ, quæq; iuſtæ ſunt, quas ciuilis ſcientia conſiderat, tanta ineſt diſsimilitudo, tantusq; uerſatur error, ut lege [12] tantummodo, non etiam natura conſtare uideantur: eademq; de bonis quoque diſſenſio, & idem error peruaſit, propterea quòd ex his multi detrimenta capiant. Aliis enim iam diuitiæ, aliis fortitudo [13] exitio fuit. Ergo ſatis erit, ſi ij qui de rebus eiuſmodi uerba faciunt, rudem quandam formam eius, quod in hoc genere uerum eſt, adumbrent, & qui de rebus, quæ plurimùm eueniunt, atque ex talibus, diſputationem inſtituunt, talia quoque concludant, eodemq; modo quicquid dicitur, accipi, probariq; debet. eſt enim hominis erudti tantam in unoquoque genere ſubtilitatem deſiderare, quantam rei ipſius natura recipit. Nihil enim intereſt utrùm mathematicum probabilibus [14] rationibus utentem feras, an ab oratore demõſtrationes poſtules. De iis autem, quæ ſibi nota ſunt, bene quisq; iudicat, & horum bonus [15] eſt iudex. De ſingulis ergo rebus rectè iudicabit is, qui ſingulas res perdidicit. abſolutè uerò et uniuersè de omnibus homo in omni doctrinæ genere uerſatus. Quocircà ad ciuilem ſcientiam non eſt iuuenis accommodatus auditor. Eſt enim actionum, quæ in hac uita uerſantur,

imperitus, de quibus habetur, & ex quibus conſtat hæc noſtra diſputatio. Præterea uerò cùm affectibus animi ſeruiat, & obtemperet, inanem atque inutilem operam in audiendo ſumet: quandoquidem finis prudentiæ ciuilis in actione, non in cognitione conſiſtit. Aetate autem ſit iuuenis, an moribus adoleſcentulus, nihil refert. Non eſt enim culpa in tempore, ſed in eo quòd conuenienter ſuis affectibus & uiuat, & ununquicque perſequatur. Huiuſmodi enim hominibus, ut & [16] incontinentibus, inutilis cognitio futura eſt. At uerò qui ratione ſuas appetitiones & actiones dirigunt: ijs fructum uberrimum ferre poteſt. Ac de auditore quidem qualis eſſe debeat quoq; modo accipiendum quicque ſit, & quid nobis ad dicendum ſit propoſitum, hæc procœmij loco dicta ſint. Repetitis igitur ijs quæ ſuprà diximus, quoniam omnis cognitio, omneq; adeò cõſilium, bonum aliquod expetit, dicamus quidnam illud ſit, quod ponimus à ciuili ſcientia expeti, et quod ſit omnium rerum, quæ in actione uerſantur, ſummum bonum. Et certè inter omnes ferè de nomine conuenit. Beatitudinem enim & multitudo & politiores homines appellant. Bene autem uiuere, & bene rem gerere, quod græci benè agere dicunt, idem quod beatum eſſe, exiſtimant. ſed quid ſit beatitudo, de ea re uerò omnis controuerſia eſt. Neque uulgus & ſapientes ſimiliter eam declarant. Alij enim aliquid eorum, quæ ſunt in prõptu, et quæ perſpicua ſunt, eſſe uolunt, ut uoluptatem, ut diuitias, ut honorem, alijq; aliud. ſæpenumero autem unus & idẽ aliud. Aeger enim bonam ualetudinem, pauper, diuitias: qui autem ſibi ignorantiæ conſcij ſunt, eos admirantur qui magna quædam, & ipſorum facultate ſuperiora, loquuntur.

tur. Quidam uerò præter hæc complura bona, aliud quoddam per ſe bonum eſſe putabant, quod & his omnibus, cur bona ſint, cauſa eſt. Atque omnes quidem opiniones expendere fortaſſe operam ludere fuerit. ſatis autem erit, ſi eas potiſsimùm, quæ ſunt inſigniores, quæq; aliqua ratione niti uidentur, in medium proferamus. ſed hoc ignorare [17] *non debemus intereſſe inter eas rationes, quæ à principijs proficiſcuntur, & eas quæ ad principia ferunt. Rectè enim Plato de hoc dubitabat, quærebatq; utrùm uia à principijs ad fines, an à finibus ad principia duceret: uelut in ſtadio, utrùm ab ijs qui præmia proponunt, ad calcem, an contrà. Atque initium certè ab ijs rebus, quæ notæ ſunt, ſumendum eſt. harum autem duo genera ſunt. aliæ enim nobis notæ, aliæ per ſe & abſolutè notæ ſunt. fortaſſe igitur nobis initium ab ijs rebus ſumendum eſt, quæ ſunt nobis notæ. Quocircà qui de rebus honeſtis & iuſtis, &, ut ſemel dicam, de ciuilibus utliter audíturus eſt, eum oportet eſſe benè eductum, beneq; moratum. Principium* [18] *enim eſt rem ita eſſe. quod ſi ſit perſpicuum, cur ita ſit non magnopere deſiderabitur. Homo autem eiuſmodi aut iam tenet principia, aut ea facile percipere poſsit. Cui uerò neutrum horum ſuppetit, audiat Heſiodi uerſus.*

Optimus [19] *ille quidem eſt, qui per ſe mente, animoq;*
Omnia perluſtrat, quæ ſint meliora futura
Poſteà ad extremæ uſque nouiſsima tempora uitæ:
Eſtq; adeò ille bonus, monitis qui obtemperat æquus
Rectè ſuadentis. uerùm deterrimus ille eſt,
Qui neque conſilium per ſe explicat ingenij expers,
Nec monita alterius ſequitur, neque mente recondit.

Sed nos eò unde digreßi ſumus, orationem reuocemus. Nam uulgus quidem & [20] odioſißimi, inſolentißimiq; homines eſſe ſummum bonum & beatitudinem, uoluptatem ex multis uitæ generibus non ſine ratione exiſtimare uidentur. itaque eam etiam uitam amplectuntur, quæ tota in perfruendis uoluptatibus conſumitur. Tria enim uitæ ſunt genera, quæ maximè antecellunt, unum quod modo diximus, alterum ciuile, tertium id quod in contemplatione & cognitione rerum uerſatur. Ac multitudo quidem mancipiorum ſimilima eſt, ut quæ pecudum uitam ſequi uideatur. ſed probabili ratione, cur ita uiuat, nititur, nempe quòd cõplures eorum qui poteſtate & auctoritate prædití ſunt, ſimilibus atque Sardanapalus, animi affectibus ſeruiant. politi [21] uerò homines, & ij qui ad agendum nati ſunt, beatam uitam in honore poſitã eſſe putant. Ferè enim uitæ ciuili hic propoſitus finis eſt. Sed uidetur eo quem quærimus, exilior [22] ac minutior eſſe. Eſt enim honor ſitus in ijs potius, qui honorem deferunt, quàm in eo qui honore afficitur. At ſummum bonum proprium quiddam, & omnibus cuſtodijs ſeptum ac munitum eſſe auguramur. Prætereà uerò honorem eò perſequi uidentur, ut credant [23] ſe ipſos bonos eſſe. Itaque coli ſe atque honore affici à prudentibus, & ab ijs quibus noti ſunt, & uirtutis nomine, uolunt. Perſpicuum eſt igitur horum quidem iudicio uirtutem eſſe honore meliorem. Atque hanc fortaſſe qui uitæ ciuilis eſſe finem ſtatuerit, non magnopere fallatur. ſed hæc ipſa quoque imperfecta & manca quodãmodo eſſe uidetur. fieri enim poteſt ut qui uirtute ſit præditus, aut dormiat, aut in tota uita nihil agat, et præterea maximis in malis et calamitatibus uerſetur. eum

autem

autem qui ita uiuat, nemo in beatis numerauerit, niſi qui propoſitum[24] admirabile tueri uelit. Ac de his quidem ſatis. Nam de eis abundè in ijs[25] libris dictum eſt, quos en cylia inſcripſimus. Tertium uitæ genus eſt, quod in rerum contemplatione, cognitioneq́; conſumitur, quod deinceps conſiderabimus. Nam qui in pecuniæ quærendæ ſtudio uerſatur, ad uim alteri inferendam facile impellitur: & profectò in diuitijs non eſt id bonum, quod quærimus, poſitum. Illæ enim utiles ſunt duntaxat, neque propter ſe, ſed propter aliud expetendæ. Quapropter eos potius quos ſuprà expoſuimus, fines eſſe meritò quis exiſtimauerit. propter ſe enim adamantur. Verumtamen ne illi quidem bonorum. ſunt fines, quanuis multæ rationes ad hoc oſtendendum ac probandum ſint allatæ. Sed hæc miſſa faciamus. Vniuerſum autem bonum conſiderare, quoq́; modo dicatur, quærere, fortaſſe præſtiterit, tametſi nobis ſit hæc quæſtio lubrica[26] ſanè atque ardua futura, propte reà quòd nobis amici ſunt ij, qui ideas introduxerunt. Atqui par eſſe, atque oportere fortaſſe uideatur ueritatis conſeruandæ cauſa uel noſtra ipſorum decreta euertere, præſertim & philoſophos. Nam cùm utrique cari ſint, tùm pium eſt amicis antiquiorem habere ueritatem. Qui porrò hanc ſententiam attulerunt, non faciebant earum rerum ideas, in quibus prius, & poſterius aliquid eſſe dicerent. itaque ne numerorum quidem ideam conſtituebãt. At bonum & in eſſentia (ſi hoc uocabulo nobis uti licet) dicitur, & in qualitate, & in eo quod ad aliquid refertur. At id quod per ſe eſt & (ut ita dicam) eſſentia, eò quòd ad aliquid refertur, prius eſt natura. hoc enim ſtoloni, eiq́; rei quæ ei quod eſt, accidit, ſimile eſt. Itaque nec e-

rit in his idea aliqua communis. prætereà cum bonum totidem modis dicatur, quot id quod eſt, (nam & in eſſentia dicitur, ut Deus, *ut mens: & in qualitate, ut uirtutes: & in quanto, ut mediocritas: & in ijs quæ ad aliquid referuntur, ut utilitas: & in tempore, ut occaſio: & in loco, ut domicilium, ſeu diuerſorium, & alia huius generis) perſpicuũ eſt cõmune aliquod & unũ bonũ uniuerſum eſſe non poſſe.* Non *enim in omnibus categorijs, ſed in una ſola diceretur.* Præ*tereà quoniam eorum omnium, quæ una idea continentur, una duntaxat ſcientia eſt, neceſſe quoque eſſet, bona omnia una ſcientia comprehendi.* Nunc *uerò ſcientiæ plures ſunt etiam eorum quæ uni categoriæ ſubiecta ſunt, ut occaſionis, in bello, ars imperatoria: in morbo, medicina: & mediocritatis, in uictu, medicina: in laborib. ars ea quæ ad exercitationẽ corporis pertinet.* Sed *quærat aliquis quid ſibi uelit apud illos ipſum* [27] *quicque, quod appellant, cùm & in ipſum hominem & in hominem una eademq́; quadret hominis definitio.* Nam [28] *quà homo ſit ipſe homo, nihil different.* Quòd *ſi ita eſt, nec quà bonum ſit.* Neque *uerò eò quòd ſempiternum ſit, magis erit bonum, ſi quidem neque res candida diuturnà, candidior eſt ea, quæ unum diem candida eſt.* Mihi *uerò probabilius de eo* Pythagorei *loqui uidentur, qui unum in* [29] *bonorum ordine locant, quos &* Speuſippus *uidetur eſſe ſecutus.* Sed *de his quidem non eſt hic proprius dicendi locus.* De *ijs autem quæ dicta ſunt aliquantulùm ambigi poteſt, propterea quia non de omni bono ſumus locuti, cùm dicatur unum genus eorum quæ per ſe expetuntur & amantur, horum uerò aut efficientia, aut aliquo modo conſeruantia, aut contrariorum prohibendorum*

*rum uim habentia, propter hæc, & alia ratione bona ap-
pellentur.* Perſpicuum igitur eſt bonorũ duo eſſe genera,
unum eorum quæ per ſe bona ſunt, alterum eorũ quæ pro
pter hæc. ſeiũctis igitur ijs quæ per ſe bona ſunt, ab utilib.
utrùm illa una idea cõtineãtur, uideamus. ſed quæ nã ꝑ ſe
bona habenda ſunt? an quæcũque uel ſola & à ceteris de
ſtituta, ſequimur: quale eſt ſapere: uidere, & non nullæ
uoluptates, & honores? (hæc enim & ſi propter aliud
quippiam ſequimur, tamen in bonis per ſe fortaſſe nume-
randa ſunt) an nihil [30] aliud erit per ſe bonum præter i-
deam? Erit igitur inanis idea. Quòd ſi hæc quoque in ijs
quæ per ſe bona ſunt, numerari debent, boni definitionem
eandem neceſſe erit in his omnibus elucere, ut in niue, &
ceruſſa, candoris. At honoris & prudentiæ & uoluptatis
diſsimiles ac diſpares ſunt definitiones quà bona ſunt. non
eſt igitur ſummum bonum cõmune quiddam quod una idea
declaretur. quonam igitur modo dicitur? non enim ſimi-
le eſt ijs quorum fortuitu nomen eſt commune. An quia
ab eo uno proficiſcuntur omnia? an quòd in unum omnia
deſinunt? an potius proportione, ſcilicet [31] ut in corpore
uidendi ſenſus, mens in animo, & aliud in alio? Sed for-
taſſe hæc in præſenti ſunt omittenda. Nam ad diſputandũ
de ijs ſubtilius, alia philoſophia accommodatior eſſe uidea
tur, itemq́; de idea. Nam ſi quod eſt unum bonum, quod
communiter de multis dicatur, aut ſi quod eſt ab alijs ſe-
iunctum & ipſum per ſe, id nimirum nec ſub actionem hu-
manam cadere, nec ab homine comparari poteſt. Nunc
autem tale aliquid quæritur. Sed fortaſſe ſatius eſſe duxe
rit quiſpiam id cognitum habere ad ea bona quæ poſside-
ri, quæq́; agi poſſunt, comparanda. Nam cùm ipſum tan-

quam

quàm exemplar, nobis propoſitum habebimus, facilius ea quoque quæ [32] nobis bona ſunt, & cognoſcemus, & cognita conſequemur. Atqui probabiliter quidem hæc dicuntur, ſed à ſciẽtijs atque artibus plurimùm diſcrepant. Nam cùm aliquod bonũ omnes expetant, ſemperq; id quod deeſt, requirant, eius tamen cognitionem prætermittunt. Atqui non eſt ueriſimile neque conſentaneum, artifices tantum adiumentum & fuiſſe ignoraturos, neque fuiſſe requiſituros. Illud quoque maximè dubium & penè inexplicabile eſt, quidnam utilitatis ad artem ſuam textor aut faber ex eius cognitione conſecuturus ſit, aut quo tandem modo uel ad medendum, uel ad exercitum ducẽdum aptior ſit futurus is, qui ideam ipſam contemplatus fuerit. Videtur enim medicus hoc modo non inſpicere ualetudinem, ſed hominis, immò fortaſſe huius hominis potius. Singulis enim medicinam adhibet. Ac de his quidem hactenus dictum ſit.

Iã uerò ad id bonũ quod quæritur, reuertamur, & quid illud ſit tandem, uideamus. Aliud enim in alia actione & arte uidetur eſſe. ſiquidem aliud eſt in medicina, aliud in arte imperatoria, & in reliquis artibus eodem modo. [33] Quod nam igitur cuique actioni, artiq; ſummum bonum eſt? non ne id cuius cauſa aguntur cetera? hoc autem in medicina, bona ualetudo eſt, in arte imperatoria, uictoria: in arte ædificandi, domus, aliudq; in alia. in omni denique actione, & conſilio, finis. quandoquidem eius cauſa omnes agunt reliqua. Quocircà ſi quis eſt omnium rerum, quæ in actione uerſantur, finis, hoc erit bonum, quod ſub actionem cadit: ſin plures, hæc erunt bona. Sed [34] dum huc & illuc labitur oratio, eòdem reuoluta eſt. uerùm danda nobis opera eſt, ut hoc planius explicemus. Quoniam

niã igitur plures eſſe fines uidẽtur, atq; ex his aliquos propter alios expetimus, ut diuitias, tibias, et uno nomine inſtrumenta omnia: perſpicuũ eſt non omnes eſſe perfectos. Quod autem optimum eſt, id perfectum quiddam uidetur. Si quis ergo unus undique perfectus ſit, hic erit finis, quẽ quærimus: ſin plures, horum abſolutiſſimus. Atqui quod propter ſe expetendum eſt, eò quòd propter aliud expetitur, perfectius eſſe dicimus: & quod nunquam propter aliud optabile eſt, ijs quæ & propter ſe, & propter aliud eliguntur, magis abſolutum eſt. Atque, ut uno uerbo dicam, perfectum eſt id, quod propter ſe ſemper ſumitur, atque eligitur, nunquam propter aliud, qualis uidetur eſſe in primis beatitudo. Hanc enim propter ſe ſemper, nunquam propter aliud, optamus. At uerò honorem, & uoluptatem, & mentem [35] ſanam, ac uegetam, & omnes uirtutes cùm propter ſe quidem illas ſequamur (nam etiam, ſi nullum ex ijs fructum percepturi ſimus, tamen eorum ununquicq; optaremus) tùm uerò beatitudinis cauſa expetimus, quòd exiſtimemus nos his adiumentis beatos futuros. At beatitudinem nemo neque harum, neque alius omnino rei cauſa expetit. Idem porrò etiam [36] ex ea copia quæ per ſe ipſa homini ſatis eſt, [37] effici uidetur. id enim bonum quod undique perfectum eſt, ipſum per ſe ſatis eſſe, nullamq; rem externam deſiderare uidetur. ſatis eſſe autem ipſum per ſe id dicimus, non quod ipſi ſoli uitam ſoliuagam & ſolitariam agẽti, ſed quod parentibus, liberis, cõiugi, & (ut ſemel dicam) amicis & ciuibus ſatis eſt. Quandoquidem homo ad uitam, ſocietatemq; ciuilem natus eſt. ſed in his certus quidam finis conſtituendus eſt. Nam ſi porrigamus ad parentes, ad poſteros, amicorumq;

ami=

amicos, abibit res in infinitum. uerùm de hoc quidem alio loco poſteà uidebimus. Copiam *autem per ſe ipſam abundè bonis cumulatam ponimus eam, quæ ab alijs bonis deſerta uitam efficiat optabilem, nulliusq́; rei indigentem.* Tale *autem quiddam beatitudinem̄ eſſe ſtatuimus, atque adeo maximè omnium optandam, etiam ſi cum alio bono non coniungatur. quòd ſi cum aliquo uel minimo bono coniungatur, erit nimirum optabilior, magisq́; ſumenda.* Id *enim quod accedit, bonorum excellentiam gignit atque efficit.* At *quò quicque bonum maius eſt, eò magis optandum eſt.* Hoc *igitur perſpicuum eſt beatitudinem perfectum quiddam eſſe, & ſe ipſo contentum, bonisq́; omnibus per ſe cumulatum cùm rerum omnium, quæ in actione poſitæ ſunt, ſit extremum. ſed fortaſſe dicet aliquis beatitudinem ſummum bonum eſſe ſine controuerſia, uerùm ut planius, quid ea ſit oſtendamus, deſiderari.* Hoc *autem facile aſſequemur, ſi opus ac munus hominis proprium ſumptum fuerit.* Vt *enim tibicini & ſtatuarum fictori, omniq́; artifici, & omninò ijs qui opus aliquod efficiunt, actionemq́; obeunt atque exercent, in opere ipſo bonum & artis perfectio conſiſtere uidetur: ſic homini, ſi quod eſt eius opus et munus, in eo ipſo bonum eius & benè uiuere poſitum eſſe uideatur. ergo fabri & ſutoris erunt aliqua opera, & actiones, hominis erit nullum, atq; ad deſidiam, inertiamq́; natus reperietur?* An *non potius ut oculi, manus, pedis, ſingularumq́; partium ſuum cuiuſque opus ac munus eſt, ſic hominis quoq; præter hæc omnia, opus aliquod eſſe ſtatuemus?* Quodnam *igitur illud tandem erit?* Nam *uiuere quidem cum ſtirpibus & plantis ei commune eſt.* At *proprium hominis opus quæritur.* Itaque *uita alendi, augendiq́;*

diq; ui ac facultate prædita remouẽda eſt[37]. *Hanc proximè ſequitur ea in qua ſentiẽdi uis poſita eſt. At hæc communis eſt et equo et boui et animãtibus omnibus. Relinquitur ergo uita quædam, quæ ad actionem apta ſit, eius* [38] *propria, quod ratione præditum eſt. Huius autem pars una eſt, quæ rationi obtemperat ipſa rationis expers, altera quæ ratione prædita eſt, cogitandiq; munere fungitur. Sed cùm* [39] *hæc uita, quam ad actionem aptam diximus, duobus modis dicatur, eam quæ in functione muneris occupata eſt, ponere debemus. hæc enim magis propriè dici uidetur. Quod ſi ita eſt, opus & munus hominis erit functio muneris animi rationi conſentanea, aut certè ratione non carens. Idem* [40] *autem genere opus eſſe dicimus huius hominis & huius uirtute præditi hominis, quemadmodum citharœdi & boni citharœdi. Et omninò hoc ita eſt in omnibus, ſi accedat ad opus excellentia ea quæ è uirtute eſt. Citharœdi enim eſt cithara canere, boni benè canere. Quod ſi ita eſt, hominis opus ac munus uitam quandam, eamq;, functionem animi & actionem cum ratione coniunctam, boni autem uiri benè & præclarè hoc munere fungi ponere debemus. Atqui ſua quicq; uirtute benè perficitur. Quod ſi ita ſe habet, hominis* [41] *bonum erit functio muneris animi uirtute directa: ac ſi plures uirtutes ſint, uirtute optima ac perfectiſſima, & præterea in uita perfecta. Vt enim una hirundo uer non efficit, nec dies unus, ſic neque dies unus, neque exiguum tempus efficit felicem ac beatum. Atque hoc quidem modo deſcriptum ſit ſummum bonum. Primùm enim fuit adumbrandum atque informandum, deinde poſteà ſuis coloribus depingendum erit atque illuſtrandum. Cuiuſuis autem hominis eſſe uideatur*

tur ea quæ benè ſuis lineamentis deſcripta & conformata ſunt, dilatare, ſuisq́; ueluti membris & articulis diſtinguere: atque eiuſmodi rerum inuentor aut certè adiutor eſſe tempus: unde artes ipſæ tam ualde amplificatæ & propagatæ ſunt. cuiuis enim facile eſt id quod deeſt, addere. Sed ea meminiſſe nos oportet, quæ ſuprà dicta ſunt, ſubtilitatem illã enucleatam non peræquè in omnibus eſſe requirendam, ſed in unaquaque re pro materiæ ſubiectæ ratione, uſque eò ſcilicet quoad docendi uia ac ratio patiatur. Nam faber & geometra non eodem modo rectum angulum exquirunt. Sed ille quatenus operi uſui eſt: Hic autem quidnam ſit, & qualis, inquirit. nam in uero contemplando uerſatur. Eodemq́; mdo modo faciendum eſt in ceteris omnibus, ne operum acceßiones & ornamenta exiſtant operibus ipſis longiora. Neque uerò in omnibus cauſa flagitanda eſt, ſed ſatis eſſe debet in quibuſdam ſi bene demonſtratum ſit rem ita eſſe. quemadmodum in principijs. Rem ita eße autem primum & principium eſt. Principiorum porrò alia inductione percipiuntur & cognoſcũtur, alia ſenſu, alia conſuetudine, alia aliter. ea autem ſingula perſequi oportet, quemadmodum cuiuſque natura patitur, dandaq́; opera eſt, ut benè definiantur. Magnũ enim momentum ad ea quæ ſequuntur, afferunt. Quocircà principium pluſquàm dimidium totius uidetur eſſe. multaq́; in quæſtione poſita eo cognito declarantur.

De beatitudine autem uidendum eſt non ex concluſione ſolùm, ijsq́; quibus ratio conſtat, ſed ex ijs etiam quæ de ea feruntur. Nam cum uero congruunt omnia, quæ in re inſunt: à falſo autem citò uerum diſsidet, ac diſcrepat. Cùm igitur bona tres in partes ſint diſtributa, aliaq́; bona

externa,

externa, alia animi, alia corporis dicantur: animi bona in primis & maximè propriè bona dicimus. Actiones autem & functiones muneris animi in animo collocamus. Itaque cùm ex hac ſententia & uetere, & à philoſophis uno ore comprobata rectè hoc à nobis dicatur, tùm uerò proptereà quòd actiones & functiones muneris nonnullæ, finis ratione continentur. ſic enim efficitur ut in animi bonis, non in externis numeretur. Cum hac ratione congruit & illud, benè uiuere & benè rem gerere uirum beatum. Nam uitam benè actam & rem bene geſtam, quam bonam [42] actionem Græci appellant, propemodum beatitudinem eſſe dictum eſt. Atque etiam in eo quod à nobis dictùm eſt, ea omnia uidentur ineſſe, quæ in beatitudine requiruntur. Alij enim uirtutem, alij prudentiam, alij ſapientiam quãdam, beatitudinem eſſe exiſtimant. Nonnulli hæc ipſa aut horũ aliquid cum uoluptate coniungunt, aut à uoluptate ſeiungi nolunt. alij etiam rerum externarum facultatem & copiam complectuntur. Atque horum alia multi ac ueteres, alia pauci & clari uiri loquuntur, quorum neutros probabile eſt omni ex parte, ſed aliquatenus errare, & in plurimis rectè ſentire. Ac cum ijs quidem qui beatam uitam eſſe dicunt omnem aut aliquam uirtutem, noſtra cõgruit oratio. Functio enim muneris uirtute perfecta ac directa, uirtutis eſt: ſed multùm fortaſſe intereſt, ſummum bonum in poſſeſsione, an in uſu poſitum eſſe putemus; in habitu, an in functione muneris. Accidere enim poteſt, ut habitus qui inſit, nihil boni efficiat, ut in eo qui dormit, aut qui alio aliquo modo otioſus ac feriatus eſt. de functione muneris idem dici non poteſt. Aget enim neceſſariò, & rectè aget. Quemadmodum autem in ludis Olympicis non

pul=

pulcherrimus aut ualentiſsimus quiſque corona donatur, ſed qui certant (ex his enim uincũt aliqui) ſic ea quæ ſunt in uita, bona atque honeſta, aſſequuntur, et obtinent ij qui recte faciunt, eorumq́; uita per ſe iucunda eſt, per ſeq́; delectat. Delectari enim, *in eorum numero ponitur quæ ad animum pertinent.* Iam *uerò cuius quiſque* [43] *rei nomine ac ratione amans appellatur, ea delectatur, ut equo is qui amat equos: ſpectaculo, ſpectaculis deditus, itemq́; rebus iuſtis lætatur is qui iuſtitiam amore complectitur, & omninò rebus omnibus quæ cum uirtute conſentiunt, is cui uirtus cara eſt. ſed quæ res multitudini iucundæ ſunt, eæ pugnant inter ſe, propterea quòd non ſunt per ſe tales.* Iis *autem hominibus qui ſtudioſi ſunt honeſtatis, ea ſunt iucunda, quæ natura iucunda ſunt.* Quo *in genere ſunt eæ quæ uirtuti congruunt, actiones.* Itaque *& his ſunt iucundæ, & per ſe iucundæ.* Quare *uoluptate nihil eget eorum uita, tanquam appendice quadam, ſed habet in ſe incluſam uoluptatem.* Nam *præter ea quæ dicta ſunt, non eſt is uir bonus, qui honeſtis actionibus non delectatur.* Neque *quiſquam aut iuſtum dixerit eum, qui non ex iuſtè factis capiat uoluptatem, aut liberalẽ, qui liberalibus actionibus non delectetur, idemq́; de cæteris uirtutibus ſentiendum.* Quod *ſi ita eſt, confitendum eſt per ſe iucundas eſſe uirtuti conſentaneas actiones, atque etiam bonas & honeſtas & horum ununquicque eſſe maximè, ſiquidem de ijs uerè iudicat uir bonus, ut certè iudicat, quẽadmodum diximus.* Eſt *igitur quiddam optimum, pulcherrimum & iucundiſsimum beatitudo.* Neque *uerò hæc ita diſtincta ſunt, quemadmodum diſtinguit* Deliacum *epigramma.*

Iuſtitia

Iuſtitia eſt formoſa: ualetudo optima res eſt:
Dulce frui, cuius quenque perurit amor.

Inſunt enim hæc omnia in optimis actionibus: quas quidē, aut harum unam optimam, beatitudinem eſſe dicimus. ſed tamen bonis quoque externis eget, ut dicimus. N*efas eſt*
44 *enim aut certè difficile eum, cui nullæ ſuppetunt facultates, res agere præclaras.* P*ermulta enim geruntur ueluti inſtrumentis quibuſdam, amicorum opera, ac diuitijs, & potentia ciuili: & quædam res ſunt quibus ſi careant homines, felicitatis ſplendorem obſcurant, atque inquinant, ut nobilitas generis, proſpera liberorum ſoboles, pulchritudo.* N*eque enim admodum facilè eſt ei uitam beatam conſequi, qui inſigniter deformis, aut obſcuriſſimo loco natus, aut orbus ſit.* A*c multò etiam minus fortaſſe ſi cui ſint liberi omni uitiorum genere cooperti, uel cuius amici, qui eſſent uiri boni, exceſſerint de uita.* T*alem igitur proſperitatem, ut diximus, uita beata deſiderare uidetur.* E*x quo fit ut nōnulli eodē numero et loco beatitudinē habeant, atque ſecundam fortunam: nonnulli uirtutem.*

E*x quo etiam naſcitur quæſtio utrùm uel doctrina parari, uel conſuetudine quæri, uel alia aliqua exercitatione comparari poſſit, an potius diuinitus, an etiam fortuitò obueniat.* E*t certè ſi quod aliud à dijs munus eſt hominibus datum, profectò conſentaneum eſt beatitudinem quoq; à dijs immortalibus donari, eoq; maximè quòd rerum humanarum eſt optima. ſed hoc fortaſſe ab eo quod conſiderare inſtituimus, alienum eſt, neque huius diſputationis proprium.* I*llud quidem perſpicuum eſt, etiam ſi non ſit à dijs immortalibus dono miſſa, ſed uirtute ac doctrina aliqua aut exercitatione quæratur, in rebus diuiniſſimis ta-*

men eſſe numerandam. Virtutis enim præmium & extremum optima quædam res eſſe, & diuina, et beata uidetur. eadem in medio eſt poſita, ut cum multis communicetur. Poteſt enim contingere uel doctrina, uel ſtudio aliquo ijs omnibus, qui nõ ſunt naturæ, aut fortunæ uitio [45] quaſi manci ac debiles ad uirtutem inepti. Quòd ſi ſic præſtat, quàm fortunæ temeritate beatum eſſe, certè ita eſſe probabile eſt, ſiquidem res naturales ut pulcherrimæ eſſe poſſunt, ita à natura procreatæ ſunt, idemq́; de ijs quæ ab arte & omni alia cauſa perficiuntur, iudicari debet, multoq́; maximè à præſtantiſſima. Rem porrò omnium maximam & pulcherrimam arbitrio fortunæ permittere, ualdè nefarium ac flagitioſum fuerit. Atque etiam ex definitione, id quod quærimus, perſpicuum eſſe poteſt. Diximus enim eam eſſe cuiuſdammodi ex uirtute [46] animi functionem. Cetera autem bona alia præſto eſſe neceſſe eſt, alia adiuuant & conducunt natura, inſtrumentorum inſtar. Atque hæc cum ijs quæ initio diximus, conſentiunt. Ciuilis enim ſciẽtiæ finem optimum eſſe ſtatuebamus, quæ magnam diligentiam adhibet, ut ciues certo [47] quodammodo affectos, bonosq́;, & ad res honeſtas agendas idoneos reddat. Meritò igitur neque bouem, neque equum, neque aliud animal ullum beatum dicimus. Nulli enim eorum eſſe poteſt talis functionis communitas. Atque ob eã cauſam ne puer quidem beatus eſt. nondum enim per ætatem ad hæc agenda ſatis aptus eſt. qui autem beati dicuntur, propter ſpem, quam de ijs habent homines, tales prædicantur. Opus eſt enim (ut diximus) cùm abſoluta uirtute, tùm uita integra & perfecta. Multæ enim in uita rerum commutationes, uarijq́; caſus interueniunt, fieriq́; poteſt,

ut

ut cuius res hodie ſint ualdè ſecundæ, maximis in ſenectute calamitatibus afficiatur, quemadmodum de Priamo fabulantur poëtæ. Porrò qui tales caſus fuerit expertus, miſereq; de hac uita deceſſerit, eum profectò nemo duxerit beatum. Nemo ne igitur alius mortalium quandiu manet in uita beatus eſt iudicandus? ſed [48] Solonis ſententia, ſpectandum tempus ætatis extremum? & ſi hoc ita eſſe fatemur, etiã ne beatus eſt tùm cùm exceſſerit è uita? an hoc quidem prorſus abſurdum eſt, nobis præſertim, qui beatitudinem functionem quandam muneris eſſe dicimus? Quòd ſi nec nos eum beatum dicimus, qui mortuus eſt, nec hoc uult Solon, ſed tùm denique aliquem uerè, ac tutò beatum prædicari tanquam extra omnium malorum atque [49] infortuniorum diſcrimen poſitum: ne hoc quidem dubitatione uacat. Nam ſi ei qui uiuit, neque ſentit, aliquid malum & bonum eſt, aliquid eſt & mortuo, ut honores & ignominiæ, liberorum & omnino poſterorum res ſecundæ & aduerſæ. Difficultatem hæc quoque afferunt. fieri enim poteſt, ut quem uita beata uſque ad ſenectutem proſecuta ſit, & qui ſupremum [50] uitæ diem conuenienter actæ iam ætati obierit, eum multæ in poſteris mutationes ac uarietates excipiãt, ut eorum alij boni ſint, eáq; uita, quam merentur, potiantur, alij contrà. atq; hoc [51] perſpicuum eſt etiam magno ſpatio interiecto, magnam in eis morum ac fortunæ diſsimilitudinem ac uarietatem, ſi cum parentibus conferantur, euenire poſſe. Abſurdum igitur fuerit, ſi unà cum eis mortuus quoque commutetur, fiatq; nunc miſer, nunc contrà beatus. Abſurdum uerò etiam illud eſſet res poſterorum nihil ne ad ullum quidem tempus, ad parentes pertinere. Sed redeundum eſt ad id,

quod ſuprà dubitatum eſt. Ex illo enim fortaſſe id quoque quod quærimus, intelligetur. Si igitur ſupremus uitæ dies ſpectandus eſt, & tùm quiſque beatus exiſtimandus, cùm eum diem obierit, non quòd nunc beatus ſit, ſed quòd anteà fuerit: an non abſurdum eſt, cùm quis beatus eſt, tùm id quod ei ineſt, de ipſo non uerè dictum iri ob hanc cauſam, quòd uiuos beatos prædicare nolimus propter rerum commutationes, caſuumq; uarietatem, & quia cùm beatitudinem firmum quiddam & propè immutabile eſſe exiſtimemus, fortuna ſæpe ſeſe identidem conuertens, atque in orbem uoluens eoſdem homines feriat? Certum eſt enim ſi fortunæ caſus ſequamur, nos eundem nunc beatum, nunc miſerum ſæpe eſſe dicturos, chamælontem quendam uirum beatum noſtra oratione fingentes, neque ſatis ſtabili ſede collocantes. An potius indignum atque iniquum eſt fortunæ uarietatem & inſtabilitatem ſequi? non enim benè uel malè uiuendi ratio in ea poſita eſt, ſed fortunæ bona ut adiumenta quædam, humana uita deſiderat, quemadmodum diximus. actiones autem uirtuti conſentaneæ beatitudinis [52] dominæ ſunt, & miſeriarum contrariæ. Atq; huic rationi teſtimonio eſt hoc ipſum de quo ambigitur. Nulla enim in re humana tanta ineſt firmitudo, quãta in iis actionibus, quæ cũ uirtute cõſentiũt. Nã uel ſciẽtiis ipſis ſtabiliores ac diuturniores eſſe uidentur. Atque harum ipſarum ut quæque plurimi eſt, ita diutiſsimè permanet, proptereà quòd in eis ætatem aſsiduè agunt beati: quæ uidetur eſſe cauſa cur nulla unquam obliuione deleantur. Inerit ergo in beato id quod quærimus, taliſq; per totam uitam futurus eſt. nam uel ſemper, uel omnium [53] maximè ea & aget & animo cernet, quæ cum uirtute coniuncta ſunt,

fortunæq; caſus pulcherrimè, omniq́; ex parte & planè concinnè feret, uerè uir bonus, & culpa ſine [54] quadratus. Sed cùm multa fortuitò eueniant, eaq́; magnitudine & paruitate differant, perſpicuum eſt ea fortunæ bona, itemq́; contraria, quæ parua ſint, nihil ad uitam momenti habere: magna autem fortunæ beneficia & multa uitam beatiorem eſſe effectura. Nam & unà ornamento ſuapte natura ſolent eſſe, & uſus eorum pulcher & bonus eſt. Contraria uerò uitam beatam excruciant, lædunt, et corrumpunt. Aegritudines enim animis inferunt, & multorum munerum functiones impediunt. Veruntamen etiam in his ſplendet atque elucet ipſum honeſtum tùm maximè, cùm quis multas & magnas calamitates fert leniter et placidè, non quòd doloris ſenſu careat, ſed quòd generoſi, magniq́; ſit animi. Itaque ſi uitæ dominatum, ſummamq́; adeo poteſtatem obtinent actiones, ut diximus, nullus beatus ullo pacto miſer eſſe poteſt. Nunquam enim quicquam aget improbum atque odio dignum. Nam qui uerè bonus & benè ſanæ mentis eſt, eum putamus omnes fortunæ caſus decenter & ex perſonæ ſuæ dignitate ferre, ſemperq́; ex ijs quæ ſuppetunt, res pulcherrimas agere. quo modo bonus imperator eo exercitu qui præſtò eſt, ſemper utitur bellicoſiſsimè, & ſutor ex ijs pellibus, quæ ad eum delatæ ſunt, calceum pulcherrimum conficiet, eodemq́; modo ceteri artifices omnes. Quod ſi ita eſt, profectò uir beatus nunquam miſer futurus eſt: haud facilè tamen beatus dici poterit, ſi in Priami calamitates inciderit. Neque igitur uarius & mutabilis eſt. nam ut neque facilè de beata uita poterit demoueri, neque à quibuslibet rebus aduerſis, ſed à magnis & multis: ſic neque talibus fortuna caſi-

bus perfunctus rurſus breui tempore fieri poterit beatus, ſed ſi fiet, longo & iuſto temporis interuallo fiet, magnarum et honeſtarum rerum intereà compos effectus. Quid prohibet igitur, quo minus eum dicamus beatum, qui ſuas actiones perfecta uirtute dirigit, boniſq; externis mediocriter inſtructus eſt, non ad quodlibet tempus, ſed per totam uitam? an eôdem etiam addere debemus, qui ſit ita uicturus, & mortem ei uitæ conuenienter obiturus? quandoquidem obſcura nobis ſunt futura. Beatitudinem autem finem eſſe, & quiddam prorſus & omni ex parte perfectum ponimus. Quæ cùm ita ſint, beatos ex uiuis dicemus eos, in quibus ea inſunt & inerunt, quæ à nobis ſuprà dicta ſunt. beatos autem, ut [55] homines. Atque hæc quidem hactenus. Fortunam autem ſecundam, & aduerſam poſterorum & amicorum omnium nihil ad beatam uitam ualere dicere, cùm ualde ab amicitia alienum ſit, tùm à communibus hominum opinionibus abhorrere uideatur. ſed cùm multa quotidie euenta exiſtant, eorumq; magna ſit uarietas, cumq; alia magis, alia minus ad nos pertineant: ea quidem ſingillatim explicare, atque in partes diſtribuere longum atque infinitum uidetur: uniuersè autem oſtendere ac ueluti [56] rudi imagine adumbrare fortaſſe ſatis fuerit. ſi igitur, ut & res aduerſæ quæ cuiq; accidũt, aliæ pondus aliquod & momentum habent ad uitam, aliæ ſunt leuiores: ſic eæ etiam quæ amicis omnibus: & ſi multùm intereſt, unuſquiſque caſus acerbus uiuis an mortuis accidat, et longè quidem magis quàm utrùm facinora cõtra leges admiſſa, & atrocia priuſquàm in tragœdijs agantur, extiterint, an nunc cùm inducuntur actores, perpetrentur: colligenda quoque hoc modo erit differentia, immo uerò de

hoc

hoc[57] quærẽdũ ac dubitãdũ eſt, an mortui boni alicuius aut mali ſint participes. Apparet enim ex his, etiam ſi quid ad eos perueniat, quodcunque ſit illud, ſiue bonum, ſiue malum, perquàm id exiguum atque obſcurum uel abſolutè, uel illis eſſe: ſin [58] aliter, at certè tantillum, ac tale, ut neque eos qui non ſunt, beatos efficiat, neque beatitudinem ijs, qui eam adepti ſunt, adimat. Videntur igitur res amicorum tum ſecundæ, tum aduerſæ non nihil ad mortuos pertinere, ſed ita & tantùm, ut neque beatos miſeros efficiant, neque quicquam aliud tale. *His diſtinctis, reſtat ut de beatitudine uideamus. Vtrùm habenda ſit in numero rerum laudabilium, an in earum quæ honore dignæ ſunt. Eſt enim perſpicuum eam non numerari in [59] poteſtatibus, ſeu (ſi quis malit) facultatibus. Videtur igitur id omne, quod laudabile eſt, ob eam cauſam laudari, quòd ſit cuiusdammodi, et ad aliquid quodammodo referatur. nam iuſtum, fortem, & omnino uirum bonum, ac uirtutem propter facta & actiones laudamus. Robuſtum autem & eum qui ad curſum aptus eſt, & ununquenque aliorum, propterea laudamus, quòd à natura ſic comparati ſunt, & quodammodo ad aliquod bonum & præſtantiam aliquam affecti. Quod etiam oſtendunt deorum laudes. Ridiculæ enim [60] uidentur cum ad nos referuntur. Atque hoc propterea accidit, quòd laudes, quẽadmodum diximus, comparatione, & relatione quadam conſtant. Quòd ſi laus talibus rebus tribuitur, nimirum perſpicuum eſt rerum præſtantiſſimarum non eſſe laudẽ, ſed quiddam laude maius, & melius quemadmodum & apparet. Nam & Deos beatos ac felices uſurpamus, & uiros maximè diuinos uitam beatam degere dicimus. Itéq;*

ea bona quæ diuinitatis ſunt pleniſsima, beata ducimus. beatitudinem enim nemo laudibus effert ut iuſtitiam, ſed ut diuinius & melius quiddam ſuſpicit, & in rerum beatiſsimarum numero collocat. Videtur autem eleganter Eudoxus cauſam uoluptatis egiſſe cùm primas partes, principemq; locum dignitatis ei tribuere uellet. Nam eò quòd cùm ſit ipſa in numero rerum bonarum, non laudetur, declarari putabat eam rebus ijs, quæ eſſent laudabiles, eſſe meliorem. talem autem eſſe deum ac ſummum bonum. Ad hæc enim cetera quoque referri. Nam uirtuti [61] quidem laus propriè tribuitur. ab hac enim ad res honeſtas agendas idonei efficimur. Encomia [62] autem factorum ſunt potius, tam eorum quæ corporis, quàm eorum quæ animi uiribus obeuntur. Sed de his quidem ſubtilius ac limatius diſputare, eorum eſt magis qui in encomijs ſcribendis occupati ſunt: nobis autem ex ijs quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, in bonis ijs, quæ honore digna & perfecta ſunt, uitam beatam eſſe numerandam. Atque ita uidetur eſſe etiam propter hanc cauſam, quòd principium eſt. Huius enim gratia omnes reliqua omnia agimus. Principium autem, cauſamq; cur cetera bona ſint, honore dignum et diuinum quiddam eſſe ducimus. Sed quoniam [63] beatitudo functio quædam muneris animi eſt uirtuti undique abſolutæ congruens, de uirtute ipſa nobis iam uidendum eſt. Sic enim fortaſſe & de beatitudine melius diſpiciemus. Atque is quidem qui ad remp. adminiſtrandam uerè idoneus eſt, in huius ſtudio maximè exercitatus eſſe uidetur. Huc enim ſe parat, atque hoc ſtudet, ut ciues ſuos uiros bonos, & legibus obedientes efficiat: quarum rerum exempla nobis ſuppeditant Cretenſium & Lacedamoniorum

legum

legum latores, & ſi qui tales extiterunt. Quòd ſi hæc ciuilis ſcientiæ propria diſputatio eſt, nimirum ad id conſilium, atque inſtitutum, quod ab initio ſuſcepimus, quæſtio hæc erit accomodata. De *uirtute autem uidendum eſt humana ſcilicet.* N*am cùm ſummum hominis bonum, tum beatitudinem humanam quærebamus.* V*irtutem porrò humanam appellamus non corporis, ſed animi uirtutem.* A*t beatitudinem functionem muneris animi dicimus.* Q*uòd ſi hæc ita ſe habent, nimirum ut eum qui oculos & totum corpus curaturus eſt, oculorum, totiusq; corporis naturam ~~curaturus eſt~~, oportet perſpectam habere: ſic eum qui ad gubernacula reip. aptus futurus eſt, ea quæ ad animum pertinent, ſcientia comprehendiſſe, atque eò quidẽ magis, quò maiore honore digna, quàm medicina, ſcientia ciuilis eſt.* A*tqui politiores medici multum ſtudij atque operæ in cognitione corporis ponere conſueuerunt.* E*rgo ei quoque qui ciuitatis regendæ peritus futurus eſt, in animi cognitionem cura atque opera multa conferenda eſt, conferenda, inquam, harum rerum gratia & quatenus ſatis ſit ad ea quæ quærimus.* N*anque accuratiſsimè eius uim inquirere atque explicare, maioris fortaſſe negotij ſit, quàm ea ipſa, quæ nobis propoſita ſunt.* De *quo in ijs libris quos* [64] *quoniam populariter ſcripti ſunt, externos appellamus, ſatis copioſe à nobis dicta ſunt nonnulla: atque eis utendum eſt, uidelicet unam eſſe animi partem rationis expertem, participem alteram: quæ utrùm diſtinctæ ſint quemadmodum corporis partes, & quicquid in partes ſecari poteſt, an ratione duæ ſint ſuapte alioqui natura indiuiſæ, ut in rotunda figura ea pars quæ connexa, & ea quæ concaua dicitur, ad id quod agimus,*

nihil

nihil refert. Eius *autem partis, quæ rationis expers eſt, duæ aliæ partes intelliguntur, quarum altera eius, quæ omnium communis eſt, & quæ ſtirpibus propriè conuenit, ſimilis eſt: eam dico quæ alendi augendiq; corporis cauſa eſt.* Talem *enim animi uim cùm in ijs omnibus quæ aluntur, atque adeò in fœtibus imperfectis ponere licet, tùm etiam in perfectis animantibus. probabilius eſt enim hanc eandem eſſe, quàm aliam.* Huius *autem uirtus omnium communis, ut dixi, non hominis propria eſt, quippe cùm in ſomnis hæc particula, atque hæc uis ſuo munere fungatur.* Atqui *bonus ab improbo in ſomno minimùm diſcernitur. hinc illud eſt, quod aiunt, inter beatos ac miſeros dimidiam uitæ partē nihil intereſſe: eiusq; rei ratio probabilis, cur ita accidat, afferri poteſt.* Somnus *enim animi eſt ceſſatio, uacatióque ab opere quâ is bonus dicitur et malus, niſi ſi motus quidam perueniunt ac permanant ad aliquam eius partem, atque hac ratione bonorum, quàm quorumlibet aliorum uiſa ſunt* [65] *meliora.* Sed *de his quidem ſatis.* Alendi *itaque uis prætermittenda eſt, quandoquidem uirtutis humanæ expers eſt ſua natura.* Altēra *autem eſt animi uis, quæ tametſi rationis expers eſſe uideatur, eius tamen aliquo modo eſt particeps. nam & continentis et incontinentis rationem, animiq; partem eam quæ ratione prædita eſt, laudamus.* Recta [66] *ēnim illa eſt, & ad optima facta hortatur, atque excitat.* Apparet *autem in eis innata alia quædam pars à ratione auerſa, quæ rationi repugnat ac reluctatur.* Planè *ēnim ut quibus nonnullæ corporis partes reſolutæ ſunt, ſi eas dextrorſùm mouere animum inducant, in contrariam partem ſiniſtrorſùm peruersè feruntur, ſic in animo euenit.* Abeunt *enim in*

con-

contrarias partes incontinentium appetitiones. ſed in cor-
poribus id quod [67] peruerſé mouetur, oculis cernimus, in
animo non cernimus. at nihilominus tamen exiſtimare de-
bemus in animo quoque aliquid ineſſe, quod à ratione ſit
deuium, eiq; aduerſetur ac repugnet. Quod quomodo à ra
tione [68] ſit aliud ac diuerſum, nihil refert. rationis autem
hoc quoque uidetur eſſe particeps, ut diximus. Paret e-
nim rationi in continente ac multò quidem magis in uiro
forti ac temperante. in quibus omnia una penè dicam uo-
ce cum ratione conſentiunt. Apparet ergo uim rationis
expertem eſſe duplicem, unam ad ſtirpes propriè perti-
nentem nulla ex parte rationis participem: alteram ad
concupiſcendum & omnino ad appetendum impellentem,
aliqua ex parte ratione præditam, quatenus ſcilicet ei pa
ret atque obtemperat. Sic igitur dicere ſolemus nos [69] pa
tris & amicorum rationem habere, non quo modo rerum
mathematicarum. Rationi enim quodammodo parere ani
mi partem rationis expertem cùm præcipiendi ac monen
di ratio, tùm omnis reprehenſio atque exhortatio indicat.
Quòd ſi fatendum eſt hanc uim ratione quoque eſſe prædi
tã, uis erit animi duplex ratiõis particeps, altera propriè,
et ut habens eã in ſe ipſa: altera ueluti filius, qui parẽtis di
cto audiens eſt. Atque ex hac animi diuiſione ac differen-
tia, uirtutis quoque diſtinctio, partitioq; naſcitur. alias
enim uirtutes in cogitatione ac ratione poſitas eſſe dici-
mus, alias ad mores pertinere. In ratione poſitæ ſunt ſa-
pientia, intelligentia, prudentia: In moribus liberalitas,
temperantia. Nam cùm de moribus alicuius loquimur, nõ
illum ſapientem, aut intelligentem dicimus, ſed clemen-
tem ac lenem, aut temperantem. laudamus autẽ ſapientem

quoque

les, uirtutum nominibus nuncupamus.
quoque propter habitum. at habitus eos qui ſunt laudabi-

Liber Secundus.

CVM *ſint igitur duo uirtutum genera, unum earum quæ ab ratione & cogitatione proficiſcuntur, alterum earum quas morales à moribus appellamus: illæ quidem quæ in ratione poſitæ ſunt, magnam partem à doctrina ortum & incrementum habent.* Itaque *cùm uſum, tùm ſpatium, tempusq; deſiderant.* Morales *autem* ἐξ ἔθους*.i.ex more cõparãtur, à quo nomẽ quoq; traxerũt, quòd parum admodum* ἀπὸ τοῦ ἔθους*.i.à more deflectit.* Ex *quo perſpicuum eſt nullam omnino uirtutem moralem inſitam nobis eſſe à natura. nihil enim eorum quæ natura conſtant, aliter atque eſt, aſſuefieri poteſt: ut lapis qui deorſum fertur natura, nulla ratione aſſuefieri poßit, ut ſurſum moueatur, ne ſi decies millies quidem quis eum ſurſum iaciens aſſuefacere conetur.* Neque *ignis unquam deorſum feratur; neque quicquam aliud eorum, quæ aliter à natura comparata ſunt, aliter aſſuefieri poßit.* Ergo *neque natura, neque præter naturam nobis ingenerantur uirtutes, ſed ſic affectis, ut ad eas ſuſcipiendas apti ſimus natura, perficiamur* [1] *autem perpoliamurq; more, & conſuetudine.* Præterea *quæcunque nobis à natura obueniunt, eorum poteſtates* [2] *prius accipimus, quàm functiones muneris obeamus: quod in ſenſibus perſpici poteſt. neque enim ex eo quòd aut ſæpe aſpeximus, aut ſæpe audiuimus, ſenſus adepti ſumus, ſed contrà ſenſus adepti*

eis

eis uſi ſumus, non quia uſi ſumus, habemus. At *uirtutes conſequimur uirtutis prius muneribus functi: quod item in ceteris fit artibus.* Nam *quæ nos oportet poſteà quàm didicerimus, efficere, ea cum efficimus, diſcimus: ueluti homines ædificando fiunt ædium ædificandarum artifices, & fidibus canendo, fidicines.* Itemq; *iuſtis actionibus exercendis, iuſti: temperatis, temperantes: fortibus fortes efficimur.* Atque *etiam hoc ipſum teſtantur ea quæ in ciuitatibus factitari ſolent. legum latores enim ciuibus ad uirtutem aſſuefaciendis, eos bonos efficiunt.* Eſt *enim hæc omnium, qui* [3] *leges ferunt mens & uoluntas.* Quod *qui minus rectè faciunt, errant.* Atque *hoc uno* Reip. *ſtatus ab altero differt, bonus à uitioſo.* Præterea *ex iiſdem rebus, & per eaſdem, uirtus omnis naſcitur, quibus interit.* Idemq; *de arte ſentiendum.* Nam *ex eo quòd fidibus canunt, & boni & mali fidicines euadunt, eademq; ratione ædificandi artifices & reliqui opifices omnes.* Nam *ex eo quòd bene ædificant, boni ſunt ædificandi artifices futuri: ex eo quòd malè, mali.* Quòd *niſi ita ſe res haberet, nec magiſtro qui doceret, opus eſſet, & omnes boni aut mali artifices naſcerentur.* Eadem *igitur uirtutum ratio eſt.* Agendis *enim iis rebus, quæ ab hominibus inter ipſos contrahi ſolent, alij iuſti, alij iniuſti efficiuntur.* Et *cum ea quæ in rebus horribilibus ac periculoſis habentur, agimus, ac ſubimus, aſſueſcimusq; ea aut timere, aut præſenti animo ferre, aliàs fortes, aliàs timidi euadimus. ſimilis eſt et cupiditatũ & iracundiæ ratio.* Alij *enim tẽperantes & lenes: alij intemperantes, & iracundi efficiuntur, hi quia ſic, illi quia aliter in ijs uerſantur:* Atque *(ut uno uerbo dicam) ex ſimilibus actionibus ſimiles habitus oriuntur.*

Itaque danda opera eſt ut actiones noſtras certo quodam 4 modo conformemus. earum enim differentias, habitus differentes ac diſpares conſequuntur. Non igitur parùm refert, ſed permultùm utrùm ſic an ſic à pueris aſſueſcamus. immò uerò totum in eo poſitum eſt. Quoniam igitur negotium hoc, quod eſt in manibus, non cognitionis cauſa ſuſceptum eſt, ut alia (non enim quid ſit uirtus quærimus, ut cognoſcamus, ſed ut boni efficiamur, alioqui nihil ex ea utilitatis caperemus) quemadmodum actiones obeundæ & exercendæ ſint, conſiderandum eſt. In eis enim ſitum eſt (quemadmodum dixi) ut habitus ſic uel ſic conformentur. Atque hoc quidem commune omnium eſt & poſitum [5] ſit, rectæ rationi conuenienter agere oportere. qua de re poſterius dicemus, & quid ſit, recta ratio, & quomodo ad reliquas uirtutes affecta ſit, exponemus. Illud autem præterea conſeſſum, ratum, & fixum ſit, omnem, quæ de rebus in agendo poſitis habetur, orationem rudiore quadam forma & adumbrata, non exquiſita neq; accuratius expreſſa conſtare oportere, atque (ut initio diximus) ſermones materiæ ſubiectæ conuenientes eſſe poſtulandos. Atqui quæ in actionibus uerſantur, quæq; ad aliquid conducunt, nihil firmitatis, nullamq; certam ſedem habent, quemadmodum neque res ſalubres. Et cùm ſit eiuſmodi ea, quæ ad genus uniuerſum pertinet, tùm multò magis tenuitate limata caret ea, quæ de rebus ſingularibus habetur, oratio. Eæ enim neque ſub artem, neque ſub præceptionem ullam cadunt. eos autem qui in rebus agendis uerſantur, tempus oportet intueri, atque obſeruare, quemadmodum in arte medendi & gubernandi fieri uidemus. Veruntamen etiam ſi talis ſit hæc, quam inſtituimus,

oratio

oratio, danda tamen opera eſt, ut huic incommodo ſubue niamus. Hoc igitur in primis animaduertendum ac ſcien= dum eſt, hæc talia ab eo, quod parum,[6] *& ab eo quod ni mium eſt, corrumpi ac perimi ſolere natura, quemadmo= dum in uiribus corporis & ualetudine fieri uidemus. cla= ris enim & perſpicuis exemplis ad ea quæ ſunt obſcura de claranda, teſtimonij loco utendum eſt. Nam & immode= ratæ & pauciores ac remißiores exercitationes, uires minuunt, & corrumpunt. Itemq; poculenta & eſculen= ta æquè copioſiora ac parciora ualetudinem lædunt, ac perdunt. moderata bonam ualetudinem efficiunt, augent, ac tuentur. Atque eodem modo ſe res habet in temperan tia, fortitudine, alijsq; uirtutibus. Nam ut qui fugit et ex= timeſcit omnia, nihilq; ſubit ac perfert, is timidus effici= tur, ſic qui à nullo omninò periculo deterretur, ſed ad o= mnia ruit, audax, Itemq; & qui omni genere uoluptatis perfruitur, nullaq; ſe abſtinet, intemperans: & qui ab o= mnibus refugit, quemadmodum ſolent homines agreſtes, is ueluti ſtipes quidam & ſenſus expers euadit. Nam ut temperantiam, & fortitudinem perimit nimium & parum, ſic ſeruat mediocritas. Neque uerò ſolùm ortus & incre menta, & interitus ex ijsdem rebus, & ab ijſdem profici= ſcuntur, ſed etiam muneris functiones in ijsdem uerſari re perientur. Nam in ijs quoque quæ manifeſtiora ſunt, ita uſu uenire conſueuit, ueluti in uiribus corporis, quæ ut ex eo naſcuntur, ſiquis multum cibum capiat, multosq; la= bores excipiat ac perferat, ſic hoc utrunque maximè po= teſt is efficere, qui uiribus corporis pollet. Idem igitur de uirtutibus ſentiendum. Nam quemadmodum prætermit= tendis & fugiendis uoluptatibus temperantes efficimur,*

ſic

ſic effecti temperantes aſpernari uoluptates maximè poſſumus. Similis eſt ratio fortitudinis. Nam & aſſueſcendo ea quæ terribilia ſunt, pro nihilo putare, eáq; ſufferre ac perpeti, fortes euadimus, & fortitudinem conſecuti maximè poſſumus ea quæ terrorem afferunt, ſubire ac perferre. Quales [7] autem ſint habitus, uoluptas aut dolor qui facta ſubſequitur, indicio eſſe debet. Nam qui ſe à corporis uoluptatibus abſtinet, eóq; ipſo delectatur, is temperans: qui moleſtia ex eo afficitur, is eſt intemperans. Et qui res graues & acerbas perfert, ex eóq; letitiam capit, aut certe nulla moleſtia afficitur, fortis: qui moleſtia afficitur, timidus habendus eſt. Virtus enim moralis omnis in doloribus ac uoluptatibus uerſatur. Nam & uoluptatis illecebris ad turpes & improbas actiones inuitamur, & doloris morſu ab honeſtis auocamur ac deterremur. Itaque ſtatim à pueris (ut ait Plato) ita nos oportet quodammodo eſſe educatos & inſtitutos, ut quibus rebus oportet, iijs rebus & lætemur & doleamus. Hæc eſt enim recta inſtitutio. Prætereà ſi in actionibus & perturbationibus uirtutes ſunt occupatæ, omnem autem perturbationem & actionem dolor ſequitur & uoluptas, ob hanc quoque cauſam uirtus in doloribus & uoluptatibus uerſabitur. Atque hoc etiam ſupplicia indicant, quæ doloribus [8] inferendis conſtituuntur in maleficos. Curationes enim quædam ſunt. At curationes ex contrarijs rebus adhiberi ſolent natura. Prætereà, quemadmodum ſuprà dixi, quibus rebus omnis animi habitus deterior ac melior fit natura, ad eas res eius natura pertinet, & in ijs uerſatur. At propter uoluptates ac dolores uitioſi habitus nobis innaſcuntur, quia & illas conſectamur, & hos

fugimus

fugimus, aut quas & quos non oportet, aut quando aut quomodo non oportet, aut quot[9] *modis alijs hæc à ratione diſtinguuntur.* Itaque *uirtutes nonnulli uacuitates*[10] *quaſdam perturbationum, animorumq; ſtatus quietos ac placatos definiunt.* Veruntamen *in eo minus rectè quòd ſimpliciter & abſolutè dicunt, nec adiungunt quomodo, et quo tĕpore uel oportet, uel non oportet, & cetera, quæ addi conſueuerunt.* Hoc *ergo tanquam conceſſum ponitur, talem uirtutem, quæ in uoluptatibus ac doloribus uerſatur, ad res optimas agendas idoneam eſſe: uitium autem contrà.* Atque *hæc eadem nobis eſſe poterunt ex his quæ iam dicemus, planiora.* Nam *cùm tria ſint, quæ ſequi & expetere ſolemus, boneſtum, utile iucundum: tria cõtraria, quæ fugimus, turpe, inutile, moleſtũ: cumq; in his omnibus uir bonus rectè faciat, improbus et uitioſus erret, et offendat:*[11] *tùm maximè in uoluptatibus.* Omniũ *enim animãtiũ communis eſt uoluptas, eorumq; omnium quæ ſub electionem cadunt, aſſidua comes eſt.* Nam *quicquid honeſtum, quicquid utile eſt, id omne iucundum uidetur.* Præterea *uerò cùm à teneris unguiculis unà nobiſcum educata ſit, hunc affectum animi, quo uita noſtra tincta & penitus imbuta eſt, eluere atque abradere difficile eſt.* Iam *uerò noſtras actiones uoluptatis ac doloris regula dirigimus, alij magis, alij minus.* Itaque *neceſſe eſt totum hoc quod à nobis ſuſceptum eſt, negotium, in his rebus uerſari.* Non *enim parum momenti ad actiones affert rectè aut perperã lætari uel dolere.* Præterea *difficilius eſt (ut ait* Heraclitus*) uoluptati quàm iracundiæ obſiſtere. at ut quicque eſt difficilimum, ita in eo maximè ars & uirtus occupata eſt.* In *hoc*[12] *enim melior eſt bonitas effectionis & actionis.*

Itaque etiam propter hanc cauſam negotium omne diſputa-
tionis moralis, prudentiæq́; ciuilis, in doloribus ac uolu-
ptatibus elaboratur. Nam qui in his rectè ſe gerit, is uir
bonus: qui ſecus, is improbus futurus eſt. Virtutem igi-
tur in uoluptatibus ac doloribus occupatam eſſe, & qui-
bus ex rebus gignitur, ab eiſdem eam & augeri, & cùm
eodem modo non efficiuntur, perimi: à quibus denique re-
bus ortum habuit, in eis ſuo munere fungi, ita ſit à nobis
explicatũ. Sed quærat aliquis quid ſibi uelit hoc quod
dicimus, iuſtitiæ muneribus fungendis iuſtos, temperan-
tiæ, temperantes effici oportere. Si enim iuſtas actiones
obeunt atque explicant, iuſti: ſi temperatas, iam ſunt tem-
perãtes: ut qui ea, quæ grammaticorum, muſicorumq́; ſunt
propria officia, explent, ij grammatici, & muſici ſint ne-
ceſſe eſt. an ne in artibus quidem ita eſt? Fieri enim po-
teſt ut quiſpiam aliquid grammaticum efficiat, & fortuitò
& altero præeunte ac ſuggerente. Ergo ita denique grã-
maticus erit, ſi & grammatici munus aliquod geſſerit, et
grammaticè, hoc eſt ex arte grammatica, qua præditus
eſt. Præterea ne artium quidem ac uirtutum ſimilis
ratio eſt. Nam quæ ab artibus gignuntur, cùm artis per-
fectionem in ſe ipſis incluſam habeãt, ſatis eſt ea certo quo-
dam modo conformata effici. At quæ ex uirtutibus agun-
tur, non ſi ea cuiuſdammodi ſint, iuſtè aut temperanter a-
guntur, ſed ſi is quoque qui agit, quodam modo conforma-
tus agat. ac primùm quidem ſi ſciens: deinde ſi conſilio
13 capto, & propter ea ipſa capto: poſtremo ſi firma,
perpetua & conſtanti uoluntate agat. Atque hæc om-
nia in artibus poſsidendis non opus eſt adhiberi: ſed ſcire
ſatis eſt. Ad uirtutes uerò comparandas cùm ſcientia pa-

rum aut nihil ualeat, tùm cetera non paruam uim habent, ſed multo maximam, atque adeò omnem: quæ quidem ex iteratis atque identidem repetitis iuſtis ac temperatis actionibus, quæruntur. Ergo tùm denique res iuſtæ ac temperantes dicuntur, cùm tales ſunt, quales uir iuſtus ac tẽperans egerit. Iuſtus autem & temperans eſt, non qui has res gerit tantùm, ſed qui ita gerit ut iuſti & temperantes homines ſolent. Rectè igitur hoc dicitur iuſtis ac temperatis actionibus iuſtos ac temperantes effici. Eas autem qui neglexerit, is profectò nunquam uir bonus futurus eſt. ſed plerique omnes cùm rectè facere non curent, atq; ad uerba confugiant, philoſophari ſe arbitrantur, itaq; futurum ſperant, ut boni ſint, non multùm ab ægris differentes, qui medicos ſtudiosè illi quidem ac diligenter audiunt, ſed nihil eorum, quæ ab illis præcipiuntur, facere uolunt. Quemadmodum igitur illis nunquàm corpus erit benè conſtitutum, dum ita curantur, ſic nec his animus, dum hoc modo philoſophantur. Sequitur iam deinceps ut quid ſit uirtus, uideamus. Quoniam igitur quæ in animo ingenerantur, tria ſunt: perturbationes, [14] poteſtates, habitus: neceſſariò ex his tribus unum aliquod erit uirtus. Perturbationes autem dico [15] cupiditatem, iram, timorem, audaciam, [16] inuidentiam, gaudium, amicitiam, odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiam, & omninò ea omnia quæ ſequitur uoluptas aut dolor: poteſtates autem quibus ad has perturbationes propenſi dicimur, ut quarum impulſu uel ad iraſcendum, uel ad dolendum, uel ad miſerendum procliues ſumus: habitus uerò ſunt quibus aut b[illegible]è aut malè aduerſus perturbationes affecti ſumus: ueluti ſi ita affecti ſimus, ut uehementius aut remiſ-

 ſius,

ſius iraſcamur, malè affecti ſumus: ſi ut intra modum, benè: itemq; in ceteris. Neque *uirtutes autem neque uitia perturbationes ſunt: primùm quia ex perturbationibus nec boni nec mali dicimur: ex uirtutibus autem ac uitijs, dicimur: deinde quoniam perturbationes nobis nec laudi dantur, nec uitio.* Neque *enim qui timet, laudatur, neque qui iraſcitur: neque qui* [17] *ſimpliciter iraſcitur, uituperatur: ſed qui certo modo.* Propter *uirtutes uerò, & uitia laudamur, aut uituperamur.* Deinde *iraſcimur aut timemus inconſultè.* At *uirtutes aut conſilia ſunt, aut non ſine conſilio.* Poſtremò *à perturbationibus moueri dicimur: à uirtutibus & uitijs non moueri, ſed quodammodo conformari.* Propter *eaſdem porrò cauſas nec ſunt poteſtates.* Neque *enim eò quòd agendi poteſtate præditi ſimus ſimpliciter, boni uel mali dicimur, neque laudamur, aut uituperamur.* Prætereà *poteſtates inſunt in nobis natura: boni autem uel improbi non ſumus natura, qua de re ſuprà diximus.* Quòd *ſi uirtutes nec perturbationes ſunt, nec poteſtates, relinquitur ut ſint habitus.* Quid *igitur ſit uirtus genere, diximus.*

Sed *non ſatis eſt ita dicere, uirtutem habitum eſſe: uerùm etiam oſtendendum, qualis ſit habitus.* Dicendum *igitur eſt uirtutem omnem, & id cuius ipſa uirtus ſit, benè affectum reddere, & opus eius ornare ac perpolire: exẽpli gratia,* [18] *uirtus oculi cùm oculum ipſum probum efficit, tùm aptum ad ſuum munus explendum.* Virtute *enim oculi benè cernimus.* Itemq; *uirtus equi cùm equum bonum efficiat, tùm ad currendum, equitemq; uehendum, & hoſtes expectandos promptum ac paratum.* Quod *ſi ita eſt in omnibus, hominis profectò uirtus habitus erit, quo ho-*

mo

mo & bonus fiat, & ſuo munere benè fungatur. Atque *hoc quidem quonam modo futurum ſit, cùm iam anteà dixerimus, tùm etiam magis perſpicuum ita eſſe poterit, ſi qualis ſit uirtutis natura, conſiderabimus.* Licet igitur in *omni re continente ac diuidua, & plus & minus & æquale ſumere, eaq; uel ex ipſa re iudicantur, uel ad nos referuntur.* Aequale *autem dicitur id, quod medium eſt inter nimium & parum.* Iam *rei medium appello, quod æqualiter abeſt ab utroque extremo: quod quidem unum et idem eſt omnibus.* Medium *porrò* [19] *ad nos, eſt id quod nec ſuperat, nec deſerit id quod oportet adeſſe: quod nec unum omnibus, nec idem eſt: exempli cauſa, ſi decem, multa: duo, pauca ſunt, ſex rei media ſumere conſueuerunt.* Aequaliter *enim ſuperant & ſuperantur.* Atque *hoc medium eſt proportione arithmetica.* At *quod nobis medium eſt, non ita ſumendum eſt.* Non *enim ſi cui decem minas edere nimium ſit, duas parum, ſex minas* [20] *alipta præſcribet. eſt enim hoc quoque fortaſſe multum, uel parum ei qui ſit cibum capturus.* Miloni *enim parum: ei qui nunc* [21] *primùm incipit exerceri, multùm. ſimiliterq; de curſu & lucta ſentiendum.* Itaque *ſciens* [22] *omnis nimium & parum fugit: mediocritatem exquirit atque exoptat, mediocritatem, inquam, non rei, ſed eã, quæ nobis eſt mediocritas.* Quòd *ſi ſcientia omnis ita demùm benè ſuum munus explet, & abſoluit, ſi mediocritatem ſibi ab oculos proponat, ad eamq; ſua opera reuocet ac dirigat (ex quo ea opera quæ ſcitè & affabrè facta ſunt, hac ad extremum oratione commendare ſolent, nec eis quicquam detrahi, nec addi poſſe, quaſi nimium & parum omnem perfectionem artis corrumpat & perimat, conſeruet mediocritas) & ſi*

boni artifices, ut quidem dicimus, in ſuis operibus efficiendis hanc intuentur et ſpectant, uirtus autem, quemadmodũ & natura, omni arte limatior ac melior eſt: ea profectò medium[23] *ueluti collineando petat, neceſſe eſt.* De ea au*tem uirtute loquor, quæ ad mores pertinet.* Hæc *enim in perturbationibus atque actionibus uerſatur, in quibus eſt & nimium & parum & mediocritas: ut timere, fidere, concupiſcere, odiſſe atque aſpernari, iraſci, miſereri, & (ut ſemel dicant) gaudere & dolere poteſt quiſque nimiũ & parum, atque utrunque non rectè:* At *uerò quo tempore, & propter quam cauſam, et quibus & cuius rei gratia, & quomodo oportet, his affectibus commoueri: id ſanè & medium eſt, & optimum, quod in uirtute conſiſtit:* I*temq; in actionibus nimium, parum, medium reperitur.* A*t uirtus in actionibus & perturbationibus uerſatur, in quibus nimium & parum & peccatum eſt, & uituperatur: mediocritas & laudi datur, & rectè factum eſt, quæ duo ſunt uirtutis.* E*ſt igitur uirtus mediocritas quædam, cùm mediocritatem ueluti ſignum quoddam ſibi propoſitum petat:* P*ræterea peccare multis modis poſſumus. malum enim (ut* P*ythagorei coniectura quadam conſequebãtur) eſt infiniti atque interminati, bonum finiti & terminati.* A*t rectè facere uno modo.* I*taque hoc difficile, illud uerò facile: à ſcopo ſcilicet aberrare facile eſt, ſcopum ferire difficile.* A*tque ob has quidem cauſas nimium & parum ad uitium pertinent, mediocritas ad uirtutem.* V*no nanque*[24] *boni multi modiſq; mali, ut inquit ille.* E*ſt igitur uirtus habitus ad*[25] *conſilium agendi capiendum expeditus, in ea mediocritate poſitus, quæ ad nos comparatur, quæq; ratione eſt definita, et ut prudens definiret.* M*edio-*

critas

critas autem ſeu medium, duorum uitiorum eſt, unius quod ex nimio; alterius quod ex eo, quod parum eſt, naſcitur: atque adeò iccircò mediocritas eſt, quòd alia [26] uitia deſerunt id, quod fieri debet tùm in perturbationibus, tùm in actionibus, alia ſuperant: uirtus autem medium & inuenit & ſequitur. Quocircà *uirtus ex ſua (ut ita dicam) eſſentia & ratione, quæ, quid ſit res declarat, medium, ſeu ſi [27] hoc uerbo (uti licet) medietas eſt: ex præſtantia autem & perfectione ſummum.* Verùm *non omnis actio, nec perturbatio mediocritatem recipit.* Sunt *enim quædam, quorum nominibus uitium eſt implicatum, ut maleuolentia lætans alieno malo, impudentia, inuidentia: & in actionibus, adulterium, furtum, cædes.* Hæc *enim omnia, & quæ ſunt huius generis, ſic appellantur, quòd ipſa mala ſint, non eorum immoderationes, aut paucitates.* Nunquam *igitur fieri poteſt, ut in his rectè fiat, ſed ſemper peccatur, neq; in talibus rectè aut non rectè faciēdi uis in eo poſita eſt, ut cum qua, [28] & quo tempore, & quo modo adulterium facere oporteat, animaduertatur: ſed ſimpliciter & abſolutè quiduis horum admittere, peccare eſt.* Quamobrem *mediocritatem ſeu medium in his poſtulare, perinde ſit, ac ſi quis in iniuria facienda, aut in uita ignaua & intemperata mediocritatem, nimium, et parum quærat.* Nam *hac quidem ratione eſſet nimij, & eius, quod parum eſt, modus ac mediocritas, & nimij nimium, & eius quod parum eſt, aliquid parum.* Sed *quo modo temperantiæ ac fortitudinis nec nimium eſt, nec parum, propterea quòd medium [29] quodam modo eſt ſummum: ſic ne illorum quidem mediocritas eſt, nec nimium, nec parum: ſed ut quicque admiſſum fuerit, ita peccatum eſt.*

Omninò.n.nec nimij,nec eius quod eſt parum, mediocritas
eſſe poteſt, nec mediocritatis nimium & parum. Non
ſolum autem hoc uniuersè dicendum eſt, ſed etiam ad ſin=
gulas uirtutes accommodandum. Sermones enim, qui habẽ
tur de actionibus ij, qui ad genus uniuerſum pertinent, ali
quanto [30] *ſunt inaniores: qui uerò partes & res ſingula=*
res explicant, ueriores. In rebus enim ſingularibus cõ=
ſiſtunt actiones. Cum his autem oportet orationem cõgrue
re. Hæc igitur ex deſcriptione ſumenda & intelligenda
ſunt. Ac fortitudo quidem mediocritas eſt in metu & con
fidentia occupata. Eorum autem qui modum ſuperant, is
qui timoris uacuitate ſuperat, caret nomine: (Sunt au=
tem multa, quæ nomine carent) qui uerò fidendo modum
ſuperat, audax appellatur. qui autem metuendo ultra mo
dum progreditur, fidendo modum deſerit, ignauus. Iam
uerò in uoluptatibus & doloribus nõ omnibus, ſed ijs quæ
ad corpus pertinent, atque harum in eis maximè, quæ in ta
ctu uerſantur, minus deniq; in doloribus, quàm in uolupta
tibus mediocritas, temperantia eſt, nimium, intemperan=
tia. In uoluptatibus porrò qui eò peccent, quòd eas pa=
rùm expetant, raro reperiuntur. Ita ne nomen quidem cõ=
ſecuti ſunt, ſed appellentur ſanè ſenſus expertes. In donã=
dis autem & accipiendis pecunijs, mediocritas eſt ea, quæ
liberalitas dicitur: nimium autem & parum, [31] *effuſio &*
illiberalitas. Eas autem quas dixi, mediocritates, con=
traria inter ſe ratione uitioſi homines & ſuperant & de=
ſerunt. Prodigus enim in profundenda pecunia ultra mo=
dum prodit, in accipienda modum deſerit. Illiberalis in ac=
cipienda immoderatus eſt, in donanda parcior, ac reſtri
ctior. Hæc igitur nunc quidem ueluti adumbramus, ſum=

ma

matimq; perſtringimus, in præſenti hoc ipſo cõtenti: poſterius eadem enucleatius [32] *& ſubtilius diſtinguemus.* In pecunijs autem aliæ quoq; uerſantur animi affectiones, quarum mediocritas magnificentia nominatur. Magnificus.n. eo differt à liberali, quòd ille in magnis, hic in paruis uerſetur. Nimium [33] ἀπειροκαλία, id eſt elegantiæ inſcitia. & βαναυσία, id eſt operaria quædam in ſumptu faciendo inſolentia: [34] parùm μικροπρέπεια, id eſt indecora in ſumptu faciendo parſimonia: differuntq; hæ ab ijs, quæ ad liberalitatem pertinent. quid differant autem poſterius dicemus. Iam uerò ea, quæ in honore & infamia uerſatur mediocritas, animi magnitudo nuncupatur: nimium, χαυνότης à Græcis appellatur: quæ ſi uerbum è uerbo exprimas, laxitas quædã animi dici põt. ſed à nobis elatio animi, aut ſuperbia [35] in animis extollendis nominetur: parũ, humilis & demiſſus animus. Quam autem comparationem habere dicebamus cum magnificentia liberalitatem eo differentem, quòd in paruis uerſetur, eandem habet cũ animi magnitudine, quæ in magno honore uertitur, uirtus quædã altera, quæ in paruo eſt occupata. Euenire .n. põt, ut quis & pro eo ac ſatis eſt, honorem expetat, & ut nimiùm & parùm expetat. Qui igitur honoris cupiditate modum ſuperat, ambitioſus: qui deſerit, contemptor [36] honoris appellatur: medius nomine caret: atque etiam affectiones ipſæ carent nomine, præter quàm ambitioſi, cuius uitioſitas ambitio nominatur. Hinc extremi de medio loco concertant ac litigant. Atque adeò nos ipſi eum, qui medius eſt, nunc ambitioſum, nunc honoris contemptorem appellamus: & aliquando ambitioſum, aliquando honoris contemptorem laudamus. Quod quamobrem faciamus,

in

in ijs, quæ deinceps ſequentur, explicabimus. nũc uerò eo, quo [37] cœpimus, modo de ceteris dicamus. Eſt autem etiam in ira nimium, parum, mediocritas. ſed cùm ferè nomine uacent, medium clementem ac lenem, mediocritatem clementiam ac lenitatem nominabimus: extremorum uerò is, qui modum ſuperat, iracundus, uitiumq; iracundia dicatur: qui deſerit, lentus [38] quidam, & uitium lentitudo appelletur. Iam uerò ſunt & tres aliæ mediocritates, quæ tametſi ſimilitudine quadam inter ſe conueniant, differunt tamen. Omnes enim in ſermonum & actionum communitate uerſantur: ſed hoc differunt, quòd una in ueritate ea, quæ in eis ipſis rebus in eſt, uertitur: aliæ duæ in earũ iucunditate poſitæ ſunt: atque huius quidem iucunditatis altera pars in ioco, altera in ijs omnibus, quæ in hac uita quotidiana uſu uenire ſolent, cernitur. Quamobrem de his quoque nobis pauca dicẽda ſunt, ut in omnibus rebus mediocritatem eſſe laudandam, extrema autem neque recta neque laudanda, immò uerò uituperanda planius intelligamus. Tametſi igitur permulta ſint ex his, quæ careant nomine, danda tamen opera eſt, ut eorum, quemadmodũ et aliorũ, nomina fingamus, tùm perſpicuitatis gratia, tùm ut aptior, ac facilior ſit ſeries orationis. In ueritate igitur is, qui mediocritatem tuetur ac retinet, uerax, & mediocritas ueritas appelletur: ſimulatio autem, quæ rem auget, & maiorem facit, arrogantia, & qui ea affectus eſt, arrogans: ea uerò, quæ de ſe detrahit, reiq; ueritatem extenuat, diſsimulatio: & qui ea uti ſolet, diſsimulator uocetur. In iucunditate porrò ea, quæ in ioco cernitur, is qui mediocritatem & modum ſeruat, facetus aut urbanus,

&

& affectio urbanitas nominetur: nimium, ſcurrilitas, & qui ea affectus eſt, ſcurra: qui modum deſerit, ruſticus, agreſtis, atque inſulſus, & habitus, ruſticitas atque inſulſiſitas. In *altera autem iucunditate ea, quæ in uitæ communione locum habet, is qui ſe ita iucundum præſtat, ut debet, amicus, & mediocritas amicitia nominetur: qui modum ſuperat, ſi nullo ſuo commodo adductus,* [39] *placendi ſtudioſus ſeu blandus: ſin ſuæ utilitatis cauſa, aſſentator: qui deſerit, ſeſeq; omnibus in rebus inſuauem atque acerbum præbet, is pugnax in contentionibus, difficilisq; nominetur.* A*tque etiam in perturbationibus, ijsq; rebus, quæ ad perturbationes pertinent, mediocritates inſunt.* V*erecundia enim non eſt illa quidem uirtus, ueruntamen laudatur is qui uerecundus eſt.* His *enim in rebus alius eſt medius is, quem modò diximus, alius qui modum ſuperat, tanquàm obſtupefactus atque animo perculſus, qui omni in re uerecundatur: qui autem modum deſerit, quemq; nihil omnino pudet, impudens: medius autem ille pudens ac uerecundus dicitur.* [40] I*ndignatio uerò mediocritas eſt inter inuidentiam & maleuolentiam malis alienis lætantem interiecta.* V*erſantur autem in moleſtijs ac uoluptatibus ob ea commoda ſuſceptis, quæ alteri obtigerunt.* N*am qui ad indignandum propenſus eſt, is dolet eorum rebus ſecundis, qui eis indigni ſunt:* I*nuidus hunc ſuperans rebus omnium ſecundis contabeſcit.* A*t maleuolus alienis malis lætans ex incommodis aliorum nō modò moleſtia ac dolore non afficitur, uerùm etiam uoluptate perfunditur.* S*ed de his quidem alibi ſuo loco ac tempore dicemus.* De *iuſtitia autem quoniam non ſimpliciter, nec uno modo dicitur, deinceps diuiſione eius in duas partes facta, quemadmodum*

dum ambæ ſint mediocritates,oſtendemus, itemq́; de uirtutibus ijs,quæ rationem attingunt, diſſeremus. Cùm ſint autem affectiones tres, nempe duo uitia, quorum alterum modum ſuperat,deſerit alterum, una uirtus, quæ mediocritas eſt: omnes inter ſe quodammodo pugnant. Nam extremæ et cũ media,et inter ſe pugnant,et cum extremis media.Quemadmodum enim ſi id quod æquale eſt,cum eo, quod minus eſt,comparetur, maius eſt; ſi cum maiore,minus: ſic medij habitus ſi cum ijs,qui modum deſerunt, comparentur, ſuperant: ſi cum ijs qui ſuperant,deſerunt,tùm in perturbationibus, tùm in actionibus. Fortis enim ad ignauum, audax, ad audacem ignauus,ac timidus uidetur. Similiterq́; temperans ad eum, quem ſenſus expertem diximus,intemperans: ad intemperantem ſenſus expers habetur. liberalis autem ſi cum illiberali conferatur, prodigus: ſi cum prodigo,illiberalis exiſtimatur. Iccircò medium uterque extremorum alter ad alterum propulſat, fortemq́; timidus audacem, audax timidum nominat: & ita peræqua proportione ſe res habet in alijs. Cùm hæc autem ita pugnent inter ſe, tùm maior extremorum inter ſe,quàm cum medio pugna eſt: quandoquidem longius abeſt alterum ab altero, quàm utrunque à medio: quemadmodum magnum à paruo, & paruum à magno longius remotum eſt, quàm utrunque ab æquali. Prætereà uerò quibuſdam extremis cum medio ſimilitudo quædam intercedere uidetur, ut audaciæ cum fortitudine, effuſioni cum liberalitate: extremis autem maxima eſſe inter ſe diſsimilitudo. At [41] ea quæ plurimùm diſtant inter ſe, definiuntur eſſe contraria. Itaque magis contraria ſunt, quæ longius inter ſe diſiuncta ſunt. Cum medio autem parùm in

non

non nullis magis pugnat,in quibuſdam nimium : ut fortitudini non audacia,quæ modum ſuperat,ſed ignauia quæ deſerit,maximè aduerſatur : at cum temperantia non [42] immanitas illa in uoluptatibus aſpernandis ſenſus expers, quæ modum deſerit, ſed intemperantia, quæ ſuperat, maximè pugnat. Quod quidem duabus de cauſis accidit: quarum altera ex ipſa re ducitur : nam quia propius abeſt alterum extremum à medio,eiq; ſimilius eſt, iccircò nõ hoc, ſed contrarium potius illi opponimus : uerbi gratia quoniam fortitudini ſimilior & propior eſſe uidetur audacia, diſsimilior ignauia, propterea hanc potius,quàm illam, ei opponimus. Quæ enim longius abſunt à medio, uidentur eſſe magis contraria. Atque hæc quidem cauſa ex ipſa re trahitur: altera eſt quæ à nobis ducitur. nam ad quæ uitia procliuiores ſumus natura,ea medio magis contraria uidentur eſſe : ut quia nos ad uoluptates natura finxit proniores, iccircò ad intemperantiam facilius, quàm ad temperantiam impellimur, ac prolabimur. Quapropter ea magis contraria dicuntur, [43] ad quæ progreſsio magis fieri ſolet. Atque ideò intemperantia, quæ nimius habitus eſt, temperantiæ contraria magis eſt, quàm alteri extremo. Virtutem igitur eam,quæ moralis appellatur, medium ſeu mediocritatem eſſe, & quo modo ſit mediocritas, ac duorum uitiornm eſſe mediocritatem, quæ ſunt nimium, & parum : talem denique eò eſſe, quòd eam mediocritatem, quæ in pertubationibus atque actionibus ineſt, ſibi propoſitam habeat, ut ſignum, ſatis demonſtratum eſſe arbitror. Quocirca difficile atque operoſum eſt, uirtute eſſe præditum. magni enim negotij eſt in una quaq; re medium conſequi, ut circuli punctum medium reperire

non

non cuius libet, ſed ſcientis atque intelligentis hominis eſt. Itemq́; iraſci, & pecuniam donare, & ſumptum facere, cuiuslibet hominis eſt, & facile: iraſci uerò & pecuniam donare, cui, & quantum, & quo tempore, & cuius rei cauſa, & quomodo iraſcendum ac donandum eſt, neque cuiuslibet hominis, neque facile eſt. Quæ[44] *quidem eſt cuiusq; rei abſolutio et perfectio, eaq; rara ac laudabilis eſt: omne aũt rarũ ac laudabile, p̃ræclarũ atq; honeſtũ eſt. Oportet igitur eum, qui mediũ ueluti collineando petit, primùm omniũ ſe ab eo, quod magis cõtrarium eſt, longißimè remouere, quemadmodum*[45] *et ſuadebat Calypſo. Tu procul à fumo & fluctu prohibeto carinam. Extremorum, enim alterum maius peccatum eſt, alterum minus. Quoniam igitur medium aſſequi ſummæ difficultatis eſt, ſecũda (ut aiunt) nauigatione, minima de malis. hoc autem ea ratione continget maximè, quam oſtendebamus. Videndum eſt autem ad quæ uitia ſimus proniores. Alij enim ad alia procliuiores ſumus natura. Quod quidem ex ea uoluptate & ægritudine qua afficimur, facilè cognoſci poterit. Sed nos ipſos ab ea in contrariam partem oportet abſtrahere. Nam cùm longißimè nos à peccato remouerimus, ad id quod medium eſt, ueniemus. Quod ſanè faciunt ij, qui ligna diſtorta dirigunt. In omni autem negotio quicquid iucundum eſt, ipſamq́; adeò uoluptatem ſummo ſtudio uitare oportet. Eius enim non incorrupti iudices ſumus. Quocircà quemadmodum erga Helenam ſenes illi fuerunt animati, ſic & nos oportet in uoluptatem animatos eſſe, rebusq́; omnibus illorum uocem ſubijcere, Attamen*[46] *& quamuis ſit talis, claſſe redito. Nam cùm eã ita amandabimus, miſſamq́; faciemus, leuius peccabimus.*

His igitur factis (ut eorum, quæ dixi, ſummam faciam) mediocritatem facilime aſſequemur. Eſt autem res ſanè difficilis & laborioſa, præſertim in rebus ſingularibus. Neque enim facile eſt diſtinguere quonam modo, quibus hominibus, quibus de cauſis, & quandiu ſit iraſcendum. Nos enim interdum eos homines, qui parùm iraſcuntur, laudamus, & lenes appellamus: interdum eos, qui grauiter ſuccenſent, animo uirili eſſe dicimus. At qui [47] paulum à perfectione deflectit, ſiue modum aliquantulùm ſuperet, ſiue aliquantulùm deſerat, non uituperatur, ſed is tantùm qui longiùs, quàm par ſit, ab eo diſcedit. Hic enim non eſt obſcurus neque ignotus. Quatenus autem, & quantùm iraſcatur is, qui uituperabilis eſt, non eſt facile oratione definire, ut neque aliud quicquam eorum, quæ ſenſibus ſubiecta ſunt. Quæ ſunt autem eiuſmodi, in rebus ſingularibus poſita ſunt, ac de ijs iudicat ſenſus. Hoc igitur [48] quod hactenus à nobis dictum eſt, oſtēdit ac declarat mediocrem habitum in omnibus eſſe laudabilem. Declinādum eſt autē nunc ad nimium, nunc ad id, quod eſt parum. Sic enim id quod medium & perfectum eſt, facilimè conſequemur:

LIBER

Liber tertius.

Cvm *igitur uirtus in perturbationibus & actionibus uerſetur: ijsq; rebus, quas* [1] *ſponte noſtra ſuſcipimus, laudes & uituperationes contingant, ijs autem quas inuiti facimus, uenia atque etiam interdum miſericordia tribuatur: fortaſſe nobis, qui uirtutis uim, naturamq; quærimus, neceſſe eſt id quod ſponte & id quod inuitè fit, definire, ac diſtinguere. Atque hæc oratio latoribus legũ quoque tùm ad honores benè meritis de rep. decernendos, tùm ad ſupplicia, in improbos conſtituenda, utilis eſt futura. Ea igitur ſuſcipere dicimur inuiti, quæ aut ui coacti, aut per inſcientiam agimus. Eſt autem id uiolentum, cuius principium extrà eſt, atque eiuſmodi, ut nihil adiumẽti afferat is, qui agit aut qui patitur: ut ſi quò uẽtus detulerit, aut ij homines, quorum ſub poteſtate ſumus. Quæcunque uerò maiorum malorum metu, uel honeſti alicuius cauſa fiunt, uerbi gratia, ſi quis tyrannus cuius in manũ parentum & liberorum uita poſita ſit, alicui ut turpe quippiã faciat, imperet, ita ut illi, ſi faciat, ſalui ſint: ſin minus, moriantur, utrùm hæc ſponte, an inuitè fiant, ambigi poteſt: eademq; de iacturis quæ orta in mari tempeſtate fieri ſolent, controuerſia eſſe poteſt. Simpliciter enim & abſolutè nemo ſua ſponte rerum ſuarum iacturam facit, ſed ſuæ ac ceterorum ſalutis cauſa, omnes faciunt, qui modo ſanæ mentis ſint. Mixtæ igitur ſunt tales actiones: ſed eis, quæ ſponte aguntur tamen, ſimiliores. ſunt enim optabiles & eligendæ tùm cùm aguntur. atqui actionis finis ex op*

portuni=

portunitate temporis ſpectandus eſt. Sponte igitur agi ali quid uel inuitè dicendum eſt, tùm cùm agitur. At ſponte agit. In eo enim eſt partium mouendarum earum, quæ inſtrumentorum locum obtinēt in huiuſmodi actionibus, principium. Quarum autem rerum in aliquo principia inſunt, earum agendarum, uel non agendarum, penes eum poteſtas eſt. Hæc igitur talia ſponte aguntur: ſimpliciter autem fortaſſis inuitè. Nemo enim quicquam tale ipſum propter ſe optauerit. Iam uerò in talibus actionibus homines laudibus efferuntur, cùm magnarum atque honeſtarum rerum cauſa turpitudinem aut moleſtiam aliquam ſubierint, ac pertulerint: & ſi aliter faciant, uituperantur. nam res turpiſſimas nullius honeſtæ rei, aut mediocris gratia, ſufferre, uitioſum eſt. Ac ſunt quædam, propter quæ laus quidem nulla tribuitur, ſed uenia datur duntaxat, cùm ea quis egerit, quæ non ſunt agenda ijs rebus compulſus, quæ humanam naturam ſuperant, quasq́; nemo perferre queat. Sunt autem fortaſſe nonnulla eiuſmodi, ut nulla ui aut neceſſitate coacti ea agere debeamus, potiusq́; nobis mors ſit oppetenda, grauiſſimiq́; cruciatus perferendi. Etenim ridicula uidentur ea, quæ Alcmæonem Euripidis, ut matrem interficeret, impulerunt. Difficile eſt autem interdum quid cui anteponendum ſit, quidq́; pro quo perferendum, iudicare. Difficilius uerò etiam eſt in eo, quod decretum ſit, perſtare, ac perſeuerare. Ferè [3] enim ea quæ expectantur, moleſta ſunt: ea autem ad quæ impelluntur homines, turpia. Hinc laudes & uituperationes eos, qui ad agendum neceſſitate coacti fuerunt, aut non, conſequuntur. Quænam igitur uiolenta ſunt dicenda? An ſimpliciter & propriè cùm cauſa in eis eſt, quæ ſunt extrà, & is, qui

agit, nihil operæ ad actionem confert? Quæ autem per ſe inuitè ſuſcepta ſunt, ſed hoc tempore, & in eorum locum optabilia, quorum denique principium eſt in eo, qui agit: per ſe quidem inuitè ſuſcepta ſunt, uerùm hoc puncto temporis, & in horum locum ſponte ſuſcepta, ijs autem, quæ ſponte ſuſcipiuntur, ſunt ſimiliora? Nam in rebus ſingularibus uerſantur actiones. At res ſingulares, ſponte geruntur. Quæ autem quibus optabiliora ſint, non eſt facile uerbis oſtendere. Multæ enim ſunt in rebus ſingularibus differentiæ. Quòd[4] ſi quis dicat ea quæ iucunda, & ea quæ moleſta ſunt, eſſe uiolenta: cogere enim cùm extrà ſint: hac ratione erunt omnia uiolenta. Horum enim gratia omnes agunt omnia: Et qui ui aliqua coacti atque inuiti agũt, moleſtè ferunt: qui[5] iucundo ad agendum inuitantur, cum uoluptate & iucundè agunt. Ridiculum igitur fuerit ea quæ extrà ſunt, accuſare, non ſeipſum potius, qui à talibus rebus facilè capiatur: & rerum quidem honeſtarum, in ſe ipſum; turpium in iucunda, cauſam conferre. Violentum igitur id eſſe uidetur, cuius principium extrà eſt, cùm id cui uis affertur, nihil operæ conferat. Quod autem[6] fit per inſcientiam, fit omne illud quidem non ſponte: ab inuito autem id ſanè fieri dicendum, quod ſubſequitur dolor, cuiusq; eum, qui egit, pœnitet. Nam qui per inſcientiam quidlibet egerit, neque ex ea actione dolore afficiatur, ſponte ille non egit, utpote quod neſciebat: neque rurſum inuitus, quippe qui dolore non afficiatur: Eorum igitur qui per inſcientiam agunt, is quem facti pœnitet, inuitus egiſſe uidetur: quem uerò non pœnitet, quoniam alius eſt ab illo, egiſſe non ſponte dicitur. Satius eſt enim hunc, quandoquidem differt ab altero, nomen proprium

prium habere. Aliud eſt autem per inſcientiam agere, aliud inſcientem. Ebrius enim aut iratus agere per inſcientiam non uidetur, ſed propter eorum aliquid, quæ dicta ſunt: nec ſciens, ſed inſciens, atque ignorans. Atqui ignorat [7] *ſanè improbus omnis, quænam ſint agenda, & à quibus abſtinendum, propterq; hoc adeò peccatum, homines efficiuntur iniuſti, & (ut ſemel dicam) mali. Actum* [8] *autem ab inuito dici debet, non ſi quis, quod expedit, neſciat: non enim ea inſcientia, quæ in conſilio uerſatur, cauſa eſt cur id quod agitur, actum eſſe inuitè dicatur, ſed improbitatis: neque rerum uniuerſarum inſcientia, quoniam hæc uitio datur, ſed rerum ſingularium, in quibus omnis actio uerſatur. In his enim uenia & miſericordia locum habent: & qui harum aliquam ignorat, inuitus agit. Sed non erit fortaßis incommodum quæ, & quot eæ ſint, diſtinguere. Hæ igitur res ſunt, quis, & quid agat, & in qua re uerſetur, aut inſit actio. Interdum uerò & quo ueluti inſtrumento, & cuius rei cauſa. Verbi gratia ſalutis: & quomodo, ut leniter, an uehementer. Hæc igitur omnia nemo ignorauerit, ſi modo non inſaniat. Perſpicuum uerò eſt neque eum qui agit ei ignotum fore. Quî enim ſe ipſum ignoret? ſed accidere poteſt, ut quis quid agat ignoret: Vt ij qui aliquid efferunt, aiunt* [9] *ſibi ex ore excidiſſe, aut ſe neſciuiſſe res eſſe tacendas ac reconditas, ut Aeſchylus myſteria, aut cùm* [10] *oſtendere uellet quiſpiam, de manibus amiſit. Vt is qui catapultam. Fieri autem poteſt ut aliquis uel filium hoſtem eſſe exiſtimet, ut Merope, & haſtam ſphære in modum eſſe obtuſam, quæ mucronem habeat acutum, & lapidem eſſe pumicem, & ut interficiat qui ſalutis cauſa uerberabat, & ut pulſet is, qui docere uelit*

lit: ut pugiles, qui ſummis manibus dimicant. Cùm in his igitur omnibus inſcientia uerſetur, in quibus actio conſiſtit, is qui eorum aliquid ignorabit, inuitus feciſſe uidebitur, ac multò quidem maximè in ijs quæ principem locum obtinent, ea autem principem locum uidētur obtinere, in quibus & actio conſiſtit, & id, cuius gratia actio ſuſcipitur. Cùm igitur ex tali inſciētia inuitè factum nominetur, tùm prætereà eam iniucundam ac moleſtam eſſe oportet, eiuſq; illum qui agit, pœnitere. Quoniam autem id inuitè factum dicitur quod uel uiolētum, uel per inſcientiam admiſſum eſt: ſponte factum eſſe uideri poßit id, cuius principium eſt in eo, qui agit, res ſingulares eas, in quibus actio conſiſtit, non ignorante. Fortaſſe enim non rectè illud dicitur ea eſſe inuitè facta, quæ uel ira, uel cupiditate hortāte fiunt. Nam primùm ſi hoc ita erit, nullum aliud animal ſponte aget, ac ne pueri quidē. Deinde nihil ne eorum quæ ira, uel cupiditate incitati agimus, ſponte agimus? an uerò honeſta ſponte, turpia inuiti? nonne hoc fuerit ridiculum, cùm præſertim una ſit utrorumq; cauſa? Abſurdum uerò fortaſſe etiam fuerit ea inuitè facta dicere, quæ ſunt appetenda: Atqui & ob aliquas cauſas iraſcendum eſt, & quædam ſunt cupienda, ut bona ualetudo, & doctrina. Iam uerò quæ inuitè fiunt, moleſtiam: quæ ex cupiditate uerò, uoluptatem uidentur afferre. Prætereà [12] uerò quamobrem ea peccata, quæ ira commiſſa ſunt, ab ijs, quæ ratione peccantur, eo differant quòd inuitè facta ſint? utraq; enim ſunt fugienda. Neque uerò perturbationes rationis expertes minus humanæ uidentur eſſe. Actiones autem hominis tùm ab ira, tùm à cupiditate naſcuntur. Abſurdū igitur fuerit hæc in ijs, quæ inuitè fiunt, numerare.

Diſtinctis

Diſtinctis igitur iis quæ ſponte & quæ inuitè fiunt, ſequitur ut de conſilio dicamus. Nam & uirtuti coniunctiſſima res eſt, & ab eo magis quàm ab actionibus, mores diiudicari uidentur. Ac uidetur ſanè conſilium, quiddam eſſe ſponte ſuſceptum, non tamen eſt idem: ſed id quod ſponte fit, latius patet. Eius enim quod ſponte fit & pueri ſunt participes, & reliqua animalia, ſed non conſilii Ac repentina quidem ſponte noſtra ſuſcipi interdum dicuntur: conſultò autem nequaquam. Qui dicunt autem conſilium eſſe cupiditatem, aut iram, aut uoluntatem, aut opinionem aliquam, ſanè mihi non ſatis rectè dicere uidentur. Conſilium enim non eſt eorum commune, quæ ſunt rationis expertia: Cupiditas autem & ira maximè: Præterea incontinens à cupiditate impulſus agit, non conſilio capto: continens contrà conſilio capto, non cupiditate impulſus. Et conſilio contraria eſt cupiditas: cupiditati autem cupiditas nequaquam. Tùm [13] cupiditas & iucundi eſt, & cum moleſtia coniuncta: Conſilium, neque iucundi, neque cum moleſtia coniunctum. Multo autem minus ira eſt. Nam quæ per iram fiunt, conſilio minimè conſentanea eſſe uidentur. Neque uerò uoluntas eſt, etiam ſi ei finitimum eſſe uideatur. Conſilium enim nõ eſt eorum, quæ fieri non poſſunt: & ſi quis dicat ſe talium rerum agendarum conſilium cepiſſe, ſtultus eſſe uideatur. Voluntas autem etiam eorum eſt, quæ contingere poſſunt nemini; uerbi gratia immortalitatis. Præterea uoluntas etiam ad ea pertinet, quæ nullo modo is qui uult, per ſe agere poſſit: ut ſi quis uelit hiſtrionem illum uel athletam ſuperiorem diſcedere. At nemo talium rerum conſilium capit, ſed earum duntaxat, quas per ſe effici poſſe arbitratur. Præterea uo-

luntas eſt ultimi, ac finis: conſilium autem eorum, quæ ad finem pertinent: uerbi gratia benè ualere uolumus, conſilium autem capimus eas res adhibere, quibus bene ualeamus. Et *beati eſſe uolumus, atque hoc nos uelle dicimus: ſed conſilium nobis captum eſſe, ut beati ſimus, neq; dicimus,* [14] *neque conuenit ita loqui.* Omninò *enim conſilium ad eas res pertinet, quæ ſunt in noſtra poteſtate.* Ne*que uerò erit opinio.* Ad *omnia enim pertinere uidetur opini o, nec minus ad ea, quæ æterna ſunt, quæq; à nobis fieri non poſſunt, quàm quæ in nobis ſita ſunt.* Præterea *uero, & falſo diuiditur, ac diſtinguitur opinio; non bono ac malo:* At *conſilium his potius, quàm illis.* Omninò *igitur idem quod opinionem eſſe conſilium, fortaſſe ne dicere quidem quiſquàm conabitur, ac neque idem quod quandam* [15] *opinionem.* Nam *eo quòd conſilium nobis captum ſit, ut bona uel mala ſequamur, cuiuſdammodi* [16] *ſumus, ſed eo quòd opinemur, non item.* Et *conſilium capimus uel adipiſcendi, uel fugiendi, uel tale quiddam faciendi.* Opina*mur autem quid ſit, aut cui conducat, aut quemadmodum: adipiſci certè aut fugere non admodum opinamur.* Et *conſilium eò laudatur, quòd eius rei* [17] *ſit quæ agenda eſt, uel quòd rectè conſilium captum ſit: at opinio quòd uerè quis opinetur.* Pr*æterea conſilium capimus earum rerum agẽdarum, quas maximè exploratum habemus eſſe bonas: ſed ea opinamur, quæ non admodum nobis nota, nec explorata ſunt.* Po*ſtremò non ijdem uidentur de rebus optimis cõſilium capere, atque opinari: ſed nonnulli melius opinantur, uerùm animi uitio corrupti ea, neque ſequuntur, neque ſumunt, quæ ſequi, ac ſumere oportet.* Vtr*ùm uerò opinio conſilium antecedat, an ſubſequatur, nihil refert.* Non *enim nobis*

nobis propoſitum eſt hoc conſiderare: ſed utrùm idem ſit, atque aliqua opinio. Quænam igitur aut qualis res eſt, quandoquidem nihil eſt eorum, quæ ſuprà dicta ſunt? Et ſanè uidetur quiddam eſſe, quod ſponte fiat: uerùm non quicquid ſponte fit, de eo conſilium captum eſt, ſed id utique de quo prius conſultatum eſt. Conſilium enim cum ratione, & cogitatione coniunctum eſt: quod quidem nomine ipſo apud græcos ſignificatur. προαιρετὸν *enim illi appellant tanquàm præ ceteris optabile, & ſumendum.*

Sed utrùm conſultant de omnibus rebus homines, omniaq; in conſultationem cadunt: an de quibuſdam conſultari non ſolet? Ac fortaſſe id quidem in conſultationem uenire dicendum eſt, non de quo ſtolidus aliquis, aut inſanus conſultauerit, ſed de quo is, qui mentis eſt compos. De rebus æternis autem conſultat nemo: ut de mundo, de diametro & latere, quoniam nulla dimenſione inter ſe conuenire poſſunt: neque de ijs, quæ cùm perpetuò moueantur, eodem ſemper modo fiunt, ſiue neceſsitate, ſiue natura, ſiue propter aliquam aliam cauſam: ut de ſolis conuerſionibus, ortuq; ſolis uario ac multiplici: nec de ijs, quæ alias aliter fiunt, ut de ſiccitatibus, & imbribus, neque de ijs, quæ fortuitò eueniunt, ut de theſauri inuentione, immò ne de omnibus quidem rebus humanis, uerbi gratia, quemadmodum Scythæ optimè ſuam remp. adminiſtrare poſsint, Lacedemoniorum conſultat nemo. Nihil enim horum per nos effici poteſt. At de ijs conſultamus, quæ cùm ſub actionem cadant, tùm in noſtra poteſtate ſunt. Hæc autem ſunt reliqua. etenim [18] rerum omnium cauſæ uidentur eſſe, natura, neceſsitas, fortuna: adde prætereà mentem, & [19] quicquid per hominem agit. ſinguli autem homines de

ijs conſultant ac deliberant, quæ ab ipſis agi poſſunt, neq; uerò in ſcientijs exquiſitis, ſuaq; ui contentis, conſultationi locus eſt: uerbi gratia, de literis non conſultamus. non enim quomodo ſcribendum ſit, ambigimus: ſed de ijs quæ tametſi opera noſtra fiant, non tamen ſemper eodem modo fiunt: ut de ijs quæ ad medicinam, & ad artem [20] pecuniæ quærendæ pertinent: & in arte gubernandarum nauium, potius quàm in ratione corporum exercendorum dubitare ſolemus, quanto minus illa, quàm hæc enucleatis, & exquiſitis præceptionibus abſoluta eſt: & præterea item de reliquis. Magis autem in artibus, quàm in ſcientijs conſultationi locus eſt. In ijs enim ſæpius ambigere ſolemus. Conſultandi autem ratio in ijs uerſatur, quæ plerunque uſu ueniunt, cùm eorum exitus incertus ſit, & in quibus nihil eſt definiti. Porrò ad res magnas conſiderandas alios in conſilium adhibemus, nobis ipſis diffidentes, quaſi minus ad eas diſpiciendas ac dijudicandas idoneis. Conſultamus autem non de finibus, ſed de ijs, quæ ad fines pertinent. Neque enim aut medicus an [21] ſanaturus ſit, conſultat: aut orator, an perſuaſurus, aut uir ad remp. adminiſtrandam aptus, an bonas [22] leges conditurus: aut alij denique artifices de ſuis finibus deliberant, ſed omnes propoſito ſibi certo aliquo fine, quemadmodum, et quibus rebus cum poſſint aſſequi, cogitant. Ac ſi compluribus modis, ac rationibus id quod uolunt, confici poſſe uideatur, qua facilimè & optimè confici poßit, inſpiciunt: ſin autem una ratione commodè poßit abſolui, qua uia ad illam perueniant, & qua ad hanc, eò usque dum ad primam cauſam peruenerint, quæ inuentione eſt ultima. Qui conſultat enim, is inquirere ac retexere ueluti deſcriptionem [23] quandam mathe=

mathematicam uidetur, quemadmodum dictum eſt. Sed illud certè apparet non omnem quæſtionem eſſe conſultationem, ut ſunt quæſtiones mathematicæ: conſultationem uerò omnem eſſe quæſtionem, Illud etiam planum eſt, quod eſt retexenti poſtremum, id eſſe agenti primum. Quòd ſi ij qui acturi ſunt, in aliquid inciderint, quod fieri nequeat, ueluti ſi pecunia ſit opus, eiusq; expediendæ nulla ratio inueniri poßit, tùm ab eo quod inſtituerunt, deſiſtunt: ſin autem alicunde ſuppeditari poſſe uideatur, tum ad agendum aggrediuntur. Fieri autem poſſe dicuntur ea, quæ noſtra opera effici poſſunt. nam quæ amicorum ſtudio & cura tranſiguntur, noſtra opera quodammodo fieri uidentur. Principium enim in nobis eſt. Quæruntur autem aliquando inſtrumenta, aliquando eorũ uſus, itemq; in reliquis: interdum cuius opera, aliquando quomodo, aut qua uia res explicari poßit. Ac uidetur ſanè homo, quemadmodum dictum eſt, actionum eſſe principium. Habetur autem conſilium ijs de rebus, quæ à quoq; agi poſſunt. At actiones aliarum rerum cauſa ſuſcipiuntur. De fine igitur conſultari non poteſt, ſed de ijs quæ ad fines pertinẽt: neque de rebus ſingularibus, uerbi gratia ſit ne hoc panis, aut ſit ne ita coctus, ut [24] oportet. Hæc enim ſenſu iudicantur. Quòd ſi ſemper conſultauerit, abibit in infinitum. Id autem de quo conſultatur, & id de quo conſilium captum eſt, eadem ſunt inter ſe, niſi quòd definitum iam ac deciſum eſt id, de quo conſilium capitur. Quod enim conſultatione adhibita reliquis præpoſitum eſt, id eſt de quo conſilium captum eſt. Nam quemadmodum ſit quiſque acturus, tum quærendi finem facit, cum principium [25] ad ſe ipſum, & ad eam ſui partem, quæ præeſt, atque imperat,

reuocarit. Hæc *enim*[26] *eſt quæ conſilium capit. Quod ex ueteribus quoque reip. ſtatibus, quos* Homerus *imitabatur, perſpici poteſt. nam quibus de rebus reges conſilium ceperant, eas populo renuntiabant. Quoniam autem id dē quo conſilium capitur, ſub deliberationem, appetitionemq́; earum rerum, quæ in nobis ſitæ ſunt, cadit: conſilium erit earum rerum quæ in noſtra poteſtate ſunt, appetitio ad conſultationem accommodata.* Nam *po ſteaquàm conſultatione adhibita iudicauimus, tùm ei conſultationi conuenienter appetimus.* Ac *conſiliū quidem quid ſit, quibusq́; in rebus uerſetur, earum denique rerū eſſe, quæ ad fines pertinent, ſic à nobis ueluti adumbrādo expoſitum ſit.* V*ltimi autem ſeu finis potius eſſe uoluntatem dictum eſt. ſed alij eius eſſe quod bonum eſt, alij eius quod uidetur bonum, exiſtimant:* Atqui[27] *eorum oratione, qui id quod ſub uoluntatem cadit, dicunt eſſe uerū bonum, euenit ut id quod uult is, qui minus rectè eligit, nō cadat ſub uoluntatem.* Nam *ſi ſub uoluntatem cadet, erit & bonum: at erat, ſi caſus ita tulit, malum.* Eorum *aūt ſententia, qui id quod ſub uoluntatem cadit, ſpecie duntaxat bonum eſſe dicunt; nihil erit quod ſub uoluntatem cadat natura, ſed quod cuiq; uidebitur.* Atqui *aliud alij uidetur, & ſi cauſa ita tulerit, etiam contraria. Quòd ſi hæc minus probanda ſunt, dicendum eſt ergò abſolutè & re uera ſub uoluntatem cadere uerum bonum, ſed ſub cuiusq; uoluntatem cadere id, quod ſpeciem boni habeat. uiro bono igitur id erit uoluntati*[28] *optabile, quod re uera bonū eſt: uitioſo autem quicquid forte oblatum fuerit.* Vt *corporibus benè conſtitutis ſalubria ſunt ea, quæ re uera talia ſunt: morboſis autem & ægris alia, itemq; amara, dulcia,*

cia,calida,grauia,& ceterorum ununquodq;. Nam & ueré de ſingulis rebus iudicat uir bonus, & ei ſtatim quod in quaq; re ueri eſt, elucet. Ex unoquoque enim habitu propria ſibi quiſque honeſta & iucunda fingit. atque eo ipſo fortaſſe longe præſtat reliquis uir bonus, quòd ſingulis in rebus uerum perſpiciat, quaſi earum norma ſit ac menſura. Multitudini autem fucum facere uidetur uoluptas, quippe quæ cùm bonum non ſit, boni ſpeciem præ ſe ferat. Itaque iucundum ſequitur, ut bonum: dolorem autem fugit, ut malum. Quoniam igitur finis ſub uoluntatem cadit, de ijs autem quæ ad finem pertinent, & conſultari & conſilium capi poteſt, conſequens eſt ut quæ in eis uertuntur actiones, & conſilio conſentaneæ ſint, & ſpōte obeantur. At functiones & munera uirtutum in his uertuntur. Iam & uirtus & uitium pariter in noſtra poteſtate ſunt. Quas enim res agere in nobis ſitum eſt, eaſdem nō agere poſſumus: & quas non agere in nobis ſitum eſt, earundem quoque agendarum poteſtas noſtra eſt. itaque
29 *ſi quid agere, quod honeſtum actu ſit, in nobis ſitum eſt, non agere quoque cum id non agere turpe ſit, in nobis erit ſitum; & ſi non agere, quod non agere honeſtum ſit, in noſtra poteſtate eſt, agere quoque quod actu turpe ſit, in nobis erit ſitū. Quòd ſi honeſta et turpia agere noſtri arbitrij eſt, ſimiliterq; non agere: hoc aūt erat bonos et malos eſſe: noſtri quoque arbitrij erit profectò ut probi & improbi ſimus. Iam quod dicitur, Spōte* 30 *improbus nemo, nec inuitus beatus ullus eſt: illud quidem falſum, hoc autem uidetur eſſe uerum. Nam ut inuitus beatus eſt nemo, ſic uitioſitas ſpōte noſtra contrahitur: alioqui ea quæ iā nunc dicta ſunt, erunt in dubium & controuerſiā uocāda, negan=*

dumq;

dumq; erit hominem eſſe principium ac parẽtem actionũ, tanquam liberorum. Quòd ſi hæc nobis probantur, & uera eſſe patet, neque eas poßumus ad alia principia, capitaq; præter quàm ad ea, quæ in nobis inſunt, reuocare, profectò quarum rerum principia in nobis inſunt, eæ res quoque in nobis ſitæ ſunt, noſtraq; ſponte ſuſcipiuntur. Teſtimonio ſunt his cùm ea quæ priuatim à ſingulis, tùm ea quæ publicè à latoribus legũ fieri ſolẽt, qui eos oẽs, qui res flagitioſas, atque improbas admittunt, caſtigant, ſuplicioq; afficiunt, ſi modo non per uim aut per inſcientiam, quæ non ipſorum culpa contracta ſit, admiſerint: eos autem qui res honeſtas & præclaras gerunt, honoribus & præmijs ornant, quaſi hos excitaturi, illos à maleficio deterrituri. Atqui ad eas actiones excitatur nemo, quæ neque in nobis poſitæ ſunt, neque ſponte noſtra obeuntur, perinde quaſi nihil profuturum ſit perſuaſum nobis eſſe, ut ne uel caleamus, [31] uel doleamus, uel eſuriamus, uel aliquid aliud tale. Nihilo enim minus ea feremus. nam etiam propterea quòd ignoratum ſit, caſtigant latores legum, ſi quis ſibi ipſe ſuæ inſcientiæ cauſa eſſe uideatur: Verbi gratia in ebrios duplex pœna conſtituta eſt. Principiũ enim in ipſis eſt. Nam ſitum in eis erat ne ebrij fierent. Ebrietas autem cauſa inſcientiæ eſt. Præterea in eos, qui aliquid ignorant eorum quæ legibus cauta ſunt, cùm & ſciẽda, neque cognitu difficilia ſint, animaduertunt, itemq; fit in ceteris quæ negligentia ſua uidentur ignorare, cùm liceat ipſis non ignorare. Poterant enim ſibi, ut diligẽtiam adhiberent, imperare. ſed eiuſmodi eſt aliquis fortaſſe, ut diligentiam adhibere non poßit. Verùm cur tales extiterint, cauſam ipſi ſuſtinent, quippe qui negligenter ac diſſo-

lutè

lutè uiuant, & cur iniuſti atque intemperantes ſint, cauſa in ipſis conſiſtit, utpotè quorum alteri in maleficijs, alteri in compotationibus & id genus delicijs ætatem conſumant. Nam quales ſunt in quaque re collocatæ actiones, tales eos qui agunt, efficiunt. Quod ex ijs perſpicuum eſſe poteſt, qui ſe in quouis certamine aut actione exercēt. Nunquàm enim certare, atque agere intermittunt. Ignorare igitur è ſtudijs & actionibus in quaq; re poſitis, habitus gigni, hominis eſt ſenſu ferè carentis. Præterea hoc ipſum certè à ratione alienum eſt eum qui iniuſtè alterum lædat, iniuſtum, & qui intemperanter uiuat, intemperātem effici nolle. Atqui ſi quis ſciēs eas res agat, quibus euadat iniuſtus, ſponte ſua profectò efficiatur iniuſtus. Neque ſi uelit tamen, eſſe deſinat iniuſtus, & iuſtus ſit. Nam ne æger quidem ſanus [32] ac firmus ſit, cum uoluerit, etiam ſi forte ſponte ſua ægrotet, quippe qui & incōtinenter uiuat, & medicorum imperium, conſiliumq; aſpernetur. Tunc igitur ei integrum erat in morbum non incidere. At poſteaquàm ſeſe effudit, ac proiecit, non iam eſt integrum: quemadmodum nec is qui lapidem miſit, retrahere eum iam poteſt. erat tamen in eius poteſtate in manum [33] ſumere ac iacere. Principium enim in ipſo eſt. ſic & iniuſto atque intēperanti homini ab initio licebat talibus nō eſſe. iccircò ſua uoluntate tales ſunt; poſteaquàm uerò tales facti ſunt, non poſſunt non eſſe. Non ſolùm autem animi uitia ſponte contrahuntur, ſed in nonnullis, etiam corporis: quos ſanè reprehendere ſolemus. Nam qui ſunt deformes natura, eos reprehendit nemo, ſed eos demùm, qui propterea quòd exercitationes corporis prætermittunt, et ualetudinem non curant, id mali contraxerunt. Eadem eſt

im-

imbecillitatis, [34] deformitatis & debilitatis ratio. Nemo *enim cæcitatem ei, qui uel natura, uel morbo, uel ictu aliquo cæcus ſit, probri loco obijcit: quin eius miſeretur potius: ſed qui ex ebrioſitate, aut aliqua alia intemperantia cæcitatem contraxerit, eum nemo eſt qui non reprehenſione dignum duxerit. Quæ ergo uitia corporis in noſtra poteſtate ſunt, reprehenduntur: quæ non ſunt, non reprehenduntur. Quod ſi ita eſt, in ceteris quoque rebus omnibus ea quæ reprehenduntur uitia, in noſtra poteſtate eſſe uidebuntur. Quòd ſi quis dixerit id quenq; expetere quod ſibi uideatur bonum, uerùm non in cuiuſque poteſtate [35] uiſionem eſſe ſitam, ſed qualis quiſque ſit, talem ei finem uideri: immò uerò ſi ſibi quiſque ingenerandi habitus quodammodo cauſa eſt, erit & uiſionis profectò ſibi ipſe quodammodo cauſa: Sin autem [36] maleficij admittendi ſibi cauſa eſt nemo, ſed ignoratione finis in maleficio quiſque uerſatur exiſtimans hoc genere uitæ ſe maximo bono potiturum, & ſi [37] appetitionem finis nemo ſibi ſuo arbitratu [38] adoptare poteſt, ſed ita natus quiſque ſit oportet, ut quaſi aciem habeat, qua & rectè iudicare, & id, quod uerè bonum eſt, ſumere atque optare poßit, & ſi is eſt benè [39] informatus à natura, cui hoc naturæ beneficio benè conſtitutum eſt (rem.n. maximam & pulcherrimam, quamq; ab alio neque conſequi, neque diſcere poßit, ſed qualiſcunque à natura facta eſt, talem obtinebit, eamq; benè & pulchrè à natura factam, & compoſitam eſſe, ea demum perfecta & uera fuerit naturæ bonitas) ſi igitur hæc uera ſunt, quamobrem uirtus magis quàm uitium noſtra ſponte ac uoluntate ſuſcipietur? utrique enim & uiro bono & improbo homini*

uel

uel natura, uel quolibet alio modo finis & uidetur & [40]
poſitus eſt: reliqua uerò omnia in agendo quoquo modo
illi agant, eò referunt. ſiue igitur finis cuique non natu=
ra, qualiſcunque ille ſit, uidetur, ſed aliquid etiam [41] eſt
penes eum qui agit, ſiue, ut finis naturalis ſit, eò tamen
quòd uir bonus reliquas res ſua ſponte gerit, uirtus ſpon=
te ſuſcipitur: nihilominus profectò uitium quoque ſponte
contrahetur. Aequè [42] enim in homine malo ut in bono ui
ro ineſt hoc, ut per ſe agere poßit, etiam ſi minus inſit, ut
finem per ſe uidere poßit. Si igitur quemadmodum dici=
mus, uirtutes ſponte noſtra comparantur(etenim habituũ
cauſas ipſi adiuuamus, ex eoq; quòd ſic, uel ſic affecti ſu=
mus, talem nobis finem proponimus) profectò uitia quoque
ſponte noſtra contrahentur. Similis enim utrorumque ra=
tio eſt. Ac de uirtutibus quidem uniuersè à nobis dictum
eſt: earum genus rudi quadam imagine informatum atque
adumbratum eſt, nimirum eſſe mediocritates, & habitus,
& à quibus [43] rebus gignuntur ij habitus, etiam ad eas
res agendas ualere, idq; per ſe: & eſſe in nobis ſitos, & no
ſtra ſponte ſuſcipi, & ita, ut recta ratio præſcripſerit. Sed
aliter actiones noſtra uoluntate ſuſcipi dicuntur, aliter ha=
bitus. Actionum enim à principio ad extremum, domini
ſumus, cum rerum [44] ſingularium cognitionem habemus:
habituum uerò principium dũtaxat in noſtra poteſtate eſt.
at rerum ſingularium acceßio nota non eſt: ut in morbis
euenit; uerùm quia ſic, aliterue tractare res ſingulares no
bis licebat, iccircò habitus noſtra ſponte ſuſcipi dicuntur.
De ſingulis igitur uirtutibus diſputationẽ à capite repeti=
tam ordiamur, quæ, qualibus in rebus uerſentur, & quo=
modo ſint uirtutes. Eodem uerò negotio quot ſint numero
uirtu=

uirtutes, planum fiet. Ac primùm de fortitudine dicamus.

Fortitudinem igitur eſſe mediocritatem quæ in formidine & fiducia uertitur, iam anteà diximus. Timemus autem nimirum ea omnia, quæ exterrent, quæ uno uerbo mala ſunt. Itaque metum definiunt mali expectationem. Ea igitur metuimus omnia, quæ mala ſunt, ut infamiam, paupertatem, morbum, ſolitudinem, [45] uitamq; ſine amicis, mortem. Non tamen uidetur in his omnibus contemnendis uir fortis uerſari. Aliqua ſunt enim pertimeſcenda, eaq; & pertimeſcere honeſtum, & contemnere turpe eſt, ut infamiam. Nam qui eam metuit, is & probus eſt, & pudens; qui uerò non metuit, impudens. Sed is à nonnullis fortis appellatur, ex quadam ſermonis translatione, quoniam quiddam habet forti ſimile. ab omni enim metu liber, & ſolutus eſt etiam uir fortis. Paupertatem uerò pertimeſcere fortaſſe non oportet, neque morbum, neq; ea omnia, ut ſemel dicam, quæ neque à uitio naſcuntur, neque culpa noſtra contrahuntur. At neque is, qui in his ſe à metu uacuum præſtiterit, fortis eſt dicendus. Fortem tamen hunc quoque ex ſimilitudine quadam dicimus. Nõnulli enim cùm in belli periculis timidi ſint, atque ignaui, liberales ſunt tamen, & in pecunia amittenda [46] fidenti ac præſenti ſunt animo. Neque igitur ſi quis contumeliam in liberos & uxorem extimeſcit, uel inuidiã, uel aliquid eius generis, ignauus eſt: nec fortis is qui animo confidat tùm cùm ſe fuſtibus uerberatum iri uideat. Quibus ergo in rebus formidoloſis uir fortis cernitur? nõ ne in maximis? nec enim quiſquam res horribiles, & aſperas patientius tolerat. Omnium autem rerum nihil horribilius morte eſt. nam omnium rerum eſt extremum: nihilq; reliquum eſſe

mortuo

mortuo uidetur neque bonum, neque malum. ſed non in omni mortis genere uir fortis cernitur. ut ſi quis uel in mari naufragio pereat, uel morbis conficiatur. In quonam igitur? nōne in eo quod pulcherrimum eſt? At tale eſt id quod in bello oppetitur. Maximum enim & pulcherrimum in eo periculum aditur. Teſtantur & comprobant hæc, quæ dicimus, honores ij qui & in liberis ciuitatibus, & apud reges eis, qui bello ceciderint, decernuntur. Quocircà fortis propriè uideatur is, qui nec morte honeſta, nec ijs impendentibus atque inſtantibus, quæ mortem afferunt, perterretur: cuiuſmodi ſunt ea maximè, quæ in bello accidunt. Veruntamen tum in mari, tum in morbis uir fortis uacuus eſt ille quidem à metu, ſed non ita ut nautæ. Fortes enim cùm de ſalute ſua deſperent, tùm genus hoc mortis ægrè ferunt: nautas uſus & experientia confirmauit, beneq́; ſperare docuit: ſimulq́; illi fortem animum præſtant ijs in rebus, in quibus aut uiribus opus eſt, aut excedere de uita eſt honeſtum: quorum neutrum in his generibus interitus reperitur. Horribile aūt nō omnibus unū & idē eſt, eſtq́; aliquid quod hominis cōſtantiā ſuperat, quod profectò omnibus qui ſanæ mentis ſunt, terrorem inijcit. Quæ autem homini [47] tolerabilia ſunt, ea magnitudine differunt, eoq́; quòd alia grauiora ſunt, alia leuiora: itemq́; ea quæ fiduciam afferant. Cùm ſit autem uir fortis [48] imperterritus, atque impauidus, ut homo, hæc talia quoque pertimeſcet tamen, ſed ita, [49] ut oportet, & ut ratio poſtulat, ſubibit ac perferet honeſti cauſa. Hic enim uirtutis finis eſt. Fieri autem poteſt, ut hæc quis & magis, & minus, quàm debet, extimeſcat, & præterea ut quæ non ſunt formidoloſa, perinde ac ſi talia ſint, me-

tuat. Peccata autem committuntur alia quòd id agitur quod non oportet, alia quòd non ut oportet, alia quòd non quo tempore oportet, aut aliquid huiuſmodi. Idem & de ijs quæ fiduciam afferunt, ſentiendum. Qui igitur ea quæ debet, et cuius rei cauſa debet, et ut debet, perfert, et metuit, fortis eſt. itemq́; & qui confidit. Nã pro rei [50] dignitate, & quo tempore par eſt, & ut ratio poſtulat, patitur et agit uir fortis. Omnis [51] autem actionis finis eſt id quod habitui conuenit. At uiro forti fortitudo honeſtum quiddam eſt. Talis igitur eſt & finis. ſuo enim quicque fine definitur ac terminatur. Honeſti igitur cauſa uir fortis & ſuffert, & agit omnia quæ fortitudini conſentanea ſunt. Ex ijs autem qui modum ſuperant, is qui metus uacuitate ſuperat, caret nomine. Eſſe autem multa quibus impoſita nomina non eſſent, ſuprà diximus: ſed appellari poterit uel inſanus quidam, uel doloris omnis expers, ſi nihil metuat, neque terræ motum, neque procellas, quales aiunt eſſe Gallos. Qui autem in eo modum ſuperat, quòd in rebus formidoloſis præfidat, audax eſt. Atque etiam idem arrogans eſſe, ſibiq́; fortitudinis laudem ſumere uidetur. itaq; quo ille animo eſt in rebus formidoloſis, eodem uult hic uideri. Quibuſcunque igitur rebus poteſt, eum imitatur. ita fit etiam ut plerique eorum timiditatem habeant cum audacia coniunctam. Nam cum in his ſe iactent, res formidoloſas tamen neque audent ſubire, neque poſſunt perpeti. At qui metuendo modum ſuperat, is ignauus, timidusq́; nominatur. nam & quæ metuenda non ſunt, & quemadmodum non ſunt, metuit: omniaq́; eiuſdem generis eum comitantur. In fidendo quoque modum deſerit: ſed ubi in doloribus ac moleſtijs modum ſuperat, magis ſeſe indicat

ac

ac prodit. omni igitur ferè ſpe deſtitutus eſt ignauus. O*mnia enim pertimeſcit: fortis uerò contrà. hominis eſt enim bona ſpe freti, beneq́; ſperantis confidere.* In *iiſdem igitur* [52] *rebus timidus, audax, & fortis uerſantur. ſed nõ eodem modo in eas affecti ſunt. Illi enim modum tranſeunt ac deſerunt, hic mediocritatem ſeruat, ſeſeq́; in his ita ut debet, gerit.* Atque *audaces ſanè præproperi ſunt, ac præcipites, periculumq́; antequàm in periculo uerſentur, adire uolunt, in ipſo autem periculo ſunt tardiores, & à ſententia deſiſtunt.* At *uiri fortes in factis ipſis acres ſunt, & celeres: ante facta ſedati & quieti.* Q*uapropter fortitudo (ut dixi) mediocritas eſt quæ uerſatur cùm in eis quæ fiducia complent animos, tùm in ijs quæ terrorem afferũt, non omnibus, ſed ijs quæ ſuprà diximus, eaq́; ſumit, ac perfert, uel quia perferre honeſtum, uel quia non perferre turpe eſt.* S*ibi autem ipſum mortem conſciſcere fugiẽtem uel paupertatem, uel amorem, uel ægritudinem aliquam, uiri fortis non eſt, ſed ignaui potius.* M*ollis enim animi eſt res erumnoſas & laborioſas fugere.* P*ræterea non ob id quòd honeſtum ſit, ſed quòd malum fugere ſtudeat, mortem ſubit ac perfert.* A*c fortitudo quidem talis quædam res eſt.* E*ius autem & alij quinq́; modi feruntur, quorum primus eſt eius quæ ciuilis appellatur. ad illam enim quæ uerè & propriè fortitudo eſt, proximè uidetur accedere.* V*identur enim ciues pericula ſubire cùm legitimis pœnis atque ignominijs compulſi, tùm honoribus ac præmijs inuitati: atque ob eam cauſam apud eos maximè uiri fortiſſimi reperiuntur, apud quos & infamia notantur ignaui, & honore afficiuntur uiri fortes.* A*c tales quidem facit* Homerus *uerbi gratia* Diomedem & Hectorem.

Primus Pulydamas *turpi me labe notabit*. Et Diomedes. *Nam Teucrorum inter ſic* Hector *agmina dicet*, Tydides *à me*. *Hæc autem ſimilima uidetur ei quæ primo loco à nobis poſita eſt, quoniam eius effectrix uirtus eſt*. Pudor *enim & honeſti appetitio uidelicet honoris, & dedecoris,quod turpe eſt,fuga,eam efficiunt*. Eundem *autem in numerum referre licet eos qui ab ijs,quorum ſub imperio ſunt,fortes eſſe coguntur. ſed illis hi ſunt eo deteriores, quòd non pudore,ſed metu adducti id faciunt, nec eò quòd turpitudinem, ſed quòd dolorem fugiant*. Cogunt *enim ij penes quos eſt poteſtas, ut* Hector, *Quem procul à pugna ſeſe ſubducere cernam*, Non *tamen hic auium atque canum minus eſca iacebit*. *Cogunt* [53] *etiam ij qui in primo ordine locant, & ſi retrocedant illi, uerberant.idẽ faciunt et qui ante foſſas & alias huius generis munitiones diſponunt*. Nanq; *omnes hi cogunt*. *Sed par eſt honeſto excitatum fortem eſſe, non ui, aut neceßitate coactum*. Atque *etiam uſus in quaque re nomen ſibi fortitudinis uendicat*. Ex *quo &* Socrates *fortitudinem ſcientiam eſſe putabat*. Atque *uſu periti & exercitati, alij quidem ſunt alijs in rebus, ſed in bellicis milites*. Nam *multi uidentur eſſe belli* [54] *terrores inanes, quos hi experiendo maximè perſpectos habent & cognitos*. Quocircà *fortes propterea habentur,quòd alij, quales ſint terrores illi, non intelligunt*. Deindè *cùm aduerſarios damnis afficere, nullisq; ipſi affici uſu & conſuetudine maximè poßint,tùm ictus uitare, & hoſtem ferire in primis ſciunt, quippè qui & armis expeditißime poſſunt uti, & huiuſmodi armis inſtructi ſunt, quæ ad damnum hoſti inferendum, & à ſe propulſandum maximè ualent*. Vt *igitur cum inermibus*

arma=

armati, & ut athletæ cum luctandi imperitis decertant. Nanque etiã in talibus certaminibus non fortiſsimus quiſque pugnaciſsimus eſt, ſed qui plurimùm uiribus ualet, corporeq́; eſt præſtantiſsimo. At uerò milites tum ignaui fiũt, cùm & periculum maius eſt, quàm ut poſsint obſiſtere, & copijs atque apparatu ſunt inferiores. Primi enim terga uertunt: ciuiles autem copiæ pugnantes óccidunt. Id quod in Hermæo [55] *contigit. Nam & fuga ciuibus turpis, & mors tali ſalute optabilior eſt. Illi uerò initio pugnæ ſeſe periculis offerebant, perindè ac ſi meliores eſſent: at cognito periculo ſalutem fuga petierunt, mortem peius turpitudine pertimeſcentes: qualis uir fortis eſſe non ſolet. Porrò autem iram quoque fortitudini aſcribunt. fortes enim eſſe uidentur etiam ij qui ira concitati tanquam beluæ in eos irruunt, qui uulnerarunt: quoniam fortes quoque ſunt iracundi. Maximum* [56] *enim ad adeunda pericula calcar admouet iracundia, ex quo &* Homerus *uires addidit iræ. Et illud, bilem conciuit et iram. Et Acris per nares ſubijt furor. & toto feruebat corpore ſanguis. Hæc enim omnia celeritatem atque impetum animi concitati ſignificare uidentur. Ac fortes quidem honeſti cauſa res omnes gerunt, eosq́; ira* [57] *adiuuat: beſtiæ autem dolore affectæ. Nam uel quòd ictæ fuerunt, uel quòd metuunt. Nam ſi ſint in* [58] *ſylua, aut palude neminem aggrediuntur. Non* [59] *igitur eò fortes dicendæ ſunt, quòd dolore & ira incitatæ periculum adeant, nihil eorum quæ grauia & periculoſa ſunt, præuidẽtes. Nam iſto quidem modo aſinos fortes dicere licebit cùm eſuriunt, quoniam ne uerberibus quidem à paſtu demouentur: & adulteri cupiditate inflammati multa faciunt audacius. non igitur for-*

tia ſunt ea quæ dolore uel ira elata ſeſe in diſcrimen offe= runt. Videtur autem ea fortitudo maximè naturalis eſſe, quam ira excitauit, & ſi conſilium, idq́; cuius cauſa res fit, aſſumpſerit, uerè fortitudo poterit appellari. Præte= reà homines cum iraſcuntur, dolore: cùm iniuriam acce= ptam ulciſcuntur, uoluptate afficiuntur. At qui his cau= ſis impulſi periculum adeunt, pugnaces[60] *illi quidem, ſed non fortes appellandi ſunt. Non enim propter honeſtum, neque ita, ut ratio monet, id faciunt, ſed perturbatione a= liqua concitati: Verùm ſimile*[61] *quiddam habent. Sed nec ij qui bona ſpe freti ſunt, fortes ſunt habendi. Nam pro= ptereà quòd & ſæpius & multos uicerunt, in periculis fi= dunt. eo autem ſunt ſimiles, quòd utrique fiducia præditi ſunt. Veruntamen fortes propter eas cauſas, quas dixi= mus, fidunt: hi quia animum induxerunt ſe uiribus eſſe o= mnium præſtantiſsimos, nihilq́; incommodi uiciſsim acce= pturos. Ac tale quiddam faciunt ij, qui ebrij facti ſunt. Nã bona ſpe eriguntur. Cùm uerò alia, quàm ſperauerunt, eis euenerunt, profugiunt. Erat antem uiri fortis quæ formi doloſa homini & ſunt & uidentur, ea ob eam cauſam per= ferre, quia & perferre honeſtum ſit, & non perferre tur= pe. Itaque uiri fortioris eſſe uidetur in repentinis terrori= bus ſeſe imperterritum, minimeq́; perturbatum præbere, quàm in præuiſis. Hæc.n.animi conſtantia magis ab animi habitu proficiſcitur, minusq́; præparationis habet. Nã quæ multo ante proſpecta ſunt, de ijs quiuis animi agitatione & ratione conſilium ceperit: At de repentinis, habitu. fortes porrò uidentur ij quoque qui periculum ignorant. Nec longè abſunt ab ijs, qui bona ſpe ad audendum proue= huntur. hoc quidem certè ſunt deteriores, quòd nihil ſplẽ*

doris,

doris, nihilq; dignitatis in his elucet: in illis uerò plurimum. Itaque illi aliquantum temporis permanent in incœpto. Hi autem quaſi decepti, & in errorem inducti, ſtatim ut aliud eſſe quàm ſuſpicati ſunt, cognouerunt, fugiũt, Quod Argiuis accidit qui in Lacedæmonios pro Sicyonijs inciderunt. Ac uerè fortes quidem, & ij qui uidentur eſſe fortes, quales ſint, diximus. Sed cùm in fiducia, metuq; uerſetur fortitudo, non tamen peræquè in utroque: ſed in rebus formidoloſis magis cernitur. Nam qui in his omni animi motu ac perturbatione uacat, quiq; in eis ita affectus eſt animo, ut debet, is fortior eo eſt, qui in ijs rebus quæ fiduciam afferunt, conſtantiam retinet ac tuetur. Ex eo igitur fortes appellantur, ut ſuprà à nobis dictum eſt, quòd res moleſtas atque aſperas fortiter ferant. Itaque doloris & moleſtiæ plena res eſt fortitudo, eaq; iure laudatur. Difficilius enim eſt res moleſtas toleranter pati, quàm ſe à iucundis abſtinere. Verùm tamen fortitudinis finis poßit uideri iucundus, ſed ab ijs rebus, quæ circumſtant, obſcurari ac penè deleri: cuiuſmodi quiddam in ludis gymnicis accidit. Pugilibus enim finis ipſe cuius cauſa decertant, iucundus eſt, ut corona, & honores: at ictus & uerbera, omnis denique labor, cum ex carne conſtent, dolore moleſtiaq; eos afficit. Quoniam autem multa ſunt laborioſa & moleſta: finis, qui tenuis, & exiguus eſt, nihil iucunditatis in ſe incluſum habere uidetur. Quòd ſi talis quoque eſt fortitudinis ratio, & natura, mors & uulnera forti uiro moleſtiam etiam inuito ſunt allatura: Ea tamen omnia ſubibit ac perferet, quia & perferre honeſtum, & non perferre turpe eſt. Atque idem quo uirtutibus omnibus inſtructior fuerit, & quo beatior, eo moleſtius mor-

tem feret. Nam cùm uir talis uita ſit digniſsimus, tùm ſciēs ac prudens maximis bonis ſpoliatur. Quod quanuis ei mo=leſtum accidat, nihilominus tamen in his ſeſe uirum fortem præſtat, atque eo fortaſſe magis, quòd illis omnibus id quod in bello honeſtum eſt, anteponit. Non igitur hoc in omnibus uirtutibus ineſt, ut earum muneribus & actioni=bus liceat iucūdè perfungi, niſi quoad finem attingunt. Nihil autem prohibet fortaſſe quominus milites præſtan=tiſsimi ſint, non qui ſint tales, ſed qui & minus fortes ſint, & nihil aliud boni, quàm lacertos & uires habeant. Hi e=nim ad pericula ſubeunda parati ſunt, uitamq; cum paruo quæſtu paciſcuntur & commutant. Ac de fortitudine qui=dem hactenus. Quid ſit autem, non eſt difficile ex ijs quæ dicta ſunt, rudi quadam forma deſcripta atque adumbra=ta cognoſcere.

Sequitur iam ut de temperantia diſſe=ramus. hæ nanque uirtutes earum animi partium uiden=tur eſſe, quæ ſunt rationis expertes. Temperantiam igi=tur mediocritatem eſſe quæ uerſatur in uoluptatibus, iam à nobis dictum eſt. Minus enim, nec eodem modo in dolo=ribus uerſatur. In his autem utriſque intemperantia quo=que uertitur. Nunc igitur quibus in uoluptatibus uerſe=tur, facta earum diſtinctione, explicemus. Ac primùm cō=ſtituatur hæc uoluptatum partitio, ut aliæ ſint animi, aliæ corporis: ut honoris cupiditas, quam ambitionem di=cimus, & diſcendi ſtudium, animi ſunt: uterque enim eo delectatur, cuius amore & ſtudio tenetur, cùm corpus ni=hil afficiatur, ſed uis cogitandi potius. Qui autem huiuſ=modi uoluptatibus dediti ſunt, nec temperantes, nec in=temperantes nominantur. Itemq; neque ij qui in alijs oc=cupati ſunt, quæ ad corpus non pertinent. Nam qui fabel=

larum

larum cupiditate, ſtudioq́; rerum narrandarum ducũtur, & qui in rebus quas caſus obtulerit, totos dies conterũt, eos loquaces, non intemperantes dicere ſolemus. Ne eos *quidem qui ex pecuniarum iactura, uel amicorum obitu, maiorem dolorem capiunt.* Itaque *in corporis uoluptatibus intemperantia uertatur neceſſe eſt: ac ne in his quidem omnibus.* Nam *qui delectantur ijs rebus, quæ aſpectu ſentiuntur, ut coloribus, figuris, pictura, nec temperantes appellantur, nec intemperantes.* Atqui *fieri poſſe uidẽtur, ut his rebus & ita ut oportet, & ſupra atque infra modum delectemur.* Idemq́; *de ijs, quæ ad auditum pertinent, ſentiendum.* Neque *enim quiſquam eos, qui ſupra modum cantilenis, uel hiſtrionum geſtu lætantur, intemperantes: aut eos qui intra modum, temperantes appellat: nec eos qui ijs rebus, quæ ſub odoratũ cadũt, delectãtur, niſi* [62] *ex euentu. non enim eos qui malorum, aut roſarum, aut ſuffimentorum capiuntur odoribus, intemperantes dicimus, ſed eos potius, qui unguentorum, & obſoniorum. his enim gaudent intemperantes, propterea quòd eis hæc ipſa earum rerum quæ deſiderari ſolẽt, memoriã refricãt.* Cernere *autẽ licet alios, cùm eſuriunt, ex ciborũ odore capere uoluptatem.* Atqui *talibus rebus delectari hominis eſt intemperantis.* Nam *intemperantium ſunt hæc rerum deſiderabiliũ genera. his autem ſenſibus ne cetera quidem animalia percipiunt uoluptatem, niſi ex euentu. nam neq; léporum odore delectantur canes, ſed cibo. ſenſum porrò odor commouet, atque excitat: neque leo bouis uoce, ſed eſca.* Ex *uoce autem eum propinquum eſſe ſenſit. quo fit, ut hac delectari uideatur.* Similiter *autem, nec ceruo uiſo capreaue reperta lætatur, ſed quia ſe nactum eſſe*

uidet,

uidet, quod edat. Vertuntur igitur temperantia & intemperantia in huiuſmodi uoluptatibus omnibus, quæ nobis ſunt etiam cum reliquis animantibus communes. Ex quo *ſer uiles eas et beluinas iudicare licet.* Hæ *autē ſunt tactus et guſtatus uoluptates. Ac uidentur ſanè guſtatu parum admodum, aut prorſus nihil intemperantes uti. De ſaporibus enim propriè, ſuoq́; iure guſtatus iudicat.quod faciũt ij qui uina explorant, & obſonia condiunt. Neque igitur admodum, aut nihil planè ſaporibus delectantur intemperantes, ſed ipſa perceptione uoluptatis, quam profectò totam tactus efficit, cùm in eſculentis & poculentis, tùm in ijs rebus quæ ueneree appellantur. Quapropter*[64] *collum ſibi quidam obſoniorum gurges & helluo gruis collo longius optauit, ut qui tactu maximam capiebat uoluptatem.Tactus autem omnium ſenſuum latiſsimè patet,in eoq́; ſita intemperantia eſt, quæ meritò, ut turpis,& flagitioſa, maledicti loco obijcitur, propterea quia ineſt in nobis, non quà homines, ſed quà animalia ſumus. His igitur talibus delectari, eaq́; uehementius amare beluarum eſt. Nam exceptæ,ſunt ſanè uiris honeſtis & ingenuis omnium quæ tactu percipiuntur,digniſsimæ uoluptates, cuiuſmodi ſunt eæ, quæ in gymnaſiis fricatione & calefactione gignuntur. Non enim intemperantis hominis tactus per totum corpus pertinet,ſed quibuſdam partibus circumſcribitur.*

Cupiditatum autem aliæ communes eſſe uidentur, aliæ propriæ & aſcitæ, ut cibi cupiditas eſt naturalis. Omnes *enim,*[65] *cum indigent, alimentum uel ſiccum, uel humidũ appetunt, aliquando utrunque, lectumq́;*[66] *iugalem (ut ait* Homerus*) adoleſcens aliquis & qui floret ætate. At hoc, uel illud alimentum non iam omnes, neq; eadē omnes deſi-*

deſiderant. Itaque hoc propriè noſtrum eſt. Veruntamē habet quiddam etiam à natura inſitum. Alij enim alijs delectantur, & ſunt nonnulla, quæ magis quàm res forte fortuna oblatæ omnes homines delectant. In naturalibus igitur cupiditatibus offendunt[67] *pauci, atque in uno, ſcilicet in eo quod nimium eſt. Nam edere aut bibere quæ caſus obtulerit, quo ad plenior ſis, quàm naturæ neceſſitas poſtulat, nihil aliud eſt quàm menſuram naturæ conuenientem copia ſuperare. Naturalis enim cupiditas eſt, id quod deeſt, explere uelle. Itaque græco uocabulo appellantur hi* γαςρίμαργοι*: id eſt uentri uſque ad inſaniam indulgentes, tanquam eum ſupra modum implentes. Ac tales quidem euadunt ij, qui ſeruili admodum ingenio præditi ſunt. At uerò in proprijs uoluptatibus complures & multis modis peccant. Nam cùm huius,*[68] *aut illius rei amantes eò dicantur, uel quòd ijs rebus delectentur, quibus non oportet, uel quòd nimium*[69] *delectentur, uel quòd ita ut uulgus, uel quòd non ita, ut oportet, uel quòd non qua*[70] *parte oportet: intemperantes omnibus in rebus modum ſuperat. Nam & quibus rebus non oportet, quoniam odio dignæ ſunt, delectantur, & ſi maximè quibuſdam talibus rebus delectari oporteat, magis quàm oportet, & ita ut multitudo, delectantur. Id ergo nimium, quod in uoluptatibus uertitur, eſſe intemperantiam, ob eamq; cauſam eſſe uituperabile, perſpicuum eſt. In doloribus autem non ita, ut uir fortis, ſic temperans eò quòd dolores perferat: nec quòd non perferat, intemperans appellatur: ſed eò intemperans dicitur, quòd ægrius, quàm debet, ferat, nullam ſe corporis percipere uoluptatem. Et uerò ei dolorem affert uoluptas. Temperans autem dicitur cùm*

ob

ob id quòd ſe carere uoluptatibus non moleſtè ferat, tùm quòd aſpernetur & prætermittat uoluptates. Intemperans *igitur omnia quæ iucunda ſunt, concupiſcit, aut certè quæ iucundiſsima. itaque à cupiditate trahitur, ut illa ceteris rebus habeat potiora. Quapropter & cùm uoluptatibus* [71] *potiri non poteſt, & cùm eas concupiſcit, dolore angitur. ſemper enim cum dolore cupiditas coniuncta eſt: tametſi abſurdum uideatur, propter uoluptatem dolore affici.* Iam *qui in expetendis uoluptatibus modum deſerant, minusq; quàm oportet, ijs delectentur, rarò exiſtũt.* Non *eſt enim humanus huiuſmodi ſtupor omni penè ſenſu hominem ſpolians.* Nam *cetera quoque animalia pabulum à pabulo diſcernunt, hisq; delectantur, illis non itẽ. Quòd ſi cui nihil ſit iucũdũ, nihilq; inter hoc, et illud interſit, is profectò ab humanitate fuerit remotiſsimus. Quoniam igitur qui talis ſit, non admodum reperitur, ſuo nomine non eſt appellatus.* Temperans *autem in his rebus mediocriter et moderatè affectus eſt.* Nam *neque ijs delectatur, quibus maximopere intemperans, ſed offenditur potius, neque omnino* [72] *quibus ex rebus capienda uoluptas non eſt, ex ijs capit uoluptatem, neque ulla re tali uehementer delectatur, neque ſi eæ res abſint, diſcruciatur: neque concupiſcit, niſi moderatè, neque magis* [73] *quàm debet, neque quo tempore non debet, neque omnino quicquam tale concupiſcit. Quæcunque autem ita iucunda ſunt, ut eadem ad bonam ualetudinem, uel optimum corporis habitum pertineant, ea modicè, &, ut debet, concupiſcit, ceteraq; quæ his non ſunt impedimento, aut quæ ab honeſto non abhorrent, aut quibus res familiaris non exhauritur.* Nam *qui ita animo affectus eſt, is uehementius, quàm par ſit, ta*

les uoluptates amplectitur. At temperans talis non eſt, ſed rectæ rationi paret, atque obtemperat. Videtur autem intemperantia magis quàm timiditas, ſponte ac uoluntate ſuſcipi. Illa enim propter uoluptatem, hæc ob dolorem, quorum alterum optabile eſt, alterum fugiendum. Ac dolor quidem naturam eius, qui angitur, de ſuo ſtatu deturbat, & interimit. uoluptas autem nihil tale facit, immo uerò quiddam eſt, quod ſponte noſtra conſectamur. Itaque probroſior ac flagitioſior eſt. Nam & facilius eſt rerum iucundarum mediocritati ſeruandæ aſſuefieri: multa enim huiuſmodi in uita quotidiana occurrunt: et aſſueſcendi exercitatio ac meditatio periculo uacat. In rebus autem formidoloſis contrà euenit. Sed aliter timiditas ſponte contrahitur, aliter res ſingulares ſponte noſtra extimeſcimus. Illa enim doloris expers eſt, hæ doloris magnitudine homines exterrent, & ut ne ipſi apud ſe ſint, efficiunt, adeò ut arma abijciãt, aliaq; ſuæ perſonæ indecora faciant. Itaque uidentur eſſe uiolentæ. contrà fit in intemperante. Res enim ſingulares ſponte ab eo ſuſcipiuntur, nempe concupiſcente, ac deſiderante. Vniuerſum uerò genus minus. intemperans enim eſſe cupit nemo. Nomen autem intemperantiæ ad errata [74] puerilia transferimus. ineſt enim in his quædam ſimilitudo. utrum autem ab utro ſit appellatum, ad inſtitutum noſtrum nihil refert. Perſpicuum illud quidem eſt à priore poſterius eſſe nominatum. Nec malè ſanè translatio uidetur eſſe facta. Id enim caſtigandum, & coërcendum eſt, quod turpia cõcupiſcit, & quod impunitate amplificatur, & propagatur, quales ſunt maximè cupiditas & puer. Nam etiam pueri cupiditatem tanquàm uitæ ſuæ ſequuntur ducem, maxime-

ximeq́; in his rerum iucundarum appetitio dominatur. Ita*que ſi non parebit rationi, neque ſub eius erit imperio: ſerpet & manabit latius. Nam cùm ſit inexplebilis rerum iucundarum appetitio maximè in ſtulto & amente, tùm cupiditatis uſus eius, quod cognatum eſt, uires amplificat, adeò ut ſi magnæ ſint & uehementes cupiditates, mentem ac rationem de ſua ſede detrudere ac deturbare poßint. Danda igitur opera eſt, ut mediocres ſint & modicæ, neque quicquam rationi aduerſentur. Atque hoc ipſum eſt quod obediens & caſtigatum dicimus. Vt enim puer è cuſtodis & magiſtri præſcriptione uiuere, ſic uis hæc concupiſcendi obtemperare rationi debet. Quocircà debet in uiro temperante cum ratione cõcinere ea pars animi, quæ ad concupiſcendum ualet. Vtrique enim propoſitum honeſtum eſt: appetitq́; temperans, quæ oportet omnia, & quẽadmodum, & quo tempore oportet: quæ quidem eſt rationis lex atque inſtitutio. Ac de temperantia quidem hactenus.*

Liber quartus.

DEINCEPS *de liberalitate dicamus, quæ uidetur eſſe mediocritas in pecunijs occupata. Nam laudem inuenit homo liberalis non in rebus bellicis, nec in quibus temperans, neque in iudicijs, ſed in donatione & acceptione pecuniæ: ueruntamen magis in donatione. Pecunias autem appellamus omnia, quorum æſtimationem metitur nũmus. Iam uerò ea quæ appellatur à Græcis* ἀσωτία, *latino autem nomine uix ſatis exprimi*

poteſt

poteſt, niſi forté profuſionem aut luxuriam nominemus, & illiberallitas, ſunt in pecunia nimiũ & parum. Atque illiberalitatem quidem ſemper ijs aſcribimus, qui nimio pecuniarum ſtudio tenẽtur. Aſotiam autem attribuimus hominibus interdum cum alijs uitijs copulantes. Incontinẽtes enim et eos qui in libidinem atque intẽperantiam ſumptus immenſos faciunt, aſotos uocant Græci, nos (ſi placet) uel prodigos, uel profuſos, uel luxurioſos appellemus. Quare improbiſsimi uidentur eſſe. nam multis ſimul uitijs cooperti ſunt. non igitur proprio nomine appellantur. Asôtus enim proprié is uidetur eſſe, qui uno uitio affectus eſt, nimirum eo quòd rem familiarem perdat & conſumat. Nam qui per ſe, ſuáq; opera perit, is eſt nobis prodigus, græcis asôtus. Videtur porrò interitus quidã ſui ipſius eſſe etiam facultatum cõſumptio & iactura, quaſi ex his tota uiuendi ratio pendeat. Profuſionem igitur hoc modo accipimus. Quarum autem rerum uſus aliquis eſt, ijs & recté & perperàm uti liberum ac ſolutum eſt. Atqui diuitiæ in bonis utilibus numerantur. Iam qui propria cuiusq; rei uirtute præditus eſt, is ea re optimé uti poteſt. optimé igitur diuitijs utetur is, qui uirtutem eam quæ ad pecuniarum uſum pertinet, conſecutus ſit. Atque hic eſt liberalis. eſt autem pecuniarum uſus, ſumptus, & donatio. Acceptio autem & cuſtodia quærentis eſt potius, quàm utentis. Itaque hominis liberalis eſt magis quibus largendum eſt, largiri, quàm & à quibus accipiendum eſt, accipere, & à quibus accipiendum non eſt, non accipere. uirtutis enim propriũ magis eſt bené mereri, quàm beneficium accipere, & res honeſtas ac præclaras gerere, quàm turpitudinem non admittere. Minimé antem illud quidem

ob=

obſcurum eſt quin & donationem beneficium conferre, reſq; honeſtas agere: & acceptionem beneficio affici, aut ſe à turpiter factis abſtinere ſubſequatur. Prætereà *ei qui donat, habetur gratia, non ei qui non accipit: multóq; maior laus illi, quàm huic tribuitur.* Tùm *facilius eſt non accipere, quam dare. ſuum enim quiſq; mauult non profundere, quàm accipere alienum. deinde liberales dicuntur ij, qui largiuntur: qui non accipiunt autem non magis liberalitatis, quàm iuſtitiæ nomine laudãtur.* At *qui accipiunt, non admodum ſanè laudantur.* Iam *uerò omnium* [3] *hominum, qui uirtutis nomine cari ſunt, maximè diliguntur liberales.* Nam *proſunt alijs: quod quidem in donatione ſitum eſt.* Actiones *autem ex uirtute, & honeſtæ ſunt & honeſti gratia ſuſcipiuntur.* Dabit *igitur liberalis honeſti cauſa, & rectè dabit.* Nam *& quibus dandum eſt, & quantum, & quo tempore: & cetera omnia adhibebit, quæ rectam dandi rationem conſequũtur, eáq; libenter & iucundè preſtabit, aut certè non grauatè.* Nam *quod uirtuti conuenienter geritur, aut iucundum eſt, aut à moleſtia uacuum: moleſtum* [4] *autem minimè.* At *qui dat uel quibus dandum non eſt, uel non honeſti gratia, ſed aliqua alia cauſa impulſus, hic nõ eſt liberalis, ſed aliquo alio nomine appellabitur.* Atque *adeò ne is quidem qui grauatè dat. hic enim facilè adducetur, ut peccuniam honeſtis actionibus anteponat, quod minimè conuenit liberali.* Nec *uerò unde non oportet, accipiet liberalis.* Nam *hoc accipiendi genus non eſt eius, qui pecuniam nihili æſtimat.* Nec *erit in poſcendo procax.* Non *enim hominis eſt benefici facilè beneficium accipere.* Accipiet *tamen unde debebit, uerbi gratia, de ſuis bonis, & fructibus, non quòd honeſtum ſit,*

ſed

ſed quòd neceſſarium, ut habeat dandi facultatem. Nec *rem familiarem negliget, ſi quidem ex his uelit aliquibus commodare, eisq́; ſuppeditare quæ deſiderant.* Neque qui *buslibet largietur, ut ſuppetat ei quod largiri poßit, quibus oportet, et quo tempore, & ubi, honeſtũ eſt.* Magnopere *autem proprium eſt hominis liberalis ita in dando modum ſuperare, ut ſibi pauciora relinquat.* Nam *ſui rationem non habere liberalis eſt.* Iam *uerò ex facultatibus et penditur & appellatur liberalitas.* Non *enim in multitudine beneficiorum quæ dantur, ſed in habitu eius qui dat, liberalitatis uis ſita eſt.* Hic *autem dat pro facultatibus.* Ex *quo nihil prohibet eum eſſe liberaliorem, qui pauciora donet, ſi modo ex paucioribus donet.* Videntur *porrò liberaliores eſſe qui ſuas facultates non quæſiuerunt, ſed ab alijs partas acceperunt.* Egeſtatis *enim incommodum non ſunt experti.* Præterea *ſua cuique facta ſunt cariora, ut parentibus & poëtis.* Difficile *eſt autem liberalem diuitem eſſe, quippe qui nec ad* [5] *accipiendum ſit attentus, nec ad cuſtodiendum pertinax, immò uerò ad profundendum facilis ac paratus, pecuniam denique non ſua, ſed beneficij conferendi cauſa, magni æſtimet.* Iccircò [6] *& uulgò criminari fortunam ſolent, quòd minimè omnium diuites ſunt qui diuitijs & copijs rei familiaris ſunt dignißimi.* Sed *hoc non temerè contingit.* Neque *enim fieri poteſt ut pecunijs abundent ij, qui nullam diligentiam, ut pecunioſi ſint, adhibent, quemadmodum neque quicquam aliud ſine ſtudio ac diligentia comparatur.* Non *tamen aut quibus non debet, aut quo tempore non debet, aut ceteris* [7] *id genus honeſti formulis neglectis, dabit.* Non *enim ageret conuenienter liberalitati, & ſi ſumptum in hæc faceret,*

ceret, unde impenderet in ea quæ ſumptum deſiderant nõ haberet. Eſt igitur is liberalis (ut diximus) qui & pro facultatibus, & quas in res oportet, ſumptum facit. qui autem modum tranſit, prodigus. Itaque reges prodigos dicere non ſolemus. Rerum enim quas poßident, uim et copiam, uon uidetur eſſe facilè donationibus & ſumptibus exhaurire. Quoniam igitur liberalitas mediocritas eſt, quæ in dandis & accipiendis pecunijs uertitur: largietur & impendet profectò liberalis in eas res in quas debet, & quantum debet, non aliter in paruis, quàm in magnis, idq́; faciet libenter, & iucundè. præterea undè & quantum accipere debet, accipiet. Nam cùm uirtus hæc mediocritas ſit ad utrunque pertinens: utrunque quemadmodum debet, adminiſtrabit. Bonam enim donationem ſimilis conſequitur acceptio, & quæ ſimilis non eſt, contraria eſt. Quæ igitur ſe mutuò conſequuntur, ſimul in eodem ineſſe poſſunt. Contrarias in eodem non ineſſe perſpicuum eſt. Quod ſi ei euenerit, ut contrà atque oporteat, aut præter honeſtum, ſumptum faciat, ægrè feret ille quidem, ſed modicè, & quemadmodum debet. uirtutis eſt enim et quibus rebus, & quomodo lætandum & dolendum eſt, lætari ac dolere. In ſocietate autem rei pecuniariæ facilem ſe ac commodum præbet liberalis. Quoniam enim pecuniam contemnit, ad accipiendam iniuriam expoſitus eſt, potiusq́; grauatur ſe ſumptum, cùm res poſtularet, non feciſſe, quàm ſe tùm cùm facere non oporteret, feciſſe moleſtè fert: neque ei [8] probatur Simonides. Prodigus autem etiam in his offendit. Nam neque gaudet, neque dolet quibus, aut quo modo debet. quod ex ijs quæ deinceps dicentur à nobis, planum fiet. Atque hoc quidem iam diximus,

mus, profuſionem & illiberalitatem, nimium eſſe & parum, idq́; utrunq; in duobus conſiſtere, in donando ſcilicet & accipiendo. Sumptum enim in genere donationis collocamus, illumq́; huius nomine uolumus contineri. Ac profuſio quidem donando & non accipiendo modum ſuperat: accipiendo autem deſerit. Illiberalitas uerò donando modum deſerit, accipiendo ſuperat, præterquàm in paruis. ea igitur quæ profuſionis propria ſunt, non facilè [9] copulari, neque unà cohærere poſſunt. neque enim facilè eſt eum qui à nemine accipiat, omnibus donare. Nam celeriter deficiunt eos facultates, qui cùm ſint priuati, plus æquo largiuntur: qui quidem prodigi uidentur eſſe. alioqui nemo profectò negauerit eum qui talis ſit, auaro non paulo eſſe meliorem: facilè enim ad ſanitatem reuerti poteſt, & ætatis maturitate correctus, & egeſtate coactus, atque ita ad mediocritatem peruenire. In eo enim inſunt ea omnia quæ conueniunt liberali. nam & donat, & non accipit: ſed neutrum neque ut debet, neque benè. Quòd ſi huic rei aſſueſcat, aut alia aliqua ratione immutetur, iam fuerit liberalis. Nam & quibus erit dandum, dabit, neque unde accipere nefas erit, accipiet. Itaque non malè moratus eſſe uidetur. non enim improbi neque humilis aut degeneris hominis eſt, ſed ſtulti potius largiendo & non accipiendo modum ſuperare. Prodigus igitur his moribus præditus, auaro multo melior eſſe uidetur cùm propter eas cauſas, quas diximus, tùm quòd hic iuuat multos, ille neminem, atque adeò ne ſe ipſum quidem. ſed plerique prodigi, quemadmodum à nobis dictum eſt, unde non debent, accipiunt, eoq́; ipſo ſunt illiberales. efficiuntur autem ad accipiendum propenſi, propterea quòd cùm

ſumptus facere uelint, hoc aſſequi non facilè poſſunt. Nā citò deficiunt eos rei familiaris copiæ. Aliunde [10] igitur quærere & rem facere coguntur, ſimulq; quia nullam honeſti rationem ducunt, ſine religione, nulloq; diſcrimine undique corradunt, largiendi autem cupiditate flagrant: quomodo, aut unde largiantur nihil ſua referre exiſtimant. Quarè ne liberales quidem ſunt eorum donationes. Nam nec honeſtæ ſunt, nec honeſti cauſa fiunt, nec ut par eſt, ſed interdum quos homines oporteat in paupertate ætatem agere, hos collocupletant, & cùm ijs qui temperatis & probatis ſint moribus, nihil donent, in aſſentatores, aliarumq; uoluptatum miniſtros, multa largiter effundūt. itaque et plerique eorum ſunt intemperantes. Nam cùm facilè impendant, etiam in res obſcœnas, & ab intemperantia natas ſumptuoſi ſunt. Et quia uitam ſuam honeſti regula non dirigunt, ad uoluptates propenſiorrs euadūt. Ac prodigus quidem ſi cuſtode & moderatore careat, in hæc mala [11] delabitur: ſed alicuius cura & diligentia nixus, ad mediocritatem, & ad id quod oportet, perueniat. Illiberalitas autem atque auaritia inſanabilis morbus eſt. uidetur enim ſenectus & omnis imbecillitas, illiberales efficere: eaq; magis in hominibus innaſcitur, quàm profuſio. Nam plerique omnes pecuniæ ſtudio ducuntur potius quàm ad largiendum prompti ſunt. Tum etiam latiſsimè manat, et eſt multiplex. multa enim genera, multiq; modi auaritiæ eſſe uidentur. Cum enim in duabus rēbus uertatur, et in dando infra modum, et ſupra modum accipiendo: haudquaquam integra ineſt in omnibus: ſed interdum diuellitur, ac ſeiungitur, aliiq; reperiuntur qui accipiendo modum ſuperant, alij qui dando deſerunt. Nam

in quos quadrant tales appellationes, uerbi gratia parci, tenaces, ſordidi, omnes hi in largiendo modum deſerunt, ſed aliena nec appetunt, nec accipere uolunt: alij tùm æquitate [12] & bonitate quadam, tùm rerum turpium cauendarum ſtudio adducti (uidentur enim nonnulli, dicunt quidem certè ſua ſe iccircò ſeruare ac tenere, ut ne quid turpe admittere aliquando cogantur, quorum in numero eſt cumini ſector ille & quiſquis talis eſt, qui ex eo nomen traxit quòd ſupra modum à dando abhorreat) alij autem metu deterriti ſe à rebus alienis abſtinent, perindè quaſi non ſit facile eum qui aliena tollat, ſua ab alijs intacta retinere. Placet igitur eis neque ab alijs accipere, neque alijs dare. Alij rurſus in accipiendo ſunt nimij, quia undique et quidlibet accipiunt, quales ſunt ij qui operas illiberales præſtant, & ſordidas artes exercent, ut lenones & omnes huius notæ homines & fœneratores: quibus [13] exiguum lucrum magna mercede conſtat. Omnes hi enim à quibus non debent, & quantum non debent, auferunt, communiſq; eorũ uidetur eſſe lucri turpitudo. Nam propter quæſtum, eumq; exiguum, turpitudinem ac dedecus ſubeunt. Nam qui magna à quibus, & quæ nõ debẽt, auferũt, quales ſunt tyrãni, qui urbes [14] euertunt, tẽplaq; expilãt, eos non auaros, ſed improbos potius, & impios, & iniuſtos dicimus. Iam aleatores & graſſatores qui obuios ſpoliant, & latrones, in numero illiberalium ſunt habendi. Nam turpem quæſtum conſectantur. Quæſtus enim cauſa utrique & hi quos proximè nominaui, & illi ſuperiores in negotio uerſantur, & dedecora, ignominiaſq; perferunt. Atque hi quidem lucri gratia maximis in periculis uerſãtur, illi ab amicis quibus donare debebant, lucrum faciunt,

Vtrique igitur quoniam ab ijs, à quibus non debent, lucrum captant: turpis quæſtus ſtudioſi dicendi ſunt, omnesq́; tales accipiendi rationes & uiæ ſunt illiberales. Meritò autem liberalitati illiberalitas eſſe contraria dicitur. Nam cùm malum ſit profuſione maius, tùm facilius ac ſæpius in hac quàm in illa, quam diximus, profuſione homines offendũt. Ac de liberalitate quidẽ ijsq́; uitijs, quæ cum ea pugnant, hactenus. Sequitur ut de magnificentia quam μεγαλοπρέπειαν Græci dicunt, diſſeramus. Nam ea quoque uirtus quædam eſt in pecunijs occupata. Verùm non ut liberalitas, ad omnes pecuniarias actiones, ſed ad ſumptuoſas duntaxat pertinet, in quibus liberalitatem magnitudine ſuperat. Nam ut nomen ipſum ſubindicat, ſumptus eſt in rebus amplis & magnis decorus. Magnitudo aũt ad aliquid refertur. Neq; enim ſumptus idẽ Trierarchũ decet, et ſpectaculorũ præfectum. Decorum igitur & perſonæ, & loci, & temporis, & rerum, in quas pecunia impenditur, ſpectatur. Qui autem ſumptus facit in res paruas, uel mediocres pro earum rerum dignitate: is non dicitur magnificus, ut qui dicebat, Mendicoq́; uago[15] dare ſæpe ſolebam: ſed is demum qui in res magnas. nam qui magnificus eſt, idem eſt liberalis, ſed qui liberalis, non cõtinuò eſt magnificus. Huius autem talis habitus id quod eſt parum, indecora parſimonia appellatur, nimium operaria quædam in ſumptu faciendo inſolentia, & elegantiæ inſcitia, & quotquot ſunt tales uitiorum appellationes: quæ modum ſuperant non magnitudine rerum in quas magnificẽtia conferẽda ſit, ſed eo quòd magnos & inſolentes ſumptus faciunt in eas res, in quas, & quo modo faciendi non ſunt. Verùm de ijs poſterius dicemus. Magnificus autem

tem

tem[16] homini ſcienti ſimilis eſt. nam & decorum animo cernere, & magnos ſumptus concinnè facere poteſt. Nanque (ut diximus) omnis habitus actionibus, iisq; rebus quarum eſt habitus, terminatur. Sumptus porrò uiri magnifici, magni ſunt & decori. talia igitur & eius opera ſunt. ſic enim ſumptus & magnus, & ad opus accommodatus, ac decorus futurus eſt. Itaque cùm opus ſumptu dignum eſſe debeat, tùm opere ſumptus, aut etiam ſuperior. ſed hæc talia honeſti gratia uir magnificus impendet, (Hoc enim omnium uirtutum commune eſt) & præterea iucundè ac prolixè. Nam ſubtilius rationes ſubducere, & omnia ad calculum reuocare, hominis eſt parſimoniam indecoram conſectantis. Deinde quo modo opus quàm pulcherrimum, & quàm maximè decorum potius, quàm quanti, & qua ratione minimo efficiatur, cogitabit. Neceſſariò igitur uir magnificus erit quoque liberalis. Impendet enim liberalis & quæ oportet, & ut oportet. Sed in his quicquid[17] magni eſt, magnifici proprium eſt, nempe magnitudo atque amplitudo[18] eius quæ in his uerſetur, liberalitatis. Ac pari impenſa opus efficiet quod magnificentia præſtet. Non enim eadem poſſeſſionis, atque[19] operis uirtus eſt. Nam poſſeſſio plurimi æſtimanda eſt ea, quæ pretioſiſſima & cariſſima eſt, ut aurum: opus autem plurimi faciendum eſt, id quod eſt & magnum & pulchrum. Eius enim operis, quot tale eſt, ſpectatio admiratione ſpectatores afficit. Quod autem magnificum eſt, id admirabile eſt, operisq;[20] uirtus ac præſtantia eſt, magnificentia quæ in magnitudine conſiſtit. Sumptus autem quos amplos & honoratos dicimus, uerbi gratia ſunt dona quæ ſuſpenduntur in templis, diisq; dicantur & conſtructiones

templorum, & ſacrificia, itemq; ea omnia, quæ in omne numen diuinum impenduntur, & quæcunque in remp. honeſtæ laudis ſtudio conferuntur, ut ſicubi ludos ſe ſplendidè facere, aut triremium præfecturam de ſuo adminiſtrare, aut epulum præbere ciuitati putent oportere. In omnibus autem, ut dictum eſt, eius qui agit, habenda ratio eſt, qui ſit, & quæ ſint eius facultates. Sumptus enim digni facultatibus eſſe debent, neque opus ſolum, ſed etiam eum qui facit, decere. Quocirca nemo pauper magnificus eſſe poteſt, quia non habet domi unde ſumptus cõuenienter & decore facere queat, & qui conetur, ſtultus ſit habendus, quoniam & præter[21] *dignitatem & præter id quod fieri oporteat, conetur. Quicquid autem rectè fit, id omne ex uirtute fit. decet porrò*[22] *magnificentia cùm eos, quibus res huiuſmodi uel ipſorum labore & uirtute partæ ſunt, uel à maioribus, aut ijs quibuscum aliqua neceßitudine ſunt coniuncti, relictæ, tùm honeſto loco natos & claros uiros: eos denique qui tali aliqua laude antecellunt. ineſt enim in his omnibus amplitudo quædam & dignitas. talis igitur eſt maximè uir magnificus, & in huius generis ſumptibus magnificentia, ut diximus, elucet. Maximi ſunt enim & honore dignißimi. In priuatis autem ſumptibus ijs, qui ſemel fiunt, etiam locum habet, quales ſunt nuptiæ, & ſi quid eius generis eſt, & ſi qua in re uel tota ciuitas occupata eſt, uel ij qui dignitate præſtant. In recipiendorum quoque hoſpitum & dimittendorum officio, in donis & remunerationibus. Non enim in ſe ipſum ſumptuoſus eſt uir magnificus, ſed in remp. Dona autem ſimile quiddam ijs rebus habent, quæ Diis conſecrantur, & ante eorum ſimulacra ſuſpenduntur. Eſt etiam ui=*

ri

ri magnifici domum ita exædificare, ut eius ſpecies diuitiis conueniat, (aliquid enim ex hac quoque ornamenti comparatur) & in eas res potius pecuniam impendere, quæ diuturnæ ſunt futuræ, (ſunt enim hæ pulcherrimæ) & in unaquaque decorum ſeruare. Non *enim eadem dijs atque hominibus conueniunt, neque eodem ſumptu fanum & ſepulcrum ædificandum eſt.* Ac *ſumptus quidem in ſuo quiſque genere magnus eſt, & cùm ſit ille ſumptus magnificentiſſimus qui in opere magno ponitur, tùm hîc id ſplendidiſſimum eſt, quod in his rebus magnũ eſt.* Intereſt *enim inter id quod eſt in opere magnum, & id quod eſt in ſumptu.* Nam *pila uel ampulla*[23] *pulcherrima doni*[24] *puerilis magnificentiã illa quidem obtinet, ſed huius pretium exiguum & illiberale eſt.* Itaque *magnifici eſt cuiuſcunq; generis opus efficiat, magnificè facere.* Nam *quod erit eiuſmodi, id nec facilè ſuperari poterit: & ſumptus magnitudini reſpondebit.* Talis *igitur eſt uir magnificus.* Qui *autem modum ſuperat, & is quem operariorum more in ſumptu faciendo inſolentem diximus, eò ſuperat, quòd ſecus ac debet, impendit.* In *res enim paruas & quæ paruum ſumptum deſiderant, multam pecuniam inſumit, ſplẽdoremq; ac magnificentiam oſtentat inconcinnè, atque inuenuſtè, exempli gratia, nuptiali apparatu eos accipit, qui ſymbolam*[25] *in cœnam dederunt, & comœdis dux chori præpoſitus prodituris in ſcenam hiſtrionibus ſubſternendã purpuram confert, quemadmodum facere conſueuerunt* Megarenſes. Atque *hæc omnia faciet non honeſti, ſed oſtẽtandarum diuitiarum cauſa, & quòd ſe his rebus homines admiratione affecturum ſperat: & quas in res multa impendere debet, in eis ſumptum exiguum faciet: ubi parua*

impenſa

impenſa deſideratur, ibi largus & profuſus erit. Homo *autem indecoré parcus, quem* Græci μικροπρεπῆ *appellant, in omni re à modo aberit, maximáque pecunia conſumpta, in parua honeſtum omne perdet atque extinguet. quicquid facturus eſt, procraſtinans, & cunctabundus efficiet, & qua ratione quàm minimo ſumptu id conficere poßit, conſiderabit: & in his lamentabitur, & ingemiſcet, omniáque ſe efficere maiora, quàm oporteat, arbitrabitur. Sunt igitur hi habitus uitia. nullam tamen turpitudinis aut dedecoris notam inurunt, quia nec alteri damnũ inferunt, neque admodum ſunt deformes.* Magnitudo *animi autem magnis in rebus, ut nomen ipſum declarat, elucere uidetur.* Ac *primum ſané quales ſint hæ res, intelligamus.* Nihil *porrò intereſt utrùm ipſum animi habitum, an eum qui eo ſit præditus, conſideremus.* Magno *autem animo habendus eſt is, qui magna ſe mereri exiſtimat, idq; ſuo merito.* Qui *enim præter meritum ac dignitatem id facit, ſtolidus eſt.* At *eorum qui uirtutem colunt, nemo ſtolidus eſt, nemo mente captus.* Eſt *igitur magno is animo, quem deſcripſimus.* Qui *enim ſe cùm paruis rebus, atque honoribus dignus ſit, paruis quoque dignum iudicat, hic non magnanimus, ſed modeſtus habendus eſt.* Animi *enim magnitudo in magnitudine ſita eſt, quemadmodum in magno corpore, pulchritudo.* Breuis *autem ſtaturæ homines uenuſti*[26] *ac lepidi ſunt quidem illi, aptáque membrorum conuenientia & proportione præditi, ſed pulchri non item.* Qui *uerò magna ſe meritum eße putat, immeritò tamen, elatus ac ſuperbus eſt: quem* Græci χαῦνον, *id eſt laxum ac uaſtum quendam nominant.* Quiſquis *autem*[27] *maiora ſibi deberi, quàm quibus dignus ſit, arbitratur, non*

con-

continuò ſuperbus eſt. Verùm qui ſe minoribus dignum, quàm mereatur, exiſtimat, is anguſto & humili animo eſt, ſiue magnis, ſiue mediocribus, ſiue paruis dignus, etiam minora ſibi tribui putet oportere: tantóque humiliore animo uideatur, quanto maiora meretur. Quid enim eum facturum putemus, ſi tam magnis dignus non ſit? Eſt igitur magnanimus magnitudine ille quidem ſummus, ſed eo quòd ita, ut oportet, de ſuis meritis iudicat, medius. ijs enim quæ ipſius dignitati, meritisq́; reſpondent, ſe ipſum dignum iudicat: alij modum uel ſuperant, uel deſerunt. Ergo ſi ſe magnis eſſe dignum meritò exiſtimat, & maximè, ſi maximis, in una re [28] potiſsimum ſanè uerſabitur. Quænam [29] igitur ſit huiuſmodi res, ex dignitate intelligamus. Iam dignitatis nomen ad externa bona refertur: quorum maximum hoc locare debemus, quod & Dijs immortalibus tribuimus, et ij omnes, qui dignitatem in rep. conſecuti ſunt, expetunt, quod eſt denique rerum pulcherrimè geſtarum præmium. Talis uerò eſt honos. hoc enim eſt externorum bonorum maximum. In honore igitur et infamia ſic ſe gerit, ut oportet, uir magni animi. Neque uerò [30] uerbis aut ratione opus eſt ad docendum uiros magnanimos in honore uerſari. honore enim maximè magni uiri ſe dignos eſſe exiſtimant, ſed pro eo ac merentur. At qui demiſſo et humili animo eſt, is modum deſerit, ſiue ipſius perſona, ſiue magnanimi dignitas ſpectetur. Superbus autem ſi eius perſonam ſpectes, ſuperat, non ſi eũ cũ uiro magnanimo conferas. Quòd ſi magnanimus maximis fuerit honoribus dignus, erit ille profectò uir optimus ac præſtantiſsimus. Nam quo quiſque melior eſt, eo maiore præmio atque honore dignus eſt, & quidem optimus quiſque maximo,

ximo. uerè igitur magnanimus uir bonus ſit neceſſe eſt. Atque etiam quod in quaque uirtute magnum & amplum eſt, uiri magnanimi eſſe uideatur. Neque porrò conueniat magnanimo [31] dimiſsis manibus fugere, neque iniuriam cuiquam facere. Quid eſt enim cur turpe aliquid admittat, cui nihil ſit magnum? Atque ei quidem qui res ſingillatim inſpicere uelit, ridiculus eſſe uideatur magnanimus, ſi non ſit idem uir bonus. Quin ne honore quidem dignus erit, ſi malus & uitioſus ſit. Præmium enim uirtutis eſt honor, & tribuitur uiris bonis. Quocirca uidetur animi magnitudo quaſi quoddam uirtutum omnium eſſe ornamentum. Nam & maiores eas, amplioresq́; facit, & ſine illis conſtare nullo modo poteſt: ob eamq́; cauſam qui re uera magno ſit animo, non facilè reperitur, quippe qui ſine eximia quadam, & præclara bonitate talis eſſe non poſsit. In honoribus igitur & ignominijs uir magni animi maximè cernitur. Ac magnis quidem honoribus, & ijs qui à uiris bonis deferentur, modicè delectabitur, tanquàm ſuos, ſibiq́; accommodatos, atque etiam ſua uirtute minores, & inferiores conſecutus. Virtuti enim omnibus ſuis numeris perfectæ & abſolutæ non facilè par ullus honos reperiri poteſt. Verùm tamen eos æquo animo accipiet, uel ob hanc cauſam, quòd illi non poſsint ei tribuere [32] maiora. Eum autem honorem qui & à quibuslibet & ob res paruas tribuetur, prorſus negliget atque aſpernabitur. tales enim non meretur: Itemq́; ignominiam [33] atque infamiam, quia in eum iure cadere non poterunt. Maximè igitur & potiſsimùm in honoribus uerſatur uir magnanimus. Verùm tamen in diuitijs quoque, & principatu, in omni denique ſecunda atque aduerſa fortuna quicquid acci-

derit, ſe moderatum præbebit. neque in rebus ſecundis lætitia efferetur, neq; in aduerſis mœrore contrahetur. Nã ne in honorem[34] *quidem ſic animatus eſt, qui tamen quàm maxima res eſt. Principatus enim & diuitiæ propter honorem ſunt optabilia. Nam qui hæc bona conſecuti ſunt, his*[35] *ipſis honore affici uolunt. Cui igitur honos in rebus paruis numeretur, huic ne cetera quidem magna erunt. Quocirca magnanimi ceterorum contemptores & ſuperbi uidentur eſſe. Iam uerò etiam res ſecundæ ad animi magnitudinem comparandam uidentur adiuuare. Nam & honeſto, ſummoq; loco nati honore digni putantur, & ij qui principatum obtinent, aut opulenti, quoniam ceteris antecellunt. Quo quicque porrò bono aliquo magis excellit, eo honoratius eſt. Itaque his talibus quoque homines animi maioris efficiuntur, quia uidelicet à nonnullis honorem conſequuntur. Sed ſi uerum quærimus, ſolus uir bonus afficiendus honore eſt. Cuius autem uirtuti coniuncta fortuna eſt, is honore dignior habetur. Quibus uerò ſine uirtute talia bona contigerunt, hi neque ſe ipſos magnis honoribus dignos meritò exiſtimant, neque rectè magnanimi appellantur. Hæc enim ſine uirtute integra atque undique perfecta conſtare nullo modo poſſunt. Itaque aliorum contemptores ac ſuperbi & contumelioſi, & huiuſmodi uitijs*[36] *affecti euadunt. Difficile eſt enim ſine uirtute res ſecundas compoſitè, concinneq; ferre. Cùm porrò ferre non poßint, ſeſeq; ceteris præſtare exiſtiment, tùm illos contemnunt, tùm ipſi quicquid fors tulerit, agunt. Virum magnanimum enim imitantur, cùm ſint ei diſsimiles. Quibuſcunque autem rebus poßunt, hoc faciũt. Nec ea igitur quæ uirtuti conſentanea ſunt, agere ſtudẽt,*

&

& alios tamen faſtidioſè deſpiciunt. Magnanimus autem non iniuria deſpicit. De rebus enim uerè opinatur & iudicat. At uulgus quomodocunque fors tulerit, iudicat. Iam uerò [37] neque ſeſe offert ad caſus paruorum periculorum, neque periculi adeundi cupidus eſt, quoniam pauca ſunt quæ magni faciat. Magnis autẽ periculis ſeſe obijcit: & cùm in diſcrimine uerſatur, uitæ non parcit, perinde quaſi planè indignum ſit eum in uita manere. Et cùm eo ſit animo ut libenter beneficium in alios conferat, tùm ſi accipiat, erubeſcitt. Illud enim præſtantis & excellentis hominis eſt, hoc inferioris. Idem beneficium maiore menſura quàm accepit, reddere conſueuit. ſic enim is qui de eo prior benè meritus eſt, etiam ei debebit, & beneficio [38] deuinctus erit. Prætereà uidentur magnanimi eos meminiſſe, quos beneficio affecerint: à quibus autem acceperint, non item. Eſt enim is qui beneficium accepit, eo qui dédit, inferior. At uult magnanimus quàm maximè excel lere: atque illa audit libentiſsimè ac iucundiſsimè, hæc grauatè. Itaque neque Thetis [39] Ioui ſua in eum beneficia commemorat, neque [40] Lacedæmonij Athenienſibus, ſed quæ ab illis acceperunt. Eſt etiam magnanimi neminem [41] aut uix quenquam rogare, libenter alteri operam dare atque inſeruire, & in eos qui aliqua dignitate præditi ſunt, quorumq́; res ualde ſunt ſecundæ, magnum ſe atque excelſum: in eos quorum mediocris fortuna eſt, modeſtum ac mo deratum præbere. Illis enim antecellere difficile, & amplum, his facile eſt: et inter illos gloriari, generoſi hominis eſt: inter humiles autem et infimos, odioſum, [42] uixq́; tolerabile eſt, quemadmodum in imbecillos uires ſuas expromere atque experiri. Eſt et eiuſdem ad ea non ire quæ

ſunt

ſunt honorata, et in quibus alii principem locum obti= nent: præterea ceſſatorem et cunctatorem eſſe, niſi ubi aut magnus honos proponatur, aut magna res aga= tur: deinde aptum eſſe ad res gerendas paucas il= las quidem, ſed magnas et omnium ſermone, famáque celebrandas. Iam uerò et apertas eum inimicitias gere= re, & aperte amare neceſſe eſt. timentis eſt enim fron= te occultare ſententiam. Deinde maiorem ueritatis, quàm opinionis curam habere: tum aperte & dicere & agere omnia. Amat enim[43] *orationis libertatem, quia propen ſus eſt ad ceteros cōtemnēdos natura. Contēptor eſt autem natura, quia libertatem & ueritatem orationis amat, niſi ubi diſſimulanter loquitur. Eſt autem diſſimulator in uul= gus. Neque uerò*[44] *alterius nutu atque arbitratu uiuere poteſt, niſi amici. Eſt enim hoc ſeruile. Itaque ut aſſenta tores omnes mercenarii quidam ſunt, ſic humiles & demiſ ſi homines, aſſentatores. Neque facilè*[45] *admiratur. nihil enim ei magnum uidetur. Non meminit iniurias. uiri enim magnamini non eſt memorem eſſe præſertim iniuriarū & malorum, ſed ea potius pro nihilo putare. Neque de homi nibus cupidè loquitur, quippe qui nec de ſe, nec de ceteris dicturus eſt. Nam neque ut laudetur magnopere ſoli= citus eſt, neque ut alij uituperētur. Nec rurſus aliorum laudator eſt: & ob hanc cauſam neque maledicus, ne in inimicos quidem, niſi contumelia accepta. In iis autem malis, quæ aut neceſſaria, aut exigua ſunt, minimè queri bundus eſt, neque ſupplex. Eſt enim hominis*[46] *nimium ſtudium, nimiamq; curam in res humanas cōferentis, ſic af= fectum eſſe. Atque etiam ita comparatus eſt, ut res hone= ſtas, eaſdemq; ſteriles poßidere malit, quàm utiles &*

fru=

fructuoſas. Hoc *enim magis proprium hominis eſt ſe ipſo contenti, et bonis omnibus per ſe cumulati. Motum etiam magnanimi uiri tardum futurum eſſe credibile eſt, uocem grauem, orationem ſtabilem ac ſedatam*. Neque *enim feſtinat is qui paucis rebus ſtudet, neque uehementer contendit cui nihil magnũ eſſe uidetur*. Propter *has*[47] *cauſas autem et uox*[48] *acuta et celer ingreſſus eſſe ſolet*. Ac *magnanimus quidem talis eſt*. Qui *autem modum deſerit, is anguſto, paruoq; animo dicitur: qui ſuperat, elatus ac ſuperbus, qui ſane minimè mali uidẽtur eſſe. nihil enim maleficii in quenquam admittunt: uerùm tamen peccant*. Nã *qui demiſſo paruoq; animo eſt cùm ſit bonis dignus, ipſe ſe iis rebus fraudat quas meretur*. Præterea *eo malo affectus eſſe uidetur, quòd ſeſe bonis indignum eſſe arbitratur*. Tum *uerò ſe ipſum ignorare. nam ni ita eſſet, ea expeteret, quibus dignus eſt, cùm bona ſint. ſtulti tamẽ hi nõ uidẽtur eſſe, ſed pigri*[49] *potius et ſegnes*. Talis *aũt opinio quam de ſe ipſis habent, eos uideur efficere deteriores*. Ea *enim quæ meretur, quiſque expetere ſolet*. Tùm *præterea ab honeſtis actionibus et ſtudiis, perinde quaſi indigni ſint, itemq; à bonis externis longè refugiunt*. Superbi *autem cùm ſtulti ſint, tum ſeipſos quoque ignorant, neque id obſcurè*. Nam *perinde quaſi digni ſint, res amplas et honoratas conantur ac ſuſcipiunt, deindè ſe ipſi*[50] *quales ſint, indicant, & ab alijs coarguuntur*. Iam *uerò ex ueſtitu, totoq; habitu & geſtu corporis, talibusq; rebus ornatum ſibi quærunt, ſuasq; res ſecundas omnibus notas & perſpicuas eſſe uolunt, & de ſe ipſis prædicant quaſi ex his honorem conſecuturi*. Magis *autem animi magnitudini aduerſatur humilitas & demiſsio animi, quàm elatio ac ſuperbia*.

Nam

Nam & crebrior eſt, & deterius malum. Diximus igitur animi magnitudinem, in magno honore uerſari.

Videtur autem etiam in hoc alia quædam uirtus eſſe occupata, ut in ſuperioribus diximus, quæ parem ad animi magnitudinem, rationem habere uideatur, atque ad magnificentiam liberalitas. Nam cùm ambæ hæ uirtutes à magno ramotæ ſint, tùm in rebus paruis & mediocribus nos ita ut par eſt, afficiunt. Vt in accipiendis autem & dandis pecunijs locum habent mediocritas, nimium & parum: ſic honos & uehementius, & minus quàm oportet, et rurſum unde, & quo modo expetendus eſt, expeti poteſt. Nam & ambitioſum uituperamus, & eum qui nullo honoris ſtudio ducitur, quem honoris contemptorem nominamus: illum quia & nimia honoris cupiditate affectus eſt, et inde honorē aucupatur, unde nō oportet: hūc quia ne ex rebus honeſtis quidē honoris adipiſcendi conſilium capit. Interdum autem ambitioſum laudamus ut uirum fortem & honeſtatis ſtudioſum. Interdum eum qui ab omni honoris cupiditate liber & ſolutus eſt, tanquam modeſtum & temperantem, ut ſuprà diximus. Perſpicuum eſt autem cùm multis modis quis huius uel illius rei ſtudioſus dicatur, non in eandem rem ſemper ambitioſi nomen ualere: ſed ſi laudemus, in eum [51] qui ſtudioſior ſit honoris quàm uulgus: ſin uituperemus, in eum qui ſtudioſior ſit, quàm oporteat, conuenire. Quoniam autem mediocritas uacat nomine, iccircò fit ut extrema de eius poſſeßione, quaſi de loco uacuo ac deſerto concertent ac litigent. Iam quibus in rebus nimium reperitur, & parum: in ijs etiam mediocritas. Atqui honorem homines & nimium expetunt, & parum. Eum igitur expetere licet quoque intra modum, &

ut oportet. Laudatur itaque hic habitus, qui profectò mediocritas eſt in honore expetendo occupata non nominata: quæ ſi cum ambitione comparetur, honoris contemptio: ſi cum honoris contemptione, ambitio uideri poßit. ſed cum utraque comparata, utriuſque ſpeciem præ ſe ferat. quod etiam in reliquis uirtutibus apparet. Pugnare autem hic uidentur inter ſe extremi, [52] *quia ei qui medius eſt, nomen impoſitum non eſt.* *Lenitas autem mediocritas eſt quæ in iris uerſatur. ſed quia medius uacat nomine ac ferè etiam extremi, medio lenitatem aſcribimus, ad id quod eſt parum, quod ipſum nomine uacat, propendentem. nimium autem iracundia dici poteſt. Perturbatio enim ipſa ira eſt, cuius multæ & uariæ cauſæ ſunt efficientes. Atquē is quidem qui quibus de rebus, quibusq; hominibus oportet, iraſcitur, præterea uerò quemadmodũ, quo tempore, & quandiu oportet, laudatur, manſuetusq; ac lenis appellari poteſt, ſi modo lenitas, laudabilis eſt. Ea enim* [53] *uidetur eſſe manſueti & lenis hominis natura, ut & ab omni animi tumultu ſit liber ac ſolutus, nec ſe à perturbatione trahi patiatur, ſed ut ratio præceperit, ita, et his de cauſis, & tandiu iraſcatur. Peccare autē uidetur in eam partem, quæ eſt infra modum. non enim ad ulciſcendum implicatus eſt, ſed potius ad ignoſcendum propenſus. parum autem ſiue lentitudinem, ſiue quo alio nomine placet appellari, uituperatur. Nam cùm ij qui non ſuccenſent ob eas cauſas, ob quas ſuccenſere debent, ſtulti uideantur, tùm ij qui non quo modo, & quo tempore, & quibus debent. Videtur* [54] *enim hic prorſus ſenſu carere, neque unquam condoleſcere, neque ad propulſandam iniuriam, quippe qui non iraſcatur, facilè excitari. Enimuerò aliorum in ſe & in ſuos contumelias perpeti ac ne=*

*gligere, mancipiorum eſt. Nimium autem omnibus qui=
dem peccandi modis contrahitur. Nam & quibus, et pro=
pter quas cauſas iraſci non debemus, et uehementius quàm
debemus, & citius, & diutius quàm oportet, iraſcimur.
nõ tamẽ hæc in uno inſunt omnia. fieri. n. nõ poteſt, ut inſint.
Nam cùm malum omne per ſe perdat atque interimat, tùm
ſi integrum ſit, intolerabile efficitur. Iracundi igitur ſunt
iritabiles, celeriterq́; iraſcuntur, & quibus, & propter
quas cauſas non oportet, & uehementius quàm oportet:
ſed ijdem ſunt placabiles, iraſcendiq́; finẽ citò faciunt, quod
quidem eſt in illis optimum. Atque hoc eis propterea ac=
cidit, quia iram non comprimunt, neque cohibent, ſed ſta=
tim iniuriam acceptam referunt (qua ratione quo animo
ſint, oſtendunt,) propter animi concitati celeritatẽ, dein=
de iraſci deſinunt. Α'κρόχολι autem qui à ſumma bilis con=
citatione ſunt appellati (dicantur nunc à nobis ſi placet,
ſummopere birioſi, aut ſummopere iracundi) ij ſupra mo=
dum ſunt celeres, & ad omnia, et omnibus de cauſis ira=
cundia exardeſcunt, unde et nomen natum eſt. At amari
quos illi πικροχόλους nominant: propemodum ſunt im=
placabiles, diuq́; in iracundia perſeuerant. Iram enim 55
continent et comprimunt, quæ tum quieſcit, cùm iniuriam
ulti fuerint. Vltio enim iram ſedat doloris loco uoluptatẽ
afferens. quod ſi aſſequi non poſſunt, graui quodam one=
re premuntur. Quia enim dolor eorum non eſt alijs no=
tus, nemo eis ut ſe placabiles præbeant, perſuadet. Ad irã
autem in ſe ipſo concoquendam tempore opus eſt. Ita hoc
hominum genus cùm ipſum ſibi ſit moleſtiſſimum, tùm ami=
ciſſimis. Sæuos autem et aſperos eos appellamus qui et pro
pter quas cauſas non debent, et grauius, et diutius, quàm*

G 2 de=

debent, iraſcuntur, et qui nunquam placantur, niſi iniuriam ulti ſint, uel etiam caſtigarint. Lenitati *autem magis opponimus nimium, quàm parum. frequentius enim eſt, quandoquidem hominibus uſitatius & ſolennius eſt iniuriã ulciſci.* Præterea *ſæui & aſperi homines, ad conuictum, uitæq́; conſuetudinem minus accommodati ſunt, ſed quod ſuprà dictum eſt, ex ijs quoque, quæ nunc dicimus, intelligi poteſt, non eſſe facile oratione diſtinguere quomodo, & quibus, & quibus de cauſis, & quandiu ſit iraſcendum, & quouſque quis in iracundia perſeuerans rectè faciat, aut peccet.* Qui *enim paulum* [56] *quiddam à modo ſiue in nimium, ſiue in id quod eſt parum abſcedit, non uituperatur.* Interdum *enim eos qui modum deſerunt, laudamus, manſuetosq́; ac lenes appellamus: interdum eos qui grauiter iraſcuntur, eſſe animo uirili dicimus, tanquam ad imperandum idoneos.* Quàm *longè igitur & quomodo à modo deflectẽs aliquis ſit uituperabilis, non eſt facile uerbis definire.* In *rebus enim ſingularibus, & ſenſu iudicium huius rei ſitum eſt.* Sed *illud certè perſpicuum eſt, medium habitum eſſe laudabilem, quo et quibus, & propter quas cauſas, et quomodo oportet, iraſcimur, ceteraq́; id genus: nimium autem & parum uituperabilia, quæ ſi non longè abſunt à medio, leuiter: ſi longius, grauiter: ſi longiſſimè, grauiſſimè ſunt uituperanda.* Perſpicuum *igitur eſt medium habitum diligenter eſſe retinendum.* Atque *ij animi habitus qui in ira uerſantur, hactenus ſint à nobis explicati.* In *congreſſu autem hominum & uitæ quotidianæ conſuetudine, denique in ſermonum ac factorum communicatione, alij blandi ſeu placendi ſtudioſi uidẽtur eſſe, qui ut ſint uoluptati, laudant omnia, nullaq́; in re aduerſantur,*

tur, ſed putant ſe eos quibuscum quotidié congrediuntur, nullo modo offendere oportere. Alij contrà in omni re aduerſantur, neque magnopere laborant, ne quem offendant: qui appellantur moroſi [57], *& in contentionibus pugnaces ac peruicaces: qui quidem animi habitus nimirum ſunt uituperabiles, ut horum medius laudabilis, quo uir bonus ea omnia quæ probanda, & ut probanda ſunt, probabit, offendeturq́; contrarijs. Nomen autem ei nullum impoſitum eſt, ſed ad amicitiæ ſimilitudinem proximé uidetur accedere. Nam qui hoc medio animi habitu præditus eſt, eiuſmodi eſt, cuiuſmodi commodum* [58] *& bonum amicum ſignificamus, cùm amandi affectum aſſumpſerit. Eo autem differt ab amicitia, quòd animi motu, amoriſq́; affectu in eos quibuscum uerſatur, caret. Non enim eò quòd uel amet, uel oderit, quicq́;, ut oportet, approbat, ſed quia eo ingenio, eaq́; inſtitutæ uitæ uoluntate eſt. Aequé enim hanc facilitatem erga notos atque ignotos, æqué erga eos, quorum conſuetudine utitur, atque eos quibuscum nulla conſuetudine coniunctus eſt, adhibebit: ſed ita, ut cuique conueniet. Non enim æqué conuenit homines conſuetudine & familiaritate coniunctos, atque alienos uereri, & obſeruare: neque rurſus offendere. Vniuerſé igitur iam dictum eſt, eum cum hominibus ita, ut debet, uerſaturum & communicaturum, ſed ad honeſtum & utile ſuas actiones referens, hunc ſibi ſcopum propoſitum habebit, ne quē offendat, aut ut delectet potius. In ijs enim uoluptatibus, ac moleſtijs uerſari uidetur, quæ ex ſermonibus & cœtibus hominum capiuntur: ex quibus, quos delectare erit ipſi non honeſtum, aut damnoſum,* [59] *eós improbabit ac reſpuet, multoq́; malet offendere. Quòd* [60] *ſi quid erit,*

quod ei, qui faciat, magno dedecori ſit, aut damno: aduerſando autem, leui illum moleſtia afficiat: factum illud turpe, aut damnoſum non probabit, ſed improbabit potius, ac moleſtè feret. Aliter autem cum ijs communicabit, et colloquetur, qui dignitate aliqua præditi ſunt, aliter cum infimis: aliter cum notioribus, aliter cum minus notis, ſimiliterq́; in alijs diſsimilitudinibus ſuum cuique tribuet decorum. ac delectationem quidem per ſe ſequetur atque eliget: offenſionem uerò uitabit: ijs autem[61] quæ ſunt euentura, ſi maiora ſint, adhæreſcet, honeſto inquam & utili: denique magnæ in poſterum uoluptatis cauſa leuiter offendet. Talis igitur medius eſt, quanuis non nominatus. Eorum autem qui delectant, is qui nihil aliud ſibi proponit, quod aſſequi uelit, quàm ut ſit iucundus: blandus, & placendi ſtudioſus appellatur. Qui uerò id facit ut aliquam ex eo utilitatem capiat, quæ uel in pecunia, uel in ijs rebus, quæ pecunia æſtimantur, poſitæ ſunt, aſſentator: at eum qui omnibus offenditur, moroſum, & in contentionibus pugnacem diximus appellari. Pugnare autem idcircò inter ſe uidentur extrema, quia mediocritati nomen impoſitum non eſt.

In ijſdem autem ferè arrogantiæ quoque mediocritas uertitur: Hæc uerò etiam nomine uacat. Non erit autem incōmodum hos quoque habitus perſequi. Nam & planius ea quæ ad mores pertinent, cognoſcemus ſingulis explicatis, & uirtutes mediocritates eſſe, magis erit nobis perſuaſum ac probatum, cùm ita eſſe in omnibus perſpexerimus. De ijs igitur qui in conuictu, uitæq; ſocietate uoluptatem et offenſionem eorum quibuscū uerſantur, ſpectant, dictum eſt. Nunc de ijs qui ueritatem colunt, aut mentiuntur, idq́; uerbis pariter ac factis, & ſimulatio=

mulatione, pauca dicenda ſunt. Videtur autem arrogans res ſibi glorioſas uendicare, quæ uel non inſunt, uel ſunt ijs quæ inſunt, maiores. Diſsimulator contrà uel ea quæ inſunt, negare, uel minora[62] *fingere, atque extenuare: medius uerò cùm ſingulis in rebus ſui iuris atque arbitrij ſit, uita & oratione uerax eſſe, qui ea quæ habet, in ſe ineſſe confitetur, neque ea uerbis auget, neque extenuat. Nihil aũt obſtat quominus quis hæc ſingula & alicuius, & nullius rei cauſa faciat. Iam uerò qualis quiſque eſt, talis eius & actio & oratio eſt, talis denique & uita, niſi rei alicuius agat, & loquatur gratia. Per ſe autem malum, & uituperabile mendacium eſt: uerum autem, & honeſtum & laudabile. ita & uerax cùm ſit medius, laudabilis eſt. At qui mentiuntur ambo ſunt illi quidem uituperandi, ſed magis arrogans. De utroque autem dicamus, ac primùm de ueraci. Non enim de eo loquimur qui in pactis conuentis, neq; de eo qui in rebus quæ ad iniuſtitiam, iuſtitiamúe pertinent, uerus eſt, (alius enim hæc ſunt fortaſſe uirtutis) ſed de eo qui quibus in rebus nihil refert, utrùm ſit eiuſmodi, nec ne, tùm in oratione, tùm in uita, ueritatem colit & ſequitur, eo ipſo quòd tali animi habitu ſit præditus: qui idem uir bonus meritò uideri poſsit. Nam qui ueritatem amat, ueraq́; loquitur quibus in rebus id facere nihil attinet, is multo magis in ijs uerè loquetur, in quibus magnopere referet. Mendacium enim, ut turpe fugiet, ac uitabit, quod iam per ſe, ſuapteq́; natura fugiebat. At uir talis laudabilis eſt: ſed ad extenuandam rerum ueritatem propenſior eſt. concinnius enim illud eſſe uidetur. quoniam omne nimium graue & odioſum eſt. At uerò qui maiora ſibi quàm quæ inſunt, tribuit, ac uendicat, nullius*

rei cauſa: eſt ille quidem improbo ſimilis (non enim mendacio delectaretur) ueruntamen leuis hominis potius ac nugatoris, quàm mali ſimilitudinem gerere uideatur. Quòd ſi alicuius rei gratia faciat: ſanè is qui gloriæ uel honoris cauſa faciat, non eſt ualdè uituperandus, ut arrogans: At qui pecuniæ aut aliarũ rerum, quæ pecuniæ loco ſunt, multo turpior eſt. Nec uerò [63] ui ac facultate, ſed conſilio intelligitur arrogans. Ex habitu enim & eò quia talis ſit, eſt arrogans, quomodo & mendax: quorum hic mendacio ipſo delectatur, ille gloriæ, quæſtusúe cauſa ſibi plusquàm par eſt, ſumit atque arrogat. Atque ij quidem qui cupiditate gloriæ incenſi ſibi plus æquo tribuũt, ea ſibi uendicant, propter quæ homines uel laudari, uel beati prædicari ſolent. Qui autem quæſtus cauſa id faciunt, ea ſibi ſumunt, quæ alijs fructum ac uoluptatem afferunt, & in quibus cuique facile eſt perficere ut neſciant homines non eſſe eum talem, qualem ille ſe eſſe profiteatur, uerbi gratia, medicum aut uatem ſapientem. Atque ob hãc cauſam complures ſibi talia arrogant. In his enim ea reperiuntur quæ à nobis dicta ſunt. Diſsimulatores autem qui ſua omnia uerbis eleuant, moribus uidentur illi quidem eſſe politioribus: Non enim lucri cauſa ita loquuntur, ſed quòd elationem [64] animi, iactationemq; fugiant. maximè autem etiam hi glorioſa omnia de ſe negant: quod faciebat & Socrates. Qui uerò res paruas, & in promptu poſitas diſsimulant, βαυκοπανοῦργοι à Græcis appellantur, quos glorioſos ueteratores (ſi placet) nominemus, ſuntq; hi abiecti & contempti homines. Atque adeò interdum hoc uitium arrogantiæ ſimilitudinem gerit, qualis eſt [65] Lacedæmoniorum ueſtitus. Nam ſibi & nimium aſ-

ſumere,

*ſumere, & parum, aut nihil tribuere, de ſeq; omnia detra
here, arrogantis eſt. Qui uerò intra modum diſsimulatio=
ne utuntur, eaq; diſsimulant, quæ non admodum nota, ne=
que in promptu ſunt poſita, ij politi homines uidentur. Ar=
rogans autem potiusquàm diſsimulator ueraci uidetur op=
poni. deterior enim eſt. Sed cùm ſit in uita ſuus etiã
requieti locus, in eaq; ipſa requie temporis aliquid cum
ludo & ioco ponere liceat: hîc quoque uidetur communi=
catio quædam ſermonis apta & concinna conſiſtere, ut
cùm talia dicantur, qualia, & quemadmodum dici debẽt,
tùm etiam audiantur. Intererit[66] autem etiam inter quales
quis loquatur, qualesúe loquentes audiat. Iam uerò per=
ſpicuum eſt in his & nimium eſſe & parum: quorum u=
trunque abeſt à medio. Atque ij quidem qui riſu mouendo
ultra modum prodeunt, ſcurræ uidentur eſſe, & [67] odioſi
homines, ac penè dicã intolerabiles, qui ridiculorum in=
credibili cupiditate afficiuntur, magisq; ſibi hunc ſcopum
propoſitum habent, ut riſum moueant, quàm ut honeſta ac
decôra loquantur, & non offendãt eius, in quem ſalsè di=
cunt, uoluntatem. Qui autem nec ipſi quicquàm ridiculè,
ſalseq; dicere queunt, & ijs qui dicunt, infenſi ſunt, agre=
ſtes & inſulſi homines habendi ſunt. At qui concinnè
& lepidè ſalibus & iocis utuntur, faceti aut urbani no=
minantur, apud græcos εὐτράπελοι quaſi εὔτροποι, id eſt
uerſatili ingenio præditi. Ingenij enim & morum tales mo
tus uidentur eſſe. Quemadmodum autem corpora ex mo=
tibus iudicantur, ita & mores. Iam uerò cùm ſales & ri=
dicula increbruerint, [68] compluresq; iocis & ſalsè dictis
magis, quàm par ſit, delectentur: fit ut ſcurræ faceti ap=
pellentur, tanquam humanitate politi homines. Atqui ex*

ijs

ijs quæ diximus, multum inter eos intereſſe perſpicuum eſt. huic autem medio habitui dexteritas quoque quæ appellatur, accommodata eſt. Dexteri *porrò hominis eſt ea et dicere & audire quæ uiro bono ac libero conueniunt. ſunt enim quædam quæ talem uirum ioco deceat & dicere & audire: magnumq; inter ingenuo dignum & ſeruilem iocum interuallum interiectum eſt: magnum inter eruditi iocum & ineruditi: quod quidem ex ueteribus & nouis comœdijs cuiuis intelligere licet.* Illis *enim ridicula res erat uerborum obſcœnitas.* His *ſententia potius uerbis tecta. inter quæ ſanè ad ſpeciem honeſtam ac decoram multum intereſt.* Vtrùm *igitur is qui benè in alterum dicta ſalſa dicit ex eo definiendus eſt, quòd ea dicat, quæ ingenuum decent? an quòd eum qui audit, non offendat, aut etiam delectet? an uerò hoc quoque incertum nec definitum eſt?* Alia *enim alijs odioſa ſunt & iucunda.* Qualia *autẽ quis in alterum dixerit, talia libenter auditurus eſt.* Nam *quæ quiſque* [69] *æquo animo audit, hæc facere quoque uidetur.* Non *quiduis igitur in alterum dicet. ſalsè dictum enim* [70] *quoddam maledicti genus eſt.* At *latores legum quædam maledicti loco obijcere uetant. ſed oportebat eoſdem fortaſſe prouidere quoque ne quiduis in alterum ſalsè dicere liceret.* Homo *igitur politus & ingenuus ſic erit affectus, et ipſe ſibi quodammodo lex erit.* Ac *medius quidem talis eſt, ſiue dexter, ſiue facetus, ſiue urbanus appellandus ſit.* Scurra *autem* [71] *ridiculo moderari non poteſt, cùm nec* [72] *ſibi nec alijs parcat, dummodo riſum moueat, talia denique dicat quæ humanitate politus homo nũquam dixerit, nonnulla autem etiam eius aures reſpuerint.* Agreſtis *autem ille et ruſticus atque inſulſus ad tales cõgreſ-*

greſ-

greßiones & ſermonis communicationes prorſus ineptus & inutilis eſt. Nam cùm ipſe nihil ad eas operæ confe-rat, tum omnibus offenditur. Videntur autem ad hominũ uitam requies & iocus eſſe neceſſaria. tres igitur ſunt il-læ, quas diximus, in uita mediocritates, quæ omnes in quo-rundam ſermonum & actionum communitate uerſantur: ſed eo differunt quòd una in ueritate, reliquæ duæ in iucun ditate ſitæ ſunt. Atque harum ipſarum quæ ad iucundita-tem pertinent, altera in iocis, altera in congreßionibus, re-liquæq; uitæ communitatibus uertitur. De uerecun dia autem, quaſi uirtus ſit aliqua, non attinet dicere. per-turbationi enim, quàm habitui ſimilior eſt. Definitur ita-que infamiæ metus quidam. Exiſtit autem ſimiliter, atque metus, qui in rebus formidoloſis uerſatur. Erubeſcunt e-nim ij qui pudore afficiuntur: palleſcunt autem qui mor-tem extimeſcunt. Apparet igitur utrunque quodammodo ad corpus pertinere. quod quidem perturbationis potius, quàm habitus proprium eſſe uidetur. Non omni porrò æ-tati, ſed adoleſcentiæ hæc perturbatio conuenit. nam qui hac ætate ſunt, pudentes & uerecundos eſſe putamus o-portere, quia cùm eorum uita aßiduis perturbationibus agitetur, multa peccent, à quibus pudore reuocãtur. Præ-tereà iuuenes laudamus eos, qui ſunt pudentes. Senem ue-rò quòd facilè pudore afficiatur, nemo laudauerit. nihil enim eum arbitramur agere oportere eorum, propter quæ pudor exiſtere ſolet. Nam ne uiri boni quidem eſt pudore affici, ſi quidem ex rebus malis pudor naſcitur. Res enim huiuſmodi ne agendæ quidẽ ſunt. Nihil uerò refert utrùm alia ſint re ipſa turpia, alia opinione. neutra enim ſunt a-genda. ergo pudore affici non oportet. Prætereà uerò

improbi

improbi hominis eſt talem eſſe, ut turpe aliquid agere animum inducat. Ita autem animatum eſſe aliquem, ut ſi quid tale admiſerit, pudore afficiatur, atque ob eam cauſam ſe uirum bonum eſſe putare, abſurdum eſt. eorum [73] enim quæ ſponte noſtra agimus, nos pudet. At uir bonus nunquam quicquam mali ſponte ſua admittet. Sed tamen ex conditione uerecundia poteſt bonum uideri. Nam ſi quid turpe admiſerit, fieri poteſt, ut pudore afficiatur. ſed hoc non ineſt in uirtutibus. Neque uerò ſi impudentem eſſe, nulloq́; pudore à turpibus actionibus reuocari, malum eſt, iccircò turpia agentem pudore affici, bonum erit. tùm uerò ne continentia quidem uirtus eſt: ſed quiddam uirtutis habet admixtum, de qua poſterius dicemus. nunc autem de iuſtitia diſseramus.

Liber quintus.

De iuſtitia autem & iniuſtitia hoc primùm uidendũ eſt, quibus in actionibus uerſentur, quæ nã mediocritas ſit iuſtitia, quarũ deniq; rerum mediũ ſit ius. Quibus in rebus exquirendis et explicãdis eadem atque in ſuperioribus uia, rationeq; utemur. Videmus igitur eum animi habitum. quo ad res iuſtas gerendas homines efficiuntur idonei, quoq́; res iuſtas & agunt & uolunt, ab omnibus iuſtitiã intelligi, atque appellari ſolere: eodemq́; modo iniuſtitiam habitum, eſſe, quo et iniuriam faciunt, et res iniuſtas uolunt. Itaque hæc primùm nobis quoque ueluti quadam imagine adumbrata, poſita ſint et conceſsa. Neque enim ita ſe res habet in ſcientijs et facultatibus, ut

ut in habitibus . facultas enim (ſic appello δύναμιν) et ſcientia eadem contrariorum uidetur eſſe : habitus autem contrariorum contrarius nequaquàm , uerbi gratia à bona ualetudine contraria non aguntur , ſed ea quæ ſunt bonæ ualetudinis propria duntaxat. Dicimus enim *aliquē ualēter*[1] *ambulare cùm ita ambulat ut is qui benè ualet.* Sæpe*numerò autem ex cõtrario habitu intelligitur contrarius, ſæpe ex rebus habitui ſubiectis. nam ſi bona corporis conſtitutio nota ſit, nota erit et mala : et cognitis ijs, quæ bonam corporis conſtitutionem efficiunt, bona quoque corporis conſtitutio erit cognita: et ruſus ex hac ipſa, ea quæ bonam corporis conſtitutionem efficiunt. ſi enim bona corporis conſtitutio ſoliditas*[2] *carnis eſt, malam, carnis eſſe raritatem neceſſe eſt, & quod uim habet efficientem bonæ corporis conſtitutionis, idem ad carnis ſoliditatem gignendam ualebit.* Plerunque *autem ſequitur ut ſi alterum multis modis dicatur, alterius quoq; multi ſint ſignificãdi modi, uerbi gratia, ſi multæ ſint iuſti ſignificationes, erunt & iniuſti multæ.* Multis *autem modis iuſtitia et iniuſtitia dici uidētur.* Sed *quia ualde eſt propinqua earū*[3] *nominis cõmunitas quam* ὁμωνυμίαν *græci dicunt, iccircò obſcurior eſt, neq; ita, ut in ijs quæ longè inter ſe diſtant, apparet.* Magna *enim differentia eſt, ea quæ ex ſpecie eſt, uerbi gratia,*[4] *clauis apud græcos uno & communi nomine appellatur, et ea quæ ceruicibus animalium ſubeſt, et ea qua oſtia claudunt . hoc igitur intellectum ſit, quot modis homo iniuſtus dicatur.* Et *certè uidetur iniuſtus eſſe et is*[5] *qui contra legem committit, & is qui ſibi plus uendicat, quiq; inæqualis eſt . ex quo perſpicuum eſt iuſtum quoq; futurū et eū qui legibus pareat, et eum qui æquus ſeu æqualis ſit.*

Ius.

Ius igitur [6] erit tùm id quod legibus cauetur, quod legitimum appellant, tùm id quod æquum eſt: et contrà iniuria, tùm id quod in legem committitur, tùm id quod iniquum eſt. Quoniam autem iniuſtus plus bonorum ſibi depoſcit ac uēdicat, in bonis erit occupatus nõ omnibus, ſed in ijs dũtaxat in quibus ſecunda et aduerſa fortuna locum habet: quæ ſunt bona ſimpliciter et abſolutè quidẽ illa sẽper, ſed huic uel illi nõ ſemper. Homines autem hæc uotis omnibus expetunt, ac perſequuntur: quod facere non oportet, ſed optare potius ut quæ [7] ſimpliciter bona ſunt, ea nobis quoque bona ſint: eligere autem ac ſumere quæ nobis ſunt bona. Sed iniuſtus [8] non ſemper id quod plus eſt, eligit, uerumetiam quod minus eſt, in ijs quæ abſolutè mala ſunt. Sed quia uidetur minus malum quodammodo bonum eſſe: cupiditas [9] autem eius quod plus eſt, boni cupiditas eſt, iccircò ille uidetur eſſe eius, quod plus eſt, cupidus, ſed tùm eſt iniquus (hæc uox enim utrunque continet et eſt communis) tùm contra leges committit. Nam hoc [10] ipſum quod peccatum in legem dicimus, omnem iniuſtitiam continet, omniſq; iniuſtitiæ commune eſt. Quoniam igitur quiſquis contra leges committit, iniuſtus eſt, qui autem leges ſeruat, iuſtus: perſpicuum eſt ea omnia quæ legitima ſunt, quodammodo eſſe iuſta. Nam cùm ea quæ à ſcientia legum ferẽdarum deſcripta et definita ſunt, legitima ſint, tùm unumquodque horum ius eſſe dicimus. Leges autem omnibus de rebus ita cauent, ut uel communẽ omnium utilitatem ſpectent, uel optimorum, uel eorũ penes quos ſumma rerum eſt poteſtas, cùm præſtent ceteris aut uirtutis nomine, aut alio aliquo tali modo. Quocirca uno modo iura appellamus ea quæ uitam beatam, eiuſq;

eiuſq; partes, ciuili ſocietati conciliare et cōſeruare poſſunt. Ac lex quidem et uiri fortis muneribus fungi imperat, ut non deſerere locum atque ordinem in acie, neque fugere, neque arma abijcere: et temperantis, ut non adulterari, neque cuiquam ſtuprum inferre: et lenis ac māſueti, ut neminem uerberare, neque cuiquā maledicere, itēq; in ceteris uirtutibus ac uitijs partim iubendo, partim uetando, rectè [11] quidem ea lex, quæ rectè ac ſalutariter: perperàm autem, quæ negligenter et inconſideratè lata eſt. Atque hæc iuſtitia uirtus eſt illa quidem perfecta, ſed non ſimpliciter, neque abſolutè, ſed ſi ad alterum referatur. ob eamq; cauſam ſæpe, omnium præſtantisſima uirtutum uidetur eſſe iuſtitia, neque ueſper neque lucifer tāta nos admiratione afficit. Tùm ſolemus hoc uti prouerbio. Iuſtitia una alias uirtutes continet omnes: et perfectiſſima uirtus, quia perfectæ uirtutis uſus eſt. Eſt autem ideò perfecta, quia qui ea præditus eſt, is etiam cum aliis, non ſecū ſolùm, uirtutem colere poteſt. Plerique enim in ſuis quidem rebus uti uirtute poſſunt, in ijs autem [12] quas cum altero contraxerunt, non poſſunt. Quocirca preclarè Biātis illud uidetur eſſe dictum, magiſtratus uirū declarabit. Nam qui magiſtratum gerit, is iam cum altero rationem habet, & in communione uitæ uerſatur. Atque ob hanc ipſam cauſam ſola ex omnibus uirtutibus iuſtitia alienum uidetur eſſe bonum, quia ad alterum refertur ac pertinet. Aliorum enim utilitati conſulit, nempe aut principis, aut reip. Deterrimus igitur ille quidem habendus eſt, qui improbitate & apud ſe, & cum amicis utitur: optimus autem, non qui ſecum & ſibi, ſed qui cum alijs uirtutem colit. hoc enim difficile atque operoſum eſt. Ergo hæc iuſtitia

non

non uirtutis pars eſt, ſed uirtus uniuerſa: neque ei contraria iniuſtitia, pars uitij eſt, ſed uitium integrum atque uniuerſum. Quid interſit autem inter uirtutem, & hanc iuſtitiam, ex ijs quæ diximus, perſpicuum eſt. ſunt enim re eædem, ſed ratione non ſunt eædē. uerùm quà cum altero rationem habet, iuſtitia eſt: quà talis habitus eſt, abſolutè uirtus eſt. Iuſtitiam autem quærimus eam, quæ pars eſt uirtutis. Eſt enim aliqua, ut diximus: itemq; iniuſtitiam eā quæ in partibus uitij numeratur. Aliquam porrò eſſe huiuſmodi argumento eſt, quòd qui agit aliquid eorum quæ ad cetera uitia pertinent, facit ille quidem iniuſtè, ſibi tamen plus boni non uendicat: uerbi gratia, qui clypeum abiecit propter ignauiam, aut qui male dixit ira incenſus, aut qui pecunia non eſt alicui opitulatus ob illiberalitatem: cùm autem ſibi plus boni uendicat, ſæpe nullo tali uitio, certè non omnibus, ſed uno aliquo peccat. Nam ēum iniuſtitiæ nomine uituperamus. Eſt igitur alia quædam iniuſtitia tanquam iniuſtitiæ pars quædam uniuerſæ: itēq; iniuſtum quoddam ut totius pars iniuſti eius, quod contra leges committitur. Prætereà ſi quis quæſtus cauſa adulterium committat, mercedemq; etiam ferat, alter cupiditate inflammatus idem faciat dans aliquid de ſuo, iacturamq; rei ſuæ faciens: hic quidem intemperans potius, quàm eius quod plus eſt, auidus, ſeu plus ſibi appetens eſſe uideatur: ille autem iniuſtus, ſed non intemperans, propterea ſcilicet quia quæſtus cauſa facit. Prætereà in ceteris omnibus iniuſtè factis, ſi quid peccetur, id ſemper ad aliquod genus improbitatis refertur: uerbi cauſa, ſi quis adulterium commiſit, ad intemperantiam: ſi eum qui [13] in acie proximus locatus erat, deſeruit, ad timiditatem:

tatem: ſi pulſauit, ad iracundiam: ſed ſi quæſtum fecit, ad nullum aliud uitium, niſi ad iniuſtitiam refertur. Perſpicuum *eſt igitur præter uniuerſam iniuſtitiam, aliã quandam eſſe eius partem uno, eodemq; nomine appellatã, quoniam eodem genere utriuſque definitio continetur.* Vtriuſque *enim uis in eo poſita eſt, ut ad alterum referatur. ſed hæc quidem in honore uerſatur, aut pecunia, aut ſalute, aut ſi quo uno nomine hæc omnia complecti poßimus, & propter uoluptatem ſuſcipitur eam, quæ è lucro proficiſcitur: illa autem in ijs omnibus, in quibus uir bonus occupatus eſt.* Iuſtitias *ergo plures eſſe, aliamq; quandam præter uniuerſam uirtutem, eſſe, perſpicuum eſt.* Quæ *ſit porrò & qualis, nunc eſt intelligendum.* Hæc *igitur à nobis propoſita eſt, iniuriæ diſtinctio, unam eſſe quæ contra leges committitur, alteram iniquitatem, ſeu inæqualitatem.* Itemq; *ius eſſe unum legitimum, æquale alterum.*

Atque ex ea quidem quæ contra leges committitur, iniuria, ſuperior iniuſtitia orta & appellata eſt. uerùm quoniam non [14] *eſt idem iniquum ſeu inæquale, quod plus, ſed aliud ad aliud relatũ, ut pars ad totũ:: quicquid.n.plus eſt, iniquũ ſeu inæquale eſt, ſed non quicquid eſt iniquum, plus eſt: quoniamq; itidem ea iniuria quæ contra leges committitur, & iniquitas, non ſunt idem, (nam quicquid iniquum eſt, contra leges committitur, ſed non quicquid contra leges committitur, continuò eſt iniquum) efficitur ut hæc iniuria, & hæc iniuſtitia, non ſint eædem, atque illæ, ſed ab illis differant: partiumq; rationem ad tota obtineant. Hæc enim iniuſtitia totius iniuſtitiæ pars eſt, itemq; totius iuſtitiæ hæc iuſtitia. itaque & de iuſtitia ea quæ generi ſubiecta eſt, & de iniuſtitia, quæ illius iniuſtitiæ pars eſt,*

nobis eſt dicendum, eodemq́; modo de iure atque iniuria. Eam igitur iuſtitiam atque iniuſtitiam, quæ in eodem, atq; uirtus uniuerſa, ordine locata eſt, quarum altera uirtutis, altera uitij uſus eſt cum altero, prætermittamus: ius quoq; & iniuria, quæ ſunt his conſentanea, quonam modo diſcernenda ſint, non eſt obſcurum. Nam pleraq; ferè iura legitima ea ſunt, quæ ab uniuerſa uirtute præſcribuntur. unicuique enim uirtuti conuenienter uiuere lex iubet, & ununquodq; uitium ſequi uetat. Cauſæ autem efficientes uirtutis uniuerſæ ſunt ea iura legitima omnia, quæ legibus de diſciplina ad remp. utili comprehenſa, & conſtituta ſunt. Sed de diſciplina cuiusque priuata, qua quis abſolutè uir bonus eſt, utrùm ſit prudentiæ ciuilis, an alterius facultatis, cauere, poſterius erit diſputandum. non eſt [15] enim fortaßis idem uirum bonum eſſe, & bonum ciuem. Eius autem iuſtitiæ, quæ ſubiecta generi eſt, iuriſq́; eius quod ei conſentaneum eſt, una ſpecies eſt, quæ in diſtributione uel honoris, uel pecuniæ, uel aliarum rerum, quæ inter eos diuidi poſſunt, qui eiuſdem reip. communione cõiuncti ſunt, uerſatur. in his enim eſt [16] ut alter cum altero & æquum & iniquum conſequatur: altera quæ in rebus contrahendis uim emendandi habet. Huius porrò duæ ſunt partes. Contractuum enim alij ſponte ac uoluntate noſtra: alij nobis inuitis fiunt. ſponte fiunt exempli cauſa hi, uĕditio, emptio, mutuum, fideiußio, commodatum, depoſitum, locatio & conductio. Dicuntur uerò ſponte fieri, quia horum cõtractuum principium noſtra ſponte inſtituitur. Eorum autem qui nobis inuitis fiunt alij ſunt clandeſtini, ut furtum, adulterium, ueneficium, lenocinium, ſerui alieni deceptio aut corruptio, cædes dolo commiſſa, falſum teſti=

mo=

monium: alij ſunt uiolenti, ut uerbera, uincula, mors, rapina, debilitatio corporis, maledicentia, contumelia.

Quoniam autem & iniuſtus iniquus, & iniuria iniquitas eſt, perſpicuum eſt aliquod eſſe eius, quod iniquum eſt, medium. hoc autem eſt æquale. In quacunque [17] enim actione plus eſt & minus, in ea æquum quoque ſeu æquale reperitur. Si igitur iniuria eſt iniquitas, ſeu inæqualitas: erit profectò ius æqualitas. quod etiã ſi rationẽ cur ita ſit, nõ afferamus, ita uidetur omnibus. Quoniã aũt æquale, mediũ eſt: ius quoq; mediũ quoddã erit. Atq; æquale quidẽ in duobus minimùm [18] reperitur. Quarè neceſſe eſt ius, & medium eſſe & æquale, & ad aliquid referri, & quibuſdam ius eſſe. Ac quà medium eſt, aliquorum medium eſt, quæ quidem ſunt plus & minus: quà æquale, duobus æquale eſt: quà ius, aliquibus eſt ius. Neceſſariò igitur ius in quatuor minimùm uerſatur. Nam & quibus ut ſit ius, accidit, duo ſunt: & in quibus ius ipſum ſitum eſt, res duæ: atque eadem erit æqualitas & eorum quibus ius tribuitur, & earum rerum in quibus ius conſiſtit. Nam ut res illæ in quibus ius poſitum eſt, ſe habent, ſic & illi quibus ius tribuitur. Niſi.n. ſint æquales, habebunt non æqualia. ſed hinc prælia, querelæq;, & expoſtulationes naſcuntur, cùm aut æquales non æqualia, aut non æquales æqualia conſequuntur, atque obtinent. Præterea ex eo quod cuique pro ſua dignitate tribuitur, hoc perſpicuum eſt. nam quod ius in diſtributionibus [19] poſitũ eſt, id fatẽtur omnes pro cuiuſque dignitate eſſe oportere. Verùm dignitatem non eandem omnes dicunt eſſe, ſed qui ſtatu reip. populari utuntur, libertatem: qui paucorum principatu, diuitias: alij nobilitatem generis: ij autem apud quos [20] reip.

præſunt optimates, uirtutem. Ius igitur proportione & comparatione quadam conſtat. Non enim ſolum eius numeri quo [21] *aliquid numeramus, proprium eſt proportione conſtare, ſed etiam eius qui uniuersè & omnino numerus eſt. Proportio enim rationis eſt æqualitas, quæ in quatuor minimùm reperitur. Diſiunctam igitur proportionem in quatuor conſiſtere non obſcurum eſt, ſimiliterq́; continuatam, ſeu continentem. Hæc enim loco duorum, uno utetur, & bis unum ſumet: uerbi gratia, quæ proportio eſt primæ lineæ ad ſecundam, eadem ſecundæ ad tertiam. bis igitur ſecunda ſumpta eſt. Quare ſi linea ſecunda bis poſita fuerit, quatuor erunt proportione inter ſe comparata. eſt autem & ius minimùm in quatuor, eademq́; eius ratio eſt. Diſiuncti ſunt enim ſimiliter & ij quibus ius tribuitur, & eæ res quæ diſtribuuntur. itaque quæ erit extremi* A *ad extremum* B *proportio, eadem extremi* C *ad extremum* D. *Alterna igitur ratione: ut extremum* A *ad extremum* C. *ſic* B *ad* D. *Ergo & totum cum toto comparabitur. idq́; diſtributio copulat, & ſi ita inter ſe componantur, iuſtè copulat.* Extremi igitur A *cum extremo* C, *& extremi* B *cum extremo* D *coniugatio, ius eſt, quod in diſtributione conſiſtit, & ius eſt* [22] *iniuriæ mediū, id eſt eius quod à proportione auerſum eſt. Nam quod proportione conſtat, medium eſt. Ius autem proportione conſtat. Appellant porrò mathematici talem proportionem, geometricam. In geometrica enim euenit ut quo modo totum cum toto, ſic utrunque cum utroque comparetur. Non eſt autem continens hæc proportio. non enim fit extremū unum numero is cui tribuitur, & res quæ tribuitur. Ex his igitur ſatis intelligitur hoc ius proportione conſtare: in-*

iu-

iuriam autem, à proportione deuiam atque auerſam eſſe. quo fit ut alterum ſit plus, alterum minus. quod quidem etiam in factis reperitur. Nam is qui iniuriam facit, plus boni ſibi uendicauit: ei qui afficitur iniuria, minus eſt boni. contrà fit in malo: boni enim rationem obtinet leuius malum, ſi cum grauiore malo comparetur. Nam leuius malum optabilius grauiore eſt. at quod optabile & ſumendum eſt, id bonum eſt: & quo quicque optabilius eſt, eo maius bonum eſt. atque hoc ſanè iuris unum genus eſt. Re*liquum autem alterum eſt id, quod ad corrigendum & emendandum ualet, uerſaturq́; in rebus & ſponte & inuitè contractis.* Atque hoc *ius aliud eſt à priore. ius enim quòd in diſtribuendis rebus communibus uertitur, ſemper ea, quam dixi, proportione conſtat. Nam ſi pecuniæ communis diſtributio facienda ſit, eadem ratione utendũ erit, quam habent inter ſe res eæ quæ à quoque in medium allatæ ſunt: eaq́; iniuria, quæ huic iuri opponitur, à proportione auerſa eſt. Ius autem quod in contractibus uerſatur, eſt illud quidem æquale quiddam, & iniuria, inæquale, uerùm non illa proportione, ſed arithmetica. nihil enim refert utrùm uir bonus malum fraudarit, an malus bonum: neque utrùm uir bonus, an malus adulterium fecerit, ſed damni tantùm differentiam intuetur lex, ijsq́; utitur tanquam æqualibus, an hic faciat iniuriam, ille iniuria afficiatur: & an hic damnum intulerit, ille acceperit. Itaque hanc iniuriam, quæ inæqualitas eſt, iudex exæquare conatur. Nam cum hic percuſſus fuerit, ille percuſſerit, aut etiam occiderit, hic mortuus ſit, perpeßio & actio in partes inæquales diuiſa eſt. ſed damno & mulcta conatur exæquare, de lucro detrahens. Nam (ut ſemel*

dicam) in his omnibus etiam ſi quibuſdam nomen non conueniat, lucrum appellatur : uerbi gratia, in eo qui percuſſerit, lucrum : in eo autem qui percuſſus fuerit, damnum. Sed cum perpeßionem metitur iudex, hoc damnum, illud lucrum nominatur. Itaque eorum quidem, quæ ſunt plus & minus, æquale eſt medium : lucrum autem [23] & damnum plus eſt & minus contrariè : boni plus & mali minus, lucrum eſt : contrarium damnum, quorum mediũ eſſe æquale modo demonſtrabamus, id quod ius eſſe dicimus. Erit igitur id ius, quod ad corrigendum & emendandum ualet, damni & lucri medium. Itaque & cum ambigunt aliqua de re inter ſe homines, ad iudicem confugiunt. Adire autem ad iudicem, adire ad ius eſt. Nihil [24] aliud enim uidetur eſſe iudex, quàm ius quoddam animatum : quæruntq́; iudicem medium. Itaque uocant eos nonnulli μεσιδίους id eſt medium diuidentes, ſeu medium adiudicantes, perinde quaſi facile futurum ſit, ut ius ſuum obtineant, ſi medium conſequantur. Ius ergo medium quiddam eſt, ſiquidem etiam iudex ipſe medius eſt. Ac iudex quidem exæquat, & ueluti linea in duas partes inæquales ſecta, quò maior pars dimidiam ſuperat, hoc de illa detrahit, & ad partem minorem addit. Toto autem in duas partes æquales diuiſo, tùm ſe ſuum dicunt obtinere, cùm partes æquales abſtulerint. Eſt autem æquale medium rei maioris & minoris proportione arithmetica. propterq́; hanc adeò cauſam ius à græcis δίκαιον appellatur, quia δίχα ἐστὶν id eſt in duo æqualia diuiſum eſt, perinde ac ſi quis dixerit δίχαιον: & δικαστὴς nominatus eſt, quaſi διχαστὴς, quæ uox eum ſignificaret, qui rem in duas partes æquales ſecat. Nam ſi duæ res ſint æquales, & quod ab una fuerit detractum, addatur alteri, his duobus fragmentis hæc illã

ſuperabit: ſi enim detractum quidem uni fuiſſet, non etiam alteri additum, uno duntaxat ſuperaret. Mediam igitur ea res cui acceßit aliquid, uno ſuperat, eáque cui detractum eſt, à media uno ſuperatur. Ex hoc itaque cognoſcemus & quid ei, qui plus habet, detrahendum ſit, & quid ei, qui minus, addendum. nam quo quis medium ſuperat, id ei qui minus habet, addendum eſt: quo medius ſuperatur, id maximo detrahendum. Sint tres lineæ. A A. B B. C C *inter ſe æquales. lineæ* A A *detracta ſit pars* A E, *addaturq́; ad lineam* C C, *ſitq́; ea pars* C D. *ita tota linea* D C C *lineam* E A *ſuperabit linea* C D. *& linea* C H. *ergo & lineam* B B *linea* C D. *Hoc autem ineſt etiam in alijs artibus. Tollerentur enim et cōciderent, niſi quantum & quale id, quod efficiendi uim habet, efficit, tantundem & tale perpeteretur id quod patitur. Nata ſunt autem hæc nomina damnum & lucrum ab eo contractu qui ſponte initur. nam plus ſuo obtinere, lucrum facere appellatur: minus autem, quàm quod initio ſuppetebat, habere, damno affici: ut fit in rebus uendendis & emendis, alijsq́; contractibus, in quibus per legem licet impunè ſuis rationibus conſulere, lucrumq́; facere. Vbi uerò neque plus, neque minus habent, ſed paria* [26] *paribus reſpondent, tunc ſe ſua habere dicunt, & neque damnum accepiſſe, neque quicquam lucri feciſſe. Itaque lucri* [27] *cuiuſdam & damni, quæ præter uoluntatem obuenerint, medium ius eſt: ut tantundem quis habeat poſterius, quantum antequàm iniuria fieret, habuit.*

Videtur autem quibuſdam talio quoq́;, ideſt reciproca quædam perpeßio, ius eſſe ſimpliciter, & abſolutè, quēadmodum Pythagorei dixerunt. Definiebant enim id eſſe

ius abſolutè, quod quis à ſe factum uiciſſim ab altero pate= retur. ius talionis[28] *porrò neque ad id ius quod in diſtri= butione bonorum uerſatur, neque ad id quod ad emenda= tionem factorum ualet, accommodari poteſt.(Atqui hanc talionem ius* Rhadamanthi *quoque fuiſſe uidentur ſigni= ficare: Si quis, quod fecit, patiatur, ius erit æquum) mul= tis enim locis à iure diſſidet ac diſcrepat: ueluti ſi quis magiſtratum gerens aliquem pulſauerit, non eſt referien= dus. Et ſi quis eum, qui magiſtratum gerat, pulsauerit, non modò uerberandus, ſed etiam caſtigandus eſt.*

Prætereà permultum intereſt inter id quod ſponte no= ſtra, & id quod inuitè facimus. Sed in communitatibus rerum contrahendarum ac permutandarum ſanè hoc ius talionis proportione, nõ æqualitate ciuilẽ ſocietatem[29] *cõ= tinet. Factis enim proportione*[30] *reciprocis manet cõiun= ctio ciuitatis. Aut enim malum*[31] *acceptum repone= re conantur, quod ſi non liceat, ſeruitus eſſe uidetur in= iuriam referre non poſſe: aut ei qui benemeritus ſit, re= ferre gratiam uolunt: quod ſi non fiat, ſublata eſt rerum*[32] *communicatio: at rerum communicatione ſocietas & con iunctio ciuium manet. Itaque & gratiarum templum in propatulo urbis loco conſtituitur, ut ſit remuneratio. Hoc enim gratiæ proprium eſt. Nam & ei qui beneficium de= derit, referendum beneficium eſt, & rurſus is qui accepit, alterum beneficio prouocare debet. Facit autem remune= rationem proportione conſtantem ea quæ medijs trãſuer= ſis lineis fit, coniunctio: exempli cauſa, ſit ædificiorum opi fex* A. *ſutor* B. *domus* C. *calceus* D. *Aedificiorum opifi= cem igitur neceſſe eſt de ſutoris opere ſumere, eiq; ſuum impartiri* Ergo *ſi primùm æqualitas ſit ea quæ proportio=*

ne

nē conſtat, deinde reciproca perpeßio fiat, ideſt tantundem accipiatur, quantum datum ſit: extabit id quod à nobis dicitur: ſin minus, neque erit æqualitas, neque manebit ſocietas. Nihil *prohibet enim quin unius opus alterius opere ſit præſtabilius. hæc igitur exæquanda ſunt. quod item fit in alijs artibus.* Tollantur [33] *enim & concidant, niſi & quantum & quale id quod efficiendi uim habet, efficit, tantundem & tale accipiat id quod patitur.* Non *enim ex duobus medicis conſtat ſocietas, ſed ex medico & agricola, & omninò ex diuerſis ac dißimilibus, denique inæqualibus, quos tamen oportet exæquari.* Quapropter *quarum rerum fit permutatio, eas res oportet eſſe eiusmodi, ut inter ſe comparari poßint.* Atque *ad hanc rem nummus quæſitus & comparatus eſt, qui omnium rerum quodāmodo fit medius* [34]. *nam res oēs metitur.* Quare *et nimium et parum metitur: quot igitur calcei domui uel alimento ſint æquales.* Oportet *ergo quam proportionem et comparationem habet ædificandi artifex ad ſutorem, tot numero calceos cum domo aut alimento comparari.* Nam *ſi hoc non ita fiet, neque erit permutatio, neque communitas.* Nō *poterunt autem cum domo calcei comparari, niſi domus & calcei quodammodo ſint æquales.* Ergo *quemadmodum ſuprà dixi, rem unam aliquam eſſe oportet, quæ ceteras omnes metiatur.* Hæc *autem re uera indigentia eſt, quæ omnia cōtinet.* Nā *ſi nulla re egerent homines, aut ſi nō ſimiliter egerent: uel nulla uel non eadē eßet permutatio. ſed in indigentiæ locum ex hominum pacto & cōuento quodammodo ſuccesſit nūmus. ob eamq; cauſam* νόμισμα *uocatur à græcis* ἀπὸ τοῦ νόμου, *id eſt à lege, quia non natura, ſed lege ualeat, ſitq; in nobis ſitū eum immutare,*

inutilemq́; reddere. erit igitur tùm perpeßio reciproca, cùm res fuerint exæquatæ. Itaque *quanti eſt agricola ſutori, tanti par eſt eſſe ſutoris opus, agricolæ. Sunt autē* [35] *in figurā proportionis deducēdi cùm permutaturi ſunt. quod ſi non fiet, alterum extremum utramq; exuperantiā habebit. uerùm tamen cùm ſuas res habent, ita ſunt æquales inter ſe, ac ſocij, quia hæc æqualitas in eis effici poteſt.* Agricola A. *alimentum* C. *ſutor* B. *opus eius exæquatum* D. *Quòd ſi hoc modo non liceret uicißim perpeti, ſeu accipere, nulla unquam ſocietas eſſet, nulla communitas.* In*digentia autem ſocietatem hominum contineri, tanquam uno quodam, quod uinculi inſtar ſit, ex eo perſpici poteſt, quòd ubi aut neuter eget re alterius, aut alter eorum non eget, permutatio inter eos contrahi non ſolet: quemadmodum cùm eius, quod quis habet, alter indiget, ut puta uini, exportandi frumenti ſit poteſtas.* Hoc *igitur oportet exæquari.* In *permutationem* [36] *futuram autem, ſi forte re aliqua nunc non egeamus, eius tunc nobis facultatē & copiam fore cùm egebimus, ueluti fideiuſſor quidam nobis nummus interponitur.* Oportet *enim unicuique eam rē, qua egeat, accipere licere, ubi nummum attulerit.* Sed *idem nummo quoque interdum accidit. non enim ſemper æqualem* [37] *uim habēt. ueruntamen immutabilior atq; immobilior permanere ſolet natura.* Itaque *debent eſſe res omnes æſtimatæ. Sic enim rerum permutatio ſemper futura eſt: ſi permutatio, ergo & ſocietas.* Nummus *igitur tanquā menſura* [38] *quædam communis poſtea quàm res apta quadam compoſitione & conuenientia conſentientes reddidit, tùm eas exæquat.* Nam *neque ſi non ſit permutatio, ſocietas conſtare poterit, neque ſine æqualitate,* per-

permutationi locus erit: neque ſine apta quadam rerum compoſitione & conuenientia erit æqualitas. Res *igitur inter ſe tam diſsimiles ac diſpares (ſi uerum quærimus) nulla communi menſura inter ſe componi, nec conuenire poſſunt: ſed quod ad utilitatem, indigentiamq́; attinet, ſatis commodè poſſunt. Quarè unum aliquod extare neceſſe eſt, idq́; hominum conceſſu & ex conditione.* [39] *Quapropter* νόμισμα *à græcis, id eſt nummus appellatur.* Hic *enim res inter ſe diſpares apta quadam compoſitione et cõuenientia præditas efficit. nihil eſt enim quod non metiatur. ſit domus* A. *minæ decem* B. *lectus* C. A *igitur dimidium* B *fuerit, ſi domus quinq; minarum ſit, aut tanti, quanti quinq; minæ ſunt.* C *autem lectus, ipſius* B *decima pars intelligatur.* Per*ſpicuum igitur eſt, quot lecti domui pretio ſint æquales, nempe quinque. Sic autem rerũ permutationem fieri ſolitam eſſe ante nummi uſum, non eſt obſcurum.* Nihil *enim intereſt utrùm lecti quinq;, an quod tanti ſit, quanti lecti quinq;, pro domo detur. Quid igitur ſit iniuria, quid ius à nobis explicatum eſt.* His *autem diſtinctis, perſpicuum eſt iuſtam actionem* [40] *inter faciendã & accipiendam iniuriam, mediam eſſe. illud enim plus obtinere eſt, hoc minus.* I*uſtitia porrò non quo modo uirtutes ſuperiores, mediocritas eſt, ſed quia medij id eſt æqualitatis eſt, eò mediocritas intelligitur. iniuſtitia* [41] *autem extremorum eſt.* Pr*æterea iuſtitia uirtus eſt, qua quis aptus eſt tùm ad agendum id quod iuſtũ eſt, conſultò, tùm ad ius tribuendũ & ſibi, ſi cũ altero cõtrahat, et alteri cum altero cõtrahenti, non ita, ut ſibi plus eius, quod optabile eſt, minus alteri: & contrà ſibi minus damni, plus alteri, ſed æquum ſibi & alijs peræqua proportione tribuat, idemq́;*

ob-

obſeruet in alijs inter ipſos. Contrà iniuſtitia uitium eſt, quo ad id quod iniuſtum eſt, agendum, nobisq́; & alijs diſtribuendum, apti ſumus. Hoc *autem eſt nimium & parum commodi & incommodi à proportione alienum.* Itaq; *iniuſtitia eſt nimium & parum, quia eſt & eius quod nimium eſt, & eius quod parum: in ſua quidem cauſa nimiũ rei abſolutè utilis ſibi tribuit, inutilis & damnoſæ parum:* In [42] *aliorum autem negocio generaliter ad eundem modum ſe gerit, ſed quod ad id iniquum, quod à proportione auerſum eſt, attinet, utrocunq; modo caſus* [43] *tulerit.* In*iuſtè* [44] *facti autem cum duo ſint extrema, minus extremum iniuriam accipere eſt, maius autem iniuſtè facere.* De *iuſtitia igitur, & iniuſtitia quæ nam ſit utriuſque natura, itémque de iure & iniuria, uniuersè hæc à nobis dicta ſint.* Sed *quoniam fieri poteſt ut is qui iniuriam facit, nondum tamen ſit iniuſtus: quibus nam iniurijs inferendis iam iniuſtus eſt in unoquoque iniuſtitiæ genere, ut fur, aut adulter, aut latro? an nihil intereſt? nanq; fieri poteſt, ut quis cum aliqua muliere rem habeat ſibi nota quidem illa, uerùm tamen non conſultò, ſed perturbatione, & libidine inflammatus.* Facit *igitur hic quidem iniuſtè, ſed non iccircò iniuſtus eſt, quemadmodum nec fur eſt, etiã ſi furatus ſit: nec adulter, ẽt ſi adulterium commiſerit, itẽq; in ceteris.* Ac *ſuprà quidẽ quã rationẽ reciproca perpeßio, quam talionem uocant, ad ius habeat, explicatum à nobis eſt.* Sed *ſciẽdum eſt ius eſſe ſimpliciter, et ius ciuile id quod quærimus.* Eſt *autem ius ciuile in ijs qui communitate* [45] *& ſocietate uitæ inter ſe coniuncti ſunt, ut homines* [46] *liberi & æquales uel proportione, uel numero, rerum ad uitam neceſſariarum copijs per ſe abundent, nihilq́; aliunde requirant.* Itaque *quibus hoc non eſt, eis* [47] *inter*

ipſos non eſt ius ciuile, ſed ius quoddam, & ex illius ſimilitudine ſic appellatum. Communi enim iure utuntur ij, quibus & lex inter ipſos communis eſt. Lex autem eorum communis eſt, quorum & iniuſtitia eſt. iudicium [48] *enim iuris & iniuriæ diſceptatio eſt. Inter quos autem iniuſtitia eſt, inter eoſdem & iniuriæ faciendæ locus eſſe poteſt. Quibus autem inter ipſos iniuriæ faciendæ locus eſt, non continuò in ijs omnibus iniuſtitia reperitur. Eſt autem iniuriam facere, eorũ quæ abſolutè bona ſunt, ſibi plus tribuere, minusq; eorum quæ abſolutè mala. Itaque hominẽ nõ ſinimus imperare, ſed rationem, quia hoc ille ſibi facere cõſueuit, fitq; tyrannus. Eſt aũt is qui præeſt, iuris cuſtos. quod ſi iuris, ergo et æqualitatis. Iã uerò quoniã ſi quis iuſtus ſit, nihilo plus ad eum boni, quàm ad ceteros, uidetur perueniſſe (non enim eorum quæ abſolutè bona ſunt, plus ſibi, quàm alijs, tribuit, niſi ex proportione quadam ei debeatur) iccircò alteri laborat, & ob hanc cauſam bonum alienum (ut ſuprà dixi) iuſtitiam eſſe uolunt. Danda igitur ei merces aliqua eſt, quæ eſt honos, & gloria. Qui uerò his contenti non ſunt, ij efficiuntur tyranni. Ius autem domini in ſeruos, uel patris in liberos, non eſt idem, atque hæc, ſed tamen ſimile. neque enim cuiquam in ſua iniuſtitiæ locus eſſe poteſt abſolutè. Atqui poſſeßio, & liberi uſque eò dum parui ſint, neque à patre ſeiuncti, partis inſtar ſunt. ſe autem conſultò damno afficit nemo. Non eſt igitur cuiquam in ſe ipſum iniuſtitiæ locus. Ex quo efficitur, neque iniuriæ, neq; iuri ciuili locum eſſe. Lege enim ius conſtare, in ijsq; locum habere, apud quos legem eſſe patitur natura, dicebamus. Eos autem eſſe docuimus, quibus eſt inter ipſos imperandi & parendi æqualitas. Itaq;*

taq; inter uirum & uxorem magis, quàm inter patrem & liberos, dominumq́; & ſeruum, iuris eſt communitas. Hoc *enim ius eſt ad tuendam rem familiarem pertinens, quod aliud eſt à ciuili.* Ius *ciuile* [50] *autem aliud naturale eſt, aliud legitimum.* N*aturale quod apud omnes idem ualet, non quia ita uel decretum ſit, uel non decretum.* L*egitimum autem, quod ab initio hoc, an illo modo fiat, nihil refert: cùm conſtitutum fuerit uerò, tunc demum refert, quale eſt illud, mina captiuum redimere, aut illud,* [51] *capram* I*oui immolare, non oues: prætereà quæ de rebus ſingularibus lege cauta ſunt, ut* Braſidæ *ſacra facere, & quæcunque à populo ſcita & decreta ſunt.* Exiſtimant *autem nõnulli iura omnia eſſe huiuſmodi id eſt legitima, quoniam id quod conſtat natura, immobile atque immutabile eſt, & ubique eandem uim habet, quemadmodum ignis & hîc, & apud* P*erſas urit: iura autem quotidiè uident immutari. ſed non* [52] *ita eſt omni quidem ex parte: eſt certè ex aliqua.* Et *ſanè* [53] *apud* Deos *fortaſſe ſic ſe res habet: ſed apud nos eſt certè aliquid naturale, mutabile, non tamen omne.* V*eruntamen nihilominus aliud ius natura ualet, aliud minimè. ſed quod* [54] *nam & quale ſit ius illud eorum quæ aliter euenire, mutariq́; poſſunt, quod natura ualeat, & quod non ualeat natura, ſed lege & conſenſu, ſi quidem ambo peræquè ſunt mutabilia, ex his quæ afferam, cognoſcere licebit: ceteris uerò eadem diſtinctio poterit accommodari.* M*anus dextera ualentior eſt ſiniſtra natura.* A*tqui euenire poteſt, ut omnes ſiniſtra perinde ut dextera, utantur.* I*am uerò quæ iura ex conſenſu & utilitate hominum nata ſunt, ea menſuris ſimilia ſunt.* N*eque enim omnibus in locis ſunt æquales uini triticiq́; menſuræ: ſed*

apud

apud eos qui emunt, maiores: apud eos qui uendunt, minores. Item iura non naturalia, ſed humana, non ſunt omnibus in locis eadem. Nam ne reip. quidem ſtatus idem & unus eſt apud omnes, ſed unus duntaxat ubiq; conſentaneus naturæ eſt, is, qui optimus. Iã ununquodq; ius & ununquodq; legitimum eandem rationem habet ad hominum actiones, quam res uniuerſæ ad ſingulares. Nam quæ aguntur, multa ſunt: ſed ununquodq; illorũ unum. Eſt enim uniuerſum quiddam. Differt[55] *autem ab iniuria iniuſtè factum, & à iure iuſtum officium, quo alter ius ſuum obtinet, iuſtusq; efficitur. Nã iniuria uel natura uel cõſtitutione iniuria eſt. hæc eadem cùm illata fuerit, iniuſtè factum eſt: priuſquàm illata ſit, nondum iniuſtè factum eſt, ſed iniuria. Eademq; iuſti officij, ſeu iuſtè facti ratio eſt. ſed quod etiam commune eſt, id magis proprio nomine iuſta actio appellatur, quæ græcis eſt* δικαιοπράγημα. *iuſtum officium autem, ſeu iuſtè factum, quod illi* δικαίωμα *dicunt, correctio & emendatio iniuriæ eſt. Quæ ſint autem ſingulorum horum genera, & partes, & quot ſint, & in quibus uerſentur, poſterius nobis erit uidendum.*

Iam cùm iuſta & iniuſta ea ſint, quæ ſunt à nobis expoſita, tùm & facit quiſque iniuſtè, & iuſtè agit, cũ ſponte ſua facit. Cùm uerò inuitus: neq; iniuſtè facit, neq; iuſtè agit, niſi ex euentu. Ea enim agit, quibus euênit, ut iuſta uel iniuſta ſint. Atqui iniuſtè factum, iuſtamq; actionẽ ſponte & inuitè agere definit ac terminat. Nam cum quis ſponte ſua agit, tum & uituperatur, & iniuſtè factum eſt. Erit ergo aliquid iniuſtum, quod nondũ erit iniuſtè factũ, niſi eò acceſſerit, ut ſpõte egerit. ſponte agi aũt dico, quẽadmodum & ſuprà à nobis dictum eſt, id quod quis in ſua

pote-

poteſtate poſitum agit ſciens, nec eum quem iniuriâ afficit, ignorans, nec quo quaſi inſtrumento, nec cuius rei gratia: uerbi cauſa, quem uerberet, quare uerberet, cuius denique rei cauſa uerberet: atque illorum ununquodq; fiat, neque ex euentu, neque ui: ueluti ſi quis alicuius manu apprehenſa alterum uerberet. at ſponte nõ uerberauit is, cuius eſt manus. non enim in eo ſitum fuit. Fieri autem poteſt ut pater ſit is, qui pulſatur: is qui pulſat uerò, illum eſſe hominem duntaxat, aut eorum aliquem, qui adſunt, ſciat, patrẽ eſſe neſciat: eadẽq; diſtinctio in eo cuius cauſa res agitur, adhiberi põt, in tota deniq; actione. Quod igitur ignoratur, aut cùm minimè ignoretur, tùm uel in eius qui agit, poteſtate non eſt, uel ei uis affertur, id ab inuito agi dicitur. Nã multa ſanè eorum quæ natura nobis affert, ſcientes & agimus, & patimur, quorum nihil nec ſponte noſtra, nec nobis inuitis fieri dicendum eſt, ut ſeneſcere, aut mori. In rebus iuſtis autem æquè atque in iniuſtis euenta locum habent. Nam ſi quis depoſitum reddiderit uel inuitus, uel metu coactus, is neque iuſto officio fungi, neque res iuſtas agere dicendus eſt, niſi ex euentu: itemq; qui neceſſitate coactus, & inuitus depoſitum nõ reddiderit, is ex euentu iniuriã facere, resq; iniuſtas agere dicendus eſt. Eorum autem quæ ſponte aguntur, alia cõſilio capto agimus, alia conſilio non capto. Conſilio capto agimus, quæ re deliberata: non capto conſilio, quæ re nõ deliberata agimus. Iam cùm in ſocietate generis humani tria ſint damnorum genera: ea quidem peccata cum inſcientia coniuncta ſunt, cùm quis aut quem minimè exiſtimauit, uulnerauerit, aut id quod non putauit, aut quo inſtrumento non putauit, aut cuius rei gratia non putauit,

fece=

fecerit. nam aut ſe non uulneraturum, aut non hoc inſtrumẽto, aut nõ hunc, aut nõ huius rei cauſa, arbitratus eſt, uerùm accidit non id cuius cauſa ſe facere exiſtimauit, ſed lõgè aliud: uerbi gratia non ut uulneraret, ſed ut pungeret, ferrum ſtrinxit, aut eum quem non putauit, uulnerauit, aut nõ ut uoluit. Cùm igitur nec opinatò [56] damnum illatum fuerit, infortunium nominatur. Cum autem non necopinatò quidem illud, ſed tamen non malitioſè, peccatum eſt. peccat enim tum quiſq; cum in ipſo cauſæ principiũ ineſt: infortunatus eſt, cùm principium extrà eſt. Vbi quis ſciens uerò læſit alterum, ſed ſine deliberatione, iniuſtè factum eſt: uerbi cauſa quæcunque uel ab ira, uel ab alijs affectibus, qui cùm aut neceſſarij ſint, aut naturales, hominibus accidunt. Nam qui his impulſi lædunt alterum, & qui his peccant, iniuriam illi quidem faciunt, & eorum facta ſunt iniuſtè facta, nondum tamen propter hæc iniuſti, neque improbi ſunt. non enim malitioſè damnum illatum eſt. Cùm autem conſilio capto, & de induſtria, tùm & iniuſtus & improbus eſt dicendus. Quapropter rectè quæ per iram fiunt, [57] non de induſtria facta iudicantur. non enim prior lædit is qui iratus facit: ſed qui laceſſiuit. Prætereà non eſt controuerſia de facto, ſed de iure. Ob [58] iniuſtitiæ enim ſpeciem animo obiectam ira commouetur. nanq; hic non de facto cõtrouerſia eſt ut in rebus cõtrahendis inter eos qui contraxerunt, quorum neceſſe eſt alterum eſſe improbum, niſi obliti id faciant: ſed de facto unũ & idem ſentientes de iure diſſentiunt, atque ambigunt. At qui inſidiatus eſt, non ignorat factum. Itaque qui ab [59] irato læſus eſt, iniuriam ſe accepiſſe putat: qui iratus læſit, nullam ſe feciſſe iniuriam exiſtimat. Quòd ſi conſultò

dammum inferat, iniuriam facit: & qui his iniurijs inferẽdis iniurius eſt, iniuſtus eſt, cùm uel à proportione, uel ab æqualitate diſceſſerit: itémque iuſtus eſt tum cum conſultò iuſte agit. Iuſte agit autem ſi modo ſponte & uoluntate ſua agat. Eorum autem quæ inuitè fiunt, alia uenia digna ſunt, alia non item. quæcunque enim non ſolùm inſcientes, ſed etiam per inſcientiam peccant homines, ijs uenia debetur: quæcunque uerò non propter inſcientiam peccant, ſed quanuis inſcientes, tamen perturbationibus nec naturalibus nec humanis incitati, ueniam non merentur.

Dubitare autem poßit aliquis, ſatis ne diſtinctè de accipienda & facienda iniuria à nobis diſputatum ſit. Ac primùm quidem utrùm ita ſe res habeat, ut dixit [60] Euripides, cuius hæc ſunt in primis abſurda. Matrem ut meã necauerim dicam breui: Volens uolentem uel uolentem non uolens: An poßit quiſquam uerè iniuriam ſua uoluntate accipere, nec ne: an potius omnis inuito fiat iniuria, quemadmodum & quiſquis iniuriam facit, ſponte facit: & num quiſq; iniuriam accipiat, uel hoc uel illo modo, quemadmodum iniuriam quisq; ſua uoluntate facit: an una ſit quam quis ſua ſponte, altera quam inuitus accipit: eademq; ſui iuris [61] obtinendi ratio ſit. quiſquis enim iuſtè agit, ſponte agit. itaque conſentaneum eſt utroque ſimiliter inter ſe opponi iniuriam accipere & ius ſuum obtinere, ut utrunque uel ſponte perferatur, atq; obtineatur, uel inuitè. Sed abſurdum uideri poßit etiam in ſuo iure obtinendo, ſi omnis qui ius ſuum obtinet, ſponte obtineat. Nonnulli enim ius ſuum obtinent non ſua uoluntate. nam hoc quoq; cuipiam dubium eſſe poßit, utrùm quisquis aliquid iniuſti pertulit, iniuriam accepiſſe dicendus ſit, an uerò ut in agendo, ſic ſe res habeat etiam in perpetiendo.

Fieri enim poteſt ut quis ex euentu in utriſq; iuris ſit particeps. Quod idem in rebus iniuſtis perſpicuum eſt. Non enim idem eſt res iniuſtas agere, atque iniuriam facere, neque res iniuſtas perferre, atq; iniuriam accipere: idẽq; de re iuſta agenda, & de iure ſuo obtinendo ſentiendum. Nam fieri non poteſt, neque ut quiſquam iniuriam accipiat, niſi ſit qui faciat, neque ut ius ſuum obtineat, niſi ſit qui iuſtè agat, iuſtiq; iudicis munere fungatur. Quòd ſi ſimpliciter iniuriam facere eſt alicui ſponte ſua nocere: ſponte autem facere eſt ſcientem & cui, & quo, & quo modo noceas: incontinens autem ſponte ſua ſibi ipſe nocet: ergo & ſponte ſua iniuria afficietur, & accidere poterit, ut quis ſe ipſe iniuria afficiat. At hoc eſt unum ex ijs quæ dubitantur, accidere ne poßit ut quis ſibi ipſe iniuriam faciat. Prætereà ſponte ſua aliquis propter incontinentiam ſuam ab altero [62] eius uoluntate damno affici poßit. itaq; fieri poterit, ut quis ſponte ſua iniuria afficiatur, aut non eſt recta definitio, illiſq; uerbis nocere ſcientem & cui, & quo, & quomodo noceas, addenda ſunt hæc, contra illius uoluntatem. Damno igitur ſua ſponte quiſpiam affici, reſq; iniuſtas perferre & perpeti poteſt, iniuriam autem accipere non poteſt. omnino enim uult nemo iniuriam accipere, ac ne incontinens quidem: ſed præter ſuam uoluntatem agit. nemo enim id exiſtimandus eſt uelle, quod non arbitretur eſſe bonum. At incontinens id quod agẽdum eſſe non putat, agit. Neque uerò qui dat ſua, quemadmodum ſcribit Homerus Glaucum Diomedi *dediſſe* Aurea dat pretio arma boues æquantia centum: Aerea fert nihiloq; nouem meliora iuuencis, *iniuria afficitur. in eius enim poteſtate eſt dare, aut non dare. At iniuriam accipe-*

re non eſt in eius, qui accipit, poteſtate ſitum, ſed adſit is oportet qui iniuriam faciat. Iniuriam igitur ſponte accipere neminem ex his intelligi poteſt. Sed ex ijs quæ propoſuimus, duo nobis ſunt explicanda, utrùm is iniuriam faciat, qui plus alicui[63] *tribuit præter eius meritum ac dignitatẽ, an is qui plus conſecutus eſt: & utrùm fieri poſſit, ut quis ſibi ipſe iniuriam faciat. Nam ſi probari poteſt id, quod priore loco dictum eſt, eum qui diſtribuit, facere iniuriam, non eum qui plus obtinuit: ſi quis plus alteri, quàm ſibi, tribuat ſciens, & ſua uoluntate, id quod modeſti homines facere conſueuerunt: (nam uir bonus de ſuo iure libenter et facile alijs concedere ſolet) hic ſe ipſe iniuria afficere uidebitur. an ne hoc quidem ſimplex eſt? Nam plus ſibi alterius boni, ſi caſus ita tulit, uendicauit, ueluti gloriæ, aut eius*[64] *quod abſolutè honeſtum eſt. Præterea ex*[65] *definitione faciendæ iniuriæ, hoc diſsoluitur. Nihil enim ei accidit præter ipſius uoluntatem. Quare non iccirco iniuria afficitur, ſed ut hoc demus, damno afficitur duntaxat. Perſpicuum autem etiam illud eſt eum quidẽ, qui plus diſtribuit, facere iniuriam, ſed eum, qui plus obtinet, non ſemper. Non enim is, in quo id ineſt, quod iniuſtum eſt, iniuriam facit, ſed in quo ut ſponte hoc faciat, hoc eſt à quo actionis principium proficiſcitur: quod ſanè eſt in eo qui diſtribuit, non in eo qui capit. Præterea quoniam facere multis modis dicitur, quoniamq; dici poſſunt inanimata quodammodo interficere, & manus, & ſeruus domini iuſſu: non faciũt illa iniuriam, ſed res iniuſtas. Præterea ſi quis ignorans iudicauit, quod ad ius legitimum attinet, neque facit iniuriam, neq; iudicium iniuſtum eſt, ſed eſt ueluti iniuſtum. Nam ius legitimum aliud eſt ab illo pri*

mo

mo & naturali. Quòd ſi ſciens iniuſtè iudicauit, iam ipſe quoq; plus conſecutus eſt, uel in eo quòd gratiam inijt ab altero, uel in eo quòd inimicitias ſuas ultus eſt. Perinde igitur eſt ac ſi quis iniuriæ factæ ſit ſocius ac particeps: & is qui propter hæc iniuſtè iudicauit, plus obtinere intelligitur. nam & qui agrum alteri adiudicauit, is non agrum, ſed pecuniam accepit. Homines autem in ſua poteſtate poſitum eſſe putant iniuriam facere, eoq́; facile eſſe iuſtum eſſe: ſed non ita eſt. Nam cum uicini uxore rem habere, & alterum uerberare, & manu pecuniam largiri, tùm facilè eſt, tùm in eorum, qui faciunt, poteſtate ſitum eſt: ſed ſic affectos hæc facere, neq; facile, neq; in eorum poteſtate ſitum eſt: itemq́; iura & iniurias noſſe, nullius ſapientiæ eſſe putant, quia ea de quibus loquuntur leges, intelligere difficile non eſt: Verùm hæc non ſunt iuſta, niſi ex euentu, ſed cùm certo quodam modo & aguntur & diſtribuuntur, tùm iuſta ſunt. Hoc autem maius opus eſt, quàm res ſalubres cognoſcere. nam illic quoq; mel, uinum, elleborum, uſtionem, & ſectionem cognoſcere facile eſt: ſed quomodo, & cui, & quando ad ſanitatem[66] adhibenda ſint, ſcire, ita magnum & operoſum eſt, ut medicum eſſe. Propter hanc eandem cauſam non minus iuſti, quàm iniuſti hominis eſſe putant iniuriam facere, quia iuſtus non minus quàm iniuſtus, immò uerò magis, ununquodq; horum agere poßit. Nam & illum cũ aliena uxore rem habere, & alterum uerberare, & uirum fortem clypeũ abijcere, & uerſo tergo in utranuis partem currere poſſe dicunt. Atqui ignauum eſſe, & iniuriam facere non eſt hæc facere, niſi ex euentu, ſed ſic affectum facere: quemadmodum mederi & ſanare non eſt ſe-

care, aut non ſecare, medicamento purgare aut non purgare, ſed ſic affectum hæc præſtare. In his autem iura locum habent inter quos eorum quæ abſolutè bona ſunt, communitas eſt, & quibus horum nimium & parum interuenire poteſt. Alijs enim non eſt eorum nimium, ut fortaſſe dijs: alijs nulla prorſus eorum pars utilis eſt, ſcilicet hominibus inſanabilibus, & omni uitiorum genere contaminatis, ſed omnia nocent: alijs aliquatenus utilia ſunt, atq; hoc humanum [67] eſt. Sequitur ut de æquitate & de æquo bono dicamus, quam rationem æquitas ad iuſtitiam, quam æquũ bonũ ad ius habeat. nanq; qui propius [68] intuentur, ijs neque ut idem omnino, neque ut aliud genere uidetur: & interdum æquum bonum laudamus, eumq́; uirum qui æquus bonus eſt. Itaque cùm laudare uolumus, etiam hoc nomen ad alia transferimus pro bono æquius melius uſurpantes. quo quidem id, quod æquius melius ſit, melius eſſe ſignificamus. interdum ijs, qui rationem ſequũtur, abſurdum uidetur æquum bonum, ſi ſit quiddam unũ à iure diuerſum, eſſe laudabile. nam uel ius [69] non eſt bonum, uel æquum bonum non eſt bonum, ſi à iure aliud ac diuerſum eſt, uel ſi utrunque bonum eſt, idem eſt. Omnis igitur de æquo bono quæſtio ex his propemodùm cauſis naſcitur. ſed hæc quodammodo benè habent omnia, nec quicquam eſt quod ſecum pugnet. nam cùm æquum bonum iure quodam melius ſit, tùm ipſum ius eſt, neque ita iure melius eſt, ut ſit aliud quoddam genus. idem ergo eſt ius, & æquum bonum. Cumq́; ambo ſint bona, melius eſt æquum bonum. Sed hinc nata dubitatio eſt, quòd quanuis æquum bonum ius ſit, non eſt tamen ius lege conſtitutum, aut legitimum, ſed iuris legitimi correctio. Cuius rei hæc cauſa

eſt

eſt, quòd lex omnis generalis eſt. De *quibuſdam autem re=
bus uniuersè et generaliter rectè præcipi non poteſt.* Itaq;
*quibus in rebus legis uocem uniuerſam ac generalem eſſe
neceſſe eſt, id autem non ſatis rectè fieri poteſt, id ſumit
lex quod plurimùm ſolet euenire, quamuis in hoc peccari
ſatis intelligat. nec tamen iccircò minus recta eſt.* Non
*enim culpa legis eſt, neq; eius qui legem tulit, ſed naturæ
rerum.* Earum *enim rerum, quæ ſub actionem cadunt, ta=
lis materia eſt.* Cùm *igitur lege generaliter locuta, ali=
quid euénit poſteà præter genus illud uniuerſum: tunc par
eſt, quà prætermiſit aliquid lator legis, & peccauit in eo
quòd abſolutè locutus eſt, id quod deeſt, quodq́; omiſſum
eſt, corrigere, quod lator legis, ſi adeſſet, ita loquere=
tur, & de quo* [70] *legem tuliſſet, ſi præſciuiſſet.* Itaq; *cùm
æquum bonum ius ſit, tùm quodam iure melius eſt, non eo
quod abſolutè ius eſt, ſed eo peccato, quod ex ſimplici et
generali ſermone natum eſt.* Denique *hæc æqui boni uis ac
natura eſt, ut legis correctio ſit, quà aliquid ei deeſt, pro=
pterea quòd generaliter loquitur.* Hæc *enim cauſa eſt cur
non omnia lege ſint comprehenſa, quòd de quibuſdam lex
ferri non poßit. plebiſcito igitur opus eſt.* Rei *enim non
definitæ infinita quoq; regula eſt, ut ſtructuræ* Lesbiæ *re=
gula plumbea eſt. nam ad lapidis figuram torquetur et in=
flectitur, neque manet eadem: ſic & populi ſcitum ad res
quotidianas accommodari & transferri ſolet.* Quid *ſit i=
gitur æquum bonum, quid ius, quo deniq; iure melius, ex
his perſpicuum eſt.* Ex *hoc autem etiam apparet, quis ſit
uir æquus & bonus. nam qui conſilium huiuſmodi cepit,
ut hæc ſequatur, ad eaq́; ipſa agēda aptus eſt, et qui* [71] *nō eſt
iuris interpres in ſua cauſa durior, neq; in deteriorē par*

tem propenſus, ſed de ſuo iure concedit potius, etiam ſi legis auxilio nitatur, is eſt æquus bonus; & hic habitus æquitas appellatur, quæ iuſtitia quædam eſt, non alius quidam habitus. Ex *ijs quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, utrùm fieri poßit, ut quis ſibi ipſe faciat iniuriã, nec ne.* Nã *quæ ex omni uirtute legibus conſtituta ſunt, ea in iuribus ſunt habenda: uerbi gratia, non iubet lex ſe ipſum interficere, et quæ non iubet lex, uetat.* Præter*eà cùm aliquis contra legem nocet alteri, nullo ab eo incommodo accepto, ſponte facit iniuriam. Sponte autem facit, qui ſciens cui, & quo faciat, iniuriam facit.* At *qui ira impulſus ſibi ipſe mortem conſciſcit, hoc ſponte facit contra rectam legem, quod lex non permittit.* Iniuriam *igitur facit: ſed cui? certè ciuitati. Sponte enim hunc caſum ſubit, ac perfert, cùm iniuria nemo ſponte afficiatur.* Itaq; & *eum multat ciuitas, et ignominia afficitur is, qui ſe ipſe* [72] *exanimauit, ut qui ciuitatem iniuria affecerit.* Præterea [73] *ex eo quòd iniuſtus eſt is, qui iniuſtè facit tantum, & non prorſus improbus, fieri non poteſt, ut quiſquam ſibi ipſe iniuriam inferat. hoc enim aliud eſt ab illo. nam iniuſtus ita quodammodo improbus eſt, ut ignauus, non ut is qui omni genere improbitatis ſit affectus.* Itaq; *ne hac iniuſtitia quidẽ ſibi iniuriam facit: alioqui idem eidem adimi ſimul, & accedere poſſet: quod fieri nullo modo poteſt, ſed ſemper in pluribus ius & iniuriam eſſe neceſſe eſt. prætereà iniuriã facere cum à uoluntate & conſilio proficiſcatur, tùm etiã tempore prius eſt.* Nam *qui malo accepto parem refert iniuriam, facere non uidetur.* At *qui ſe ipſe interimit, eadem ipſe & patitur ſimul, & facit.* Deinde *acciperet aliquis ſponte ſua iniuriam.* His *accedit quòd nemo ſine ſingulis*

gulis iniuriarum generibus, iniuriam facit. At uxorem ſuam nemo adulterat, nemo parietem ſuum perfodit, nemo rei ſuæ furtum committit. Poſtremò refellitur hoc in ſummâ, ſibi quenquam iniuriam facere, ex ijs quæ 74 *à nobis diſtincta & deciſa ſunt, nempe neminem ſponte ſua iniuriam accipere. Iam uerò minimè illud quidem obſcurum eſt, utrunq; eſſe malum accipere & facere iniuriam. alterum enim minus, alterum plus medio obtinere eſt: quod* 75 *quidẽ ſimilẽ rationem obtinet, atq; in medicina id, quod ad bonam ualetudinem pertinet: in arte autem corporum exercendorum id, quo firma corporis conſtitutio comparatur. ueruntamen deterius iniuriam facere eſt. Nanque iniuriam facere cum uitio coniunctum, & uituperandum eſſe dicebamus: & cum uitio quidem uel perfecto atq; integro, & quod ſimpliciter tale eſt, uel eo quod ei finitimum eſt. Non enim quicquid ſponte fit, coniunctum cum iniuſtitia eſt. accipere iniuriam autem uitio & iniuſtitia uacat. per ſe igitur leuius malum eſt accipere iniuriam, quamuis ex euentu grauius eße nihil prohibeat. ſed de hoc ars non laborat. Quin lateris dolorem pedis offenſione ſemper eſſe dicit morbum grauiorem, & tamen ex euentu pedis offenſio morbo lateris maius malum poterit eſſe: ut ſi cui offenſo pede contigerit, ut propterea quòd ceciderit, capiatur ab hoſtibus & occidatur. Ex translatione autem & ſimilitudine quadam ſermonis poterit eſſe quædam non ipſi ſecum, ſed ſui partium aliquibus iuris communitas, uerùm non omnis iuris, ſed uel eius quo dominus in ſeruum, uel eius quo paterfamilias, in familiam ſuam uti ſolet. His enim rationibus ea pars animi, quæ rationis eſt particeps ab ea diſtat, quæ ratione uacat. Ad quæ ſi aſpe-*

ctum

ctum referamus, uidetur quoq; homini in ſe ipſum iniuſtitiæ locus eſſe, quia fieri poteſt, ut in his partibus aliquid à ſuis appetitionibus alienum ac diuerſum perferat. Itaque inter animi partes, ut inter eum qui præeſt, & eum qui paret imperio, ius aliquod intercedere uidetur. de iuſtitia igitur, alijsq; uirtutibus, quæ ad mortes pertinent, cum hac diſtinctione ſic à nobis ſit explicatum.

Liber ſextus.

QVONIAM *autem ſuprà diximus medium eſſe deligendum, non nimium, neque parum: medium autem ita eſſe, ut recta ratio præſcribit, de hoc diſtinctius diſſeramus. in omnibus enim, quos dixi, habitibus, quemadmodum & in alijs rebus, ſcopus aliquis ineſt, quem ſpectans is qui rationis eſt particeps, inintendit [1] aliquid, & remittit: finiſq; ac terminus aliquis eſt mediocritatum, quas inter nimium et parum interiectas eſſe dicimus, rectæ rationi cõſentaneas. quod cùm ita dicitur, eſt illud quidem uerum, ſed non ſatis apertum. nanq; in ceteris ſtudijs, atque exercitationibus, in quibus ſciẽtia aliqua uerſatur, licet hoc quidem uerè dicere neque plus, neque minus laboris, aut deſidiæ, quam res poſtulet, ſuſcipiendum eſſe, ſed omnia mediocriter, & ut recta ratio præſcribit, eſſe facienda: uerùm qui hoc tãtum perceptũ et cognitũ habeat, nihil eo amplius [2] ſciat: exẽpli cauſa, ſi quis quærẽti qualia alẽdo et curãdo corpori ſint adhibenda, reſpondeat, quæ ars medendi præcipit, & ut is, qui ea preditus eſt, præcipit. Quapropter etiam in habiti-*

bus

bus animi non ſolùm hoc eſſe [3] uerè dictum, ſed etiam diſtinctum atque explicatum eſſe oportet, quæ ſit recta ratio, quæq; eius definitio. Atque animi quidem uirtutes ita diſtribuimus, ut alias morum, alias cogitationis eſſe diceremus. Eas igitur, quæ ad mores pertinent, explicauimus: de ceteris autem tùm diſſeramus, cùm pauca fuerimus de animo locuti. Dictum eſt ſuprà duas eſſe animi partes, alteram rationis participem, expertem alteram. Nunc item eius partis, quæ ratione prædita eſt, facienda eodem modo diuiſio eſt. Atq; hoc poſitum ſit, duas eſſe animi partes ratione præditas, unam qua res eas cernimus, quarum principia aliter ſeſe habere non poſſunt, alteram qua eas, quæ hoc uel illo modo poſſunt euenire. Ad ea enim quorum non eſt idem genus, intelligenda, partem quoque animi, quæ ad utrunque apta ſit natura, oportet genere differre, ſi quidem [4] eis ex ſimilitudine quadam, atq; affinitate cognitio comparatur. Appelletur autem harum altera, pars in qua uis ineſt ſciendi, altera quæ ad ratiocinandum ualet. Nam cõſultare & ratiocinari eadem ſunt. Iam uerò nemo de ijs conſultat, quæ aliter euenire non poſſunt. Itaque ea quæ ad ratiocinandum ualet, una quædam pars eſt eius animi partis quæ ratione prædita eſt. Intelligendum igitur eſt utriuſque harum partium quis optimus ſit habitus. Hic enim utriuſque uirtus eſt. At uirtus ad ſuum quæque opus pertinet. Tria autem ſunt in animo quæ actionis & ueritatis dominatum obtinent, ſenſus, mens, appetitus. quanquam ex his tribus ſenſus nullius actionis principium eſt. Quod ex eo perſpicuum eſt, quòd tametſi beſtiæ ſenſu ſint præditæ, actionis tamen communionem non habent. Quod eſt autem in cogitatione affirmatio

matio & negatio, hoc eſt in appetitu rei alicuius perſecutio et fuga. Quarè quoniam uirtus quæ ad mores pertinet, habitus eſt ad conſilium capiendum expeditus: conſilium autem appetitus eſt ad conſultationem accommodatus, icircò ſi conſiliũ bonum eſſe uolumus, oportet & rationem eſſe ueram, & appetitum rectum, eademq́; & illam affirmare, & hunc perſequi. Hæc igitur cogitatio & ueritas ad agendum ualet. Cogitationis autem eius, quæ ad res contemplandas, non ad agendas, neque ad faciendas ualet, præſtantia & uitium, eſt uerum & falſum. Omnis enim poteſtatis cogitandi hoc propriũ opus ac munus eſt. Agẽdi autem & cogitandi poteſtatis opus eſt ueritas conſpirans & congruens cum appetitu recto. Actionis igitur principium conſilium eſt, principium [5] inquam unde motus proficiſcitur, non cuius gratia res agitur. Conſilij autem capiendi principium eſt appetitus & ratio ea, quæ finem aliquem ſibi propoſitum habet. Quocirca neque ſine mente & cogitatione, neque ſine habitu [6] eo, qui ad mores pertinet, cõſilium eſſe poteſt. nam neque bona perfectaq́; actio, neque ei contraria, ſine cogitatione & moribus conſtare poteſt. cogitatio [7] autem ipſa nihil mouet, niſi ea quæ alicuius rei gratia comparata eſt, & quæ ad agendum eſt idonea. Hæc enim [8] etiam ei, quæ ad efficiẽdum ualet, præeſt. Nam quisquis [9] aliquid efficit, alicuius rei ſingularis cauſa efficit: neque abſolutè id quod efficitur, finis eſt, ſed ad aliquid refertur, & alicuius eſt. quod idem de eo, quod ſub actionem [10] cadit, dici non poteſt. actionis enim ultimũ eſt perfecta actio, id eſt res benè geſta. Conſilium itaque aut mens eſt ad appetendum excitãs, aut appetitus cogitandi uim habens. principiũq́; tale homo eſt.

eſt. Nullius *autem rei iam factæ cõſilium capi poteſt:* Verbi *gratia, nemo conſilium* [11] *capit* Ilium *euertiſſe. nam neque de re præterita deliberat quiſquam, ſed de futura, & ea quæ fieri poteſt.* Quod *factum eſt autem ut ſit infectum, fieri non poteſt.* Itaque *rectè* Agatho Hoc *nanque duntaxat negatum ipſi* Deo *eſt,* Quæ *facta ſunt infecta poſſe reddere.* Quocirca *ambarum animi partiũ quæ ad cogitandum ualent, opus eſt ueritas.* Qui *igitur habitus efficiunt ut utraque pars uerum enuntiet, ij ſunt utriuſq; uirtutes.* Principio *igitur altius repetito de ijs rurſum copioſius diſſeramus.* Ac *ſint ſanè quinque numero, quibus animus uerum enuntiat uel aiendo, uel negando, ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, mens, ſiue intelligentia. nanq; exiſtimatione* [12] *& opinione ut mentiatur animus, euenire poteſt.* Ac *ſcientia quidem quid ſit, ex hoc perſpicuum eſſe poteſt, (ſi rei ueritatem ſubtiliter exquirere, non ſimilitudines conſectari uolumus) quòd omnes exiſtimamus, ut id quod ſcimus, aliter ſe habeat, euenire non poſſe.* Quæ *autem ſeſe aliter habere poſſunt, ea cùm longè* [13] *à conſpectu remota ſunt, ſint nec ne ſint, obſcurum eſt.* Ergo *quod ſcientia comprehendi poteſt, neceſſariò eſt. ex quo efficitur ut æternum ſit. nam quæ neceſſariò* [14] *ſunt ſimpliciter, ea ſunt æterna omnia.* Aeterna *autem quæ ſunt, ea neq; unquam orta ſunt, neq; interire poſſunt.* Præterea *ſcientia omnis ſub doctrinam cadere uidetur, & quicquid ſub ſcientiam cadit, diſcendo percipi poteſt.* Iam *uerò ex quibuſdam rebus antè cognitis omnis doctrina gignitur, quemadmodum in analyticis dicebamus.* Alia *enim inductione, alia ratiocinatione comparatur.* Atque *inductio* [15] *quidem principium eſt, etiam uni=*

uniuerſorum. ratiocinatio autem principijs uniuerſis conſtat. Sunt ergo principia aliqua ex quibus conſtituitur ratiocinatio, quorum non eſt ratiocinatio. eſt igitur eorum [16] *inductio. Scientia ergo habitus eſt ad rem demonſtrandam idoneus, & cetera omnia quæ in analyticis ad definitionem addidimus. Cum enim rem ita eſſe, quodammodo credit aliquis, & nota ſunt ei principia, tùm ſcire dicitur. Quod ſi non erunt concluſione notiora: ex euẽtu partam ſcientiam habebit. Ac de ſcientia quidem cum hac diſtinctione à nobis dictum ſit.* *Eorum autem quæ aliter euenire poſſunt, aliud eſt quod ſub effectionem cadit, aliud quod ſub actionem. Differt autem ab actione effectio, de quibus & libri populariter, neq; admodum enucleatè à nobis ſcripti, quos* ἐξωτερικοὺς *appellamus, fidem facere nobis debent. Itaq; & habitus cum ratione coniunctus ad agẽdum idoneus ab eo differt, qui cùm ad efficiendum ualeat, cum ratione coniunctus eſt, neuterq́; ab altero continetur. Nam neq; actio effectio, neq; effectio actio eſt. Quoniam autem ars ædificandi ars quædam eſt, atq; idipſum quod habitus quidam cum ratione cũiunctus ad efficiendũ idoneus: neq; ars ulla eſt quæ non ſit habitus cum ratione coniunctus ad faciendum idoneus, neq; ullus talis habitus eſt, qui non ſit ars: idem erunt ars & habitus ad faciendum idoneus cum uera ratione coniunctus. Ars autem omnis in origine* [17] *& molitione rei occupata eſt, idq́; molitur & ſpectat, ut aliquid fiat eorum, quæ eſſe & non eſſe poſſunt, quorumq́; principium in eo qui facit, non in eo quod fit, poſitum eſt. Nam neq; eorum quæ neceſſariò uel ſunt uel fiunt, ars eſt, nec eorum quæ natura conſtant. Hæc enim in ſe ipſis incluſum habent principium. Quoniam au-*

tem

tem effectio & actio inter ſe differunt, neceſſe eſt artem effectionis eſſe, non actionis: in ijsdemq́; rebus quodammodo ars & fortuna uerſantur, quemadmodum ait & Agatho, Fortuna ut artem, ſic & ars fortunam amat.

Ars igitur (ut dictum eſt) habitus eſt quidam cum uera ratione coniunctus ad efficiendum idoneus. Inertia [18] contrà habitus cũ ratione falſa coniunctus ad efficiendum idoneus in eo, quod aliter ẽuenire poteſt, occupatus.

De prudentia autem ſic optimè cognoſcemus, ſi quos prudentes appellemus, perceperimus. Ac prudentis quidem eſſe uidetur in ijs quæ ſibi bona & ex uſu ſunt, nõ ſingillatim, uerbi gratia quænam ad bonam ualetudinem, aut ad uires, ſed uniuersè, quæ ad benè beateq́; uiuendum cõducant, benè conſultare poſſe. Cuius rei argumentũ eſt, quòd prudentes in re aliqua dicimus eos, qui benè ratiocinando quomodo ad honeſtum finem perueniant, aſſequuntur in ijs, quæ arte non continentur. Quocirca qui ad cõſultandum ingenio ualet, is prudens omninò iure poterit appellari. Conſultat autem ijs de rebus nemo quæ aliter ſeſe habere, quæúe ab ipſo agi non poſſunt. Quare ſi ſcientia omnis cũ demõſtratione coniuncta eſt, & ſi quorũ principia aliter ſeſe habere poſſunt, eorum non eſt demonſtratio, (omnia enim [19] ſeſe aliter quoq; habere poſſunt) de ijs deniq; quæ neceſſariò ſunt, conſultari non poteſt: neque ſcientia, neque ars, erit prudentia: ſcientia, quia quod ſub actionem cadit, ſeſe aliter habere poteſt: ars, quia [20] aliud actionis, aliud effectionis eſt genus. Reſtat igitur ut ea ſit habitus cum ratione uera coniunctus ad agendum idoneus in ijs occupatus quæ homini bona & mala ſunt. Effectionis enim [21] alius quàm effectio finis eſt: actionis ue=

rò[22] *non ſemper alius ab actione. Eſt.n. ipſa res bene geſta ſeu perfecta actio actionis finis. Ac propter hanc cauſam Periclem, ceterosq́; tales uiros, prudentes eſſe arbitramur, quòd ea quæ ſibi, hominumq́; generi bona ſunt, diſpicere, ac prouidere poſſunt: quales eſſe putamus eos, qui rei familiaris tuendæ, reiq́; publicæ adminiſtrandæ periti ſunt. Ex quo nomen inuenit apud græcos temperantia, quam illi appellant σωφροσύνην tanquam prudentiæ conſeruatricem. Talem enim exiſtimationem tuetur & conſeruat. Non enim omnem exiſtimationem corrumpũt, neque peruertunt dolor & uoluptas, exempli cauſa, triangulum duobus rectis pares angulos habere, aut non habere: ſed eas duntaxat, quæ ad id, quod ſub actionem cadit, pertinent. Eorum enim quæ*[23] *ſub actionem ueniunt, principia ſunt eæ res, quarum rerum gratia ſuſcipiũtur actiones. ſtatim autem ut quis uoluptate aut dolore corruptus eſt, ei principij uidendi facultas eripitur, neque is animo cernere poteſt ſe huius rei cauſa, & propter hanc cauſam omnia optare, atque agere oportere. Vitium enim principij delendi ac perimendi uim habet. Quapropter neceſſe eſt prudentiam*[24] *habitum eſſe cum ratione uera coniũctum, ad agendum idoneum, in bonis humanis occupatum. Artis porrò uirtus & præſtantia eſt aliqua, prudentiæ autem nulla. Et qui ſua uoluntate in arte titubarit, atque offenderit, ei eſt anteferendus, qui inuitus: in prudentia contrà deterior eſt is, qui ſponte ſua offenderit, quemadmodum & in uirtutibus. Perſpicuum igitur eſt eam, uirtutem eſſe quandam, non artem. Cùm ſint autem duæ animi partes rationis participes, eius partis quæ ad opinandũ ualet, uirtus eſt prudentia. In ijs enim quæ aliter ſeſe habere poſ*

ſunt, & opinio et prudentia uerſatur. Sed nec habitus[25] eſt cum ratione coniunctus tantùm. Idq́; ex eo perſpici poteſt, quòd huiuſmodi habitũ delere põt obliuio, nõ põt prudẽtiã.

Quoniam autem ſcientia exiſtimatio eſt de rebus uniuerſis, iisq́; quæ neceſſariò ſunt, quoniamq́; rerum quæ ſub demonſtrationẽ cadunt, omnisq́; ſcientiæ ſunt aliqua principia: (cum ratione enim coniuncta ſcientia eſt) conſentaneũ eſt principij earũ rerũ, quæ ſcientia comprehẽdi poſſunt, neq; ſcientiam eſſe, neq; artem, neque prudentiam. Nam quod ſcientia comprehendi poteſt, demonſtrari quoque poteſt: ars autem & prudentia in iis rebus uerſantur, quæ ſeſe aliter poſſunt habere. Ne ſapientia quidem harum eſſe poteſt. Sapientis eſt enim nonnullarum rerũ demonſtrationem expedire poſſe. Si igitur nihil eſt, quo uerum enuntiemus, nunquamq́; mentiamur tùm in iis rebus, quæ non poſſunt aliter ſeſe habere, tùm in iis quæ poſſunt, præter ſcientiam, prudentiam, ſapientiam, & mentem, ſeu intelligentiam: nullum[26] autem ex his tribus, principiorum eſſe poteſt (tria dico prudentiam, ſapientiam, ſcientiam) relinquitur ut mens ſit principiorũ. Sapientiã autem in artibus, iis attribuimus, qui cuiuſq; artis ſunt peritiſsimi, ut Phidiam ſapientem lapidum ſculptorem, Polycletum ſtatuarum fictorem dicimus, nihil hic aliud per ſapientiam, quàm artis uirtutem ſignificantes. Nonnullos autem uniuerſé ſapientes eſſe arbitramur, non ſingillatim, neq; alia in re ulla ſapientes, quemadmodum ait Homerus in[27] Margite Hic neque foſſor erat, nec arator munere diuûm, Nec ſapiens ulla in re alia. Quapropter perſpicuum eſt ſcientiarum omnium limatiſsimam & abſolutiſsimam eſſe ſapientiam. ſapientem igitur oportet non ea

ſolùm intelligere, quæ ex principijs colliguntur, ſed etiam in principijs uerſantem de ijs uerè loqui, uereq; ſentire. Itaque ſapientiam [28] dicere licebit eſſe tùm mentem, tùm ſcientiam, ac ſcientiam quidem rerum honoratiſsimarum, quaſi capitis inſtar obtinentem. Abſurda ſit enim eius ſententia qui ſcientiam ciuilem aut prudentiam, omnium optimam eſſe putet, niſi forte rerum omnium quæ in mundo ſunt, homo ſit res una præſtantiſsima. Quòd ſi ſalubre ac bonum aliud eſt hominibus, aliud piſcibus: album autem & rectum ſemper eſt idem: idem profectò ſemper eſſe dicent omnes id, quod ſit ſapientia præditum, prudens aliud & diuerſum. Quod [29] enim ſingulis in rebus pro cuiuſque rei natura præſtantiam ſeu bonitatem actionis perſpicit, id prudens eſſe dixerint, & eas res huic commiſerint. Itaque & beſtias quaſdam prudentes eſſe dicimus eas, quæ rerum ad uitam neceſſariarum prouidendarum facultatem habere uidentur. Ciuilem autem ſcientiam non eſſe idem, quod ſapientiam, minimè obſcurum eſt. Nam ſi eam ſapientiam eſſe dicent, quæ in ſuis cuique emolumentis comparandis ſit occupata, multæ reperientur ſapientiæ. Non enim una eſt quæ uerſetur in omnium animantium bono, ſed in ſingulis alia atque alia, niſi forte omnibus, quæ ſunt in rerum natura, etiam medicina una eſt. Neque uerò quicquam ad rem attinet, quòd homo reliquorum animalium quiddam ſit quàm optimum. Sunt enim & alia homine multo diuiniora natura, ut ea quæ omnibus maximè ſunt in conſpectu, ex quibus hic mundus coagmentatus eſt. ex ijs igitur quæ diximus, perſpicuum eſt, ſapientiam eſſe earum rerum, quæ ſunt honore digniſsimæ natura, ſcientiam et mẽtem, ſiue intelligentiam. Quocirca Anaxagoram, Thaletem,

tem, ceteroſq; tales uiros ſapientes quidem eſſe dicunt, prudẽtes uerò minimè, cùm uideãt eos, quæ ſibi utilia ſint, ignorare. Atque eos fatentur recondita atq; eximia quædam, & admirabilia, & difficilia, & diuina tenere, ſed inutilia, quia humana bona non quærunt. Prudentia uerò in rebus humanis, ijſq; de quibus conſultari poteſt, uerſatur. Prudentis enim maximè hoc proprium munus eſſe dicimus, benè conſultare. De ijs autem conſultat nemo, quæ aliter ſeſe habere non poſſunt, neque de ijs quorum non eſt finis id bonum, quod ſub actionem cadit. Planè autem conſultator is bonus eſt, qui id, quod homini eſt eorum, quæ ſub actionem cadunt, optimum, ratione conſequi, & explicare poteſt. Neque uerò rerum uniuerſarum modò prudentia eſt, ſed debent etiam eſſe notæ res ſingulares. Ad agendum enim idonea eſt. In rebus ſingularibus autẽ omnis actio uerſatur. Itaque cùm hìc inſcij non nulli ſcientibus ad agẽdum ſint aptiores & compoſitiores, tùm in alijs rebus ij, qui ſunt uſu periti. Nam ſi quis ſciat carnes leues eſſe ad concoquendum faciles, & ſalubres, leues autem quæ ſint ignoret, bonam ualetudinem non efficiet, ſed is potius efficiet, qui auium carnes ſciet eſſe leues & ſalubres. Prudẽtia autem in agendo poſita eſt. Danda igitur opera eſt ut uel utranque cognitionẽ habeamus, uel hanc potius, quàm illam. Erit autem hìc quoque princeps quædam & quaſi familiam ducens cognitio. Ciuilis ſcientia autem & prudentia ſunt illæ quidem idem habitus, ſed natura qua ſunt tamẽ, nõ eſt eis eadẽ. Atq; eius ſciẽtiæ, quæ ad ciuitatẽ pertinet, altera pars eſt tanquã princeps & domina prudẽtia, quæ eſt legum ſcribendarum ratio & facultas: altera quemadmodum ſingularia, communi nomine ciuilis appellatur,

latur, cuius omnis opera, in agendo, & conſultando conſumitur. Populi ſcitum enim aliquid eſt quod ſub actionem cadit, tanquam [30] *extremum. Itaque hos ſolos rempublicam adminiſtrare dicunt. hi enim ſoli, ut operarij quidam, in rebus gerendis uerſantur. Ea autem etiam uidetur eſſe prudentia maximè quæ*[31] *ſibi quisque, & uni proſpicit: & hæc communi nomine appellatur prudentia. Illarum autem alia rei familiaris tuendæ & curandæ ratio, alia ſcientia legum ferendarum, alia ciuilis. Atque huius pars altera ad conſultãdum pertinet, ad iudicandum altera. Genus igitur quoddam cognitionis eſſe uideatur ſibi ſcire, ſibiq; ſapere. Sed huius differentiæ ſunt multæ. Ac uidetur ſanè is qui ſua, quæq; ad ſe pertinent, habet cognita, & in eis uerſatur, prudens eſſe. At ij qui ad remp. ſe contulerunt, multarum actionum* [32] *ſtudio, rerumq; alienarum cura diſtinentur. Iccircò &* [33] *Euripides, Prudentem enim quis me putet mortalium, Cui ſuppetebat abſque ullo negotio In totius turba numerato exercitus, Sortem parem obtinere ſapientiſſimo? Præſtantiores nanque & eos, qui pluribus Se rebus implicant, malè odit Iupiter. Quærunt enim uiri prudentes id quod ſibi bono eſt, idq; unum agere ſe arbitrantur oportere. Ex hac igitur opinione natum eſt hos eſſe prudentes. atqui ſuum negotiũ agere ſine rei familiaris, reiq; publicæ cura fortaſſe nemo poſſit. Prætereà quomodo ſuum quiſque negotium gerere debeat, obſcurum eſt, et res eget conſideratione. Cuius rei hoc argumentum eſt, quòd iuuenes & geometræ, & mathematici, & talibus diſciplinis eruditi fiunt, prudentes non fiunt. Cauſa hæc eſt quòd in rebus ſingularibus prudentia uertitur, quarum cognitio uſu comparatur. Adoleſcens*

ſcens autem uſum rerum non habet, quippe quem temporis longinquitas ſit allatura. Nam hoc quoque conſideratione dignum eſt, quamobrem puer mathematicus effici poßit, ſapiens aut phyſicus non poßit. An quòd illa à materia diuulſa atque abſtracta ſunt: horum principia ex uſu & experientia naſcuntur? & quòd his non aſſentiuntur, neque fidem habent iuuenes, ſed ea dicunt tantum: quid ſint illa autem non eſt obſcurum? Præterea quicquid in conſultando peccatur, uel ad res ſingulares pertinet, uel ad uniuerſas. Nam uel omnes aquas graues, eſſe inſalubres, uel hanc [34] *eſſe grauem. Prudentiam autem non eſſe scientiam perſpicuum eſt: extremi enim eſt, ut dictum eſt. Tale enim eſt id quod ſub actionem cadit. Menti igitur ſeu intelligentiæ opponitur. Mens enim eſt eorum terminorum, quorum ratio afferri non poteſt. Prudentia extremi, quod non ſcientia, ſed ſenſu percipitur, non illo cui* [35] *propriæ ſunt attributæ qualitates, quas ſentiat, ſed eo quo ſentimus hoc extremum in mathematicis eſſe triangulum. Nam illic quoque inſiſtit. ueruntamen* [36] *prudentia ſenſus eſt potius. Illius autem* [37] *alia forma, aliaq; notio eſt.*

Quærere autem & conſultare inter ſe differunt. Nam conſultare certè quærere eſt. Sed de bona conſultatione, [38] *quid ſit, diſtinctione adhibita uidendum eſt, utrùm ſcientia aliqua ſit, an opinio, an bona coniectura, an aliud quoddam genus. Ac primùm ſanè nõ eſt ſcientia. Nã de ijs quæ ſciuntur, quæri non ſolet. At bona conſultatio, conſultatio quædam eſt: et qui aliqua de re conſultat, quærit & ratiocinatur. Iam uerò neque coniectura eſſe poteſt. nam cùm bona coniectura ſine ratione fiat, tum celeritate in ea opus eſt. In conſultando autem multum tem-*

poris conſumitur, aiuntq́; id de quo conſultaueris, celeriter eſſe agendũ, ſed ſpiſſè lenteq́; conſultandum. Prætereà aliud eſt ſagacitas, [39] *ſiue acumen, aliud bona conſultatio. ſagacitas autem bona coniectura quædam eſt. Neque uerò ulla bona conſultatio, opinio eſt. ſed quoniam qui malè conſultat, peccat: qui benè, rectè conſultat: perſpicuũ eſt bonam conſultationem quoddam rectum eſſe, ſed neque ſcientiæ tamen, neque opinionis. ſcientiæ enim nullum* [40] *eſt rectum. nam neque eius eſt ulla prauitas. Opinionis autem rectum eſt ueritas. ſimulq́; id omne cuius eſt opinio, deciſum* [41] *iam ac conſtitutum eſt. ſed neque ſine ratione bona conſultatio eſt. cogitatione* [42] *igitur eſt inferior. Hæc enim nondum* [43] *enuntiatio eſt. Nam & opinio non quæſtio, ſed quædam iam enuntiatio eſt. At qui conſultat ſiue benè, ſiue malè conſultet, is quærit aliquid, & ratiocinatur. ſed certè bona conſultatio rectum quoddam conſultationis eſt. Primùm igitur quærendũ eſt quid ſit conſultatio, deinde in quo uerſetur. ſed quoniã rectum multis modis dicitur: nõ omne rectũ bonam conſultationem eſſe perſpicuum eſt. Incontinens enim et malus homo, quod ſibi propoſuerint ad inſpiciendum, ratiocinatione conſequẽtur. Itaque rectè conſultaſſe uidebuntur, ſed magno malo*[44] *accepto. Atqui benè conſultaſſe bonum quoddam uidetur eſſe. Id enim conſultationis rectum, quod ad boni adeptionem ualet, bona conſultatio eſt. ſed fieri poteſt, ut quis etiã ratiocinatione falsò cõcluſa bonum adipiſcatur, et id quidem, quod facto opus eſt, conſequatur, non autem qua ratione oporteat, ſed medius ratiocinationis terminus falſus ſit. Itaque ne ea quidem bona conſultatio eſt, qua cõſequitur aliquis quod oportet, ſed non qua ratione oportebat.*

Præterea

Præterea accidere poteſt, ut alius diu, alius celeriter cō-ſultando, id quod uult, aſſequatur. Nondum *igitur ne illa quidem bona conſultatio eſt: ſed id conſultationis rectum quod ad utilitatem, & ad id quod oportet, obtinendum, quomodo et quo tempore obtineri debet, accommodatum eſt.* Præterea *licet & abſolutè benè conſultare, et ad certum aliquem finem conſultationem referre.* Ac *bona ſanè conſultatio abſolutè ea eſt, quæ propoſito ſibi abſoluto & totius uitæ humanæ communi fine benè* procedit: *quædam aūt bona conſultatio eſt, quæ certum aliquem &* propriū *finem ſpectat.* Q*uòd ſi bene cōſultare* prudentiū *eſt, bona conſultatio rectum quoddam conſultationis erit ad utilitatem accommodatum, cuius uera exiſtimatio eſt prudentia.*

E*ſt autem et intelligentia non illa quam* νοῦν Græci, *ſed quam* σύνεσιν appellant, *cui contraria eſt ſtultitia, ſiue tarditas, ex quibus intelligentes, & ſtulti nominātur. neque idem proſus eſt quod ſcientia, aut opinio. omnes enim eſſent intelligentes, neque una aliqua ex ſcientijs ſingularibus, ut medicina: in cognitione enim rerum ſalubrium, aut in curanda ualetudine uerſaretur: aut geometria: nam in magnitudinibus eſſet occupata.* Neque *enim hæc intelligentia, quam hoc loco dicimus, earum rerum eſt, quæ ſemper ſunt, nunquamq; mouentur, neque ullius earum, quæ oriuntur, & intereunt, ſed earum, de quibus dubitari, & conſultari poteſt.* Q*uapropter in ijsdem ſanè rebus, in quibus & prudentia, uerſatur. ſed tamen non eſt idem intelligentia, quod prudentia.* Habet *enim uim quandā præcipiendi atque imperandi prudētia.* N*am propoſitus ei finis eſt, quid agendum ſit, aut non agendum: intelligentia autem, iudicandi ſolum.* Idem *eſt*

K 4 *enim*

enim intelligentia, quod εὐσυνεσία id eſt bona intelligentia. Nam qui ſunt intelligentes, ijdem quoque ſunt benè intelligentes, ut Græci loquuntur. Intelligentia autem neque habere prudentiam eſt, neque conſequi. Sed ut ij, qui diſcunt, tum intelligere dicuntur, cùm ſcientia utuntur, ſic cum aliquis opinione utitur ad iudicandum ijs de rebus, de quibus prudentia iudicat, alio loquente,[45] & probè iudicandum quidem: benè enim & probè idem ſunt. Atque hinc natum eſt intelligentiæ nomen. ex qua benè intelligẽtes à græcis appellantur, ex ea ſcilicet quæ eſt in diſcẽdo, intelligẽtia. Sæpenumero.n. intelligere pro diſcẽdi uocabulo uſurpamus. Ea aũt[46] quæ γνώμη à græcis appellatur, proprioq; uocabulo latino caret, niſi fortè eã, ſentẽtiã uelimus nominare, ex qua quosdã in ſẽtẽtia dicẽda moderatos, et ſentẽtia dicẽda ualere dicimus, eſt uiri boni et moderati rectum iudicium. cui rei hoc argumento eſt, quòd uirum æquum bonũ ac moderatũ ad cõſentiendũ[47] ideſt ad ignoſcendum promptum ac propenſum dicimus, & æquum bonum eſſe in nonnullis delictis[48] conſenſum accommodare (ut græci loquuntur) ideſt ignoſcere ac ueniã dare. Atq; hic conſenſus ideſt uenia, ſententia eſt uiri æqui[49] boni recta ad iudicandum apta. recta autem ea eſt, quæ hominis ueri eſt. Meritò autem ij omnes habitus eòdem pertinent. Nam ſententiam, intelligentiam, prudentiam, mentem ſanam ac uegetam iiſdem attribuentes, ſententia dicenda ualere, & ui mentis præſtare uiros prudentes & intelligentes dicimus. Omnes enim hæ animi poteſtates, ſunt extremorum & rerum ſingularium. Atque intelligens quidem, & in ſententia dicenda moderatus, aut ad conſentiendum ideſt ignoſcendum facilis, in eo ſpectantur, ut apti

ſint

ſint ad iudicandum ijs de rebus, de quibus iudicat prudens: Aequa bona enim omnium uirorum bonorum communia ſunt in ea re, quæ cum altero contrahitur. In ſingularium autem et extremorum numero habenda ſunt ea omnia, quæ ſub actionem cadunt. ea enim uiro prudenti nota eſſe debent. Intelligentia autem & ſententia in ijs quæ ſub actionem cadunt, uerſantur, quæ ſunt extrema. Et mens extremorum [52] eſt in utranq; partem. eſt enim mens & primorum terminorum id eſt principiorum, & extremorum id eſt ſingularium, non ratio: ea mens quidem quæ in demonſtrationibus occupata eſt, immobilium & primorum terminorum, altera autem extremi, & eius, quod euenire poteſt, & alius pronuntiati, in ijs artibus, quæ ad agendum ſunt utiles. Hæc enim pronunciatorum genera eius cuius gratia res eſt, principia ſunt. nam ex ſingularibus oriuntur & percipiuntur uniuerſa. ſingularium igitur ſenſu præditum eſſe oportet. at hic ſenſus, mens eſt. Quocirca uidentur hæc ferè nobis tributa à natura: & cùm ſapiens nemo ſit natura, tùm ſententia dicenda ualet & eſt intelligens, & mentis acie præſtat quiſque natura. cuius rei hoc argumentum eſt, quòd hos habitus ætatum comites & ueluti pediſequos eſſe arbitramur, itaq; loqui ſolemus, hæc ætas mentis acie præſtat, & ſententia dicenda ualet, perinde quaſi horum ſit effectrix & cauſa natura. Quapropter principium & finis mens eſt. Ex his enim ortum habent & conſtant demonſtrationes. Itaque uſu peritorum, & ſenum, aut prudentium pronuntiatis, atque opinionibus, quæ demõſtrari non poſſunt, non minus quàm demonſtrationibus, attendendum atque obtemperandum eſt. nam quoniam uſu oculum quendam conſecuti ſunt, prin

cipia

cipia rerum facile cernunt. Quid ſit igitur ſapientia, & prudentia, & in quibus utraque uerſetur, & utranq; non eſſe eiuſdem animi partis uirtutem dictum eſt.

Sed quærat aliquis quam utilitatem afferant. ſapientia enim nihil eorum conſiderat, quibus homo beatus ſit futurus, quia nullam ad rem, quæ oriatur, quæue agatur utilis eſt. Prudentia autem habet hoc illa quidem, ſed quid ea opus eſt, ſiquidem prudentia eſt ea quæ in rebus iuſtis & honeſtis, hominiq; bonis atque utilibus occupata eſt, hæ autem ſunt res quas adminiſtrare atque agere uiri boni eſt? nihilo enim nos ad agendum efficiet aptiores earum cognitio, ſi quidem uirtutes habitus ſunt: quemadmodum neque earum rerum, quæ ad bonam ualetudinem, aut ad bonam corporis conſtitutionem pertinent, quæcunque ſcilicet ita dicantur, non quòd efficiendi uim habeant, ſed quòd ab habitu proficiſcantur. Nihilo enim ad agendum aptiores ſumus, quòd medicinam aut artem exercendorum corporum teneamus. Quòd ſi non propter has cauſas prudens ſtatuendus eſt, ſed ut probi[51] efficiamur: certè ijs qui iam probi ſunt, nihil profutura prudentia eſt. Prætereà nec ijs qui uirtute præditi non ſunt. Nihil enim refert utrùm ipſi prudentes ſint, an prudentibus obtemperent. Hoc enim ſatis fuerit, quemadmodum ſatis eſt in ualetudine[52] curanda. nam tametſi ualere uelimus, nõ tamen medicinam diſcimus. Prætereà abſurdum eſſe uideatur, prudentiam maiorem, quàm ſapientiam, habere dominatũ, cùm ea ſit deterior. Nã ea certe[53] quæ efficit, in unaquaq; re agenda præeſt atque imperat. De his igitur nũc dicendum eſt. Adhuc enim de ijs duntaxat quæſiuimus. Ac primùm quidem hoc dicimus has per ſe neceſſariò eſſe optabiles & expetendas, cùm utraque utriuſque partis animi uir

tus ſit, etiam ſi neutra earum quicquam efficiat. Deinde *efficiunt illæ quidem, ueruntamen* [54] *non ut ualetudinem medicina, ſed ut ualetudo, ſic ſapientia uitam beatam.* Nã *cùm ſit pars uniuerſæ uirtutis: eò quòd ineſt ut habitus, & quòd ſuo munere fungitur, beatum facit.* Prætereà *ex prudentia atque ex uirtute ea, quæ ad mores* pertinet, o*pus abſoluitur. uirtus enim ſcopum, qui* proponitur *agen*ti, *rectum efficit: prudentia uerò ea quæ ad ſcopum refe*runtur, & *conducunt.* Q*uartæ autem animi partis, in qua uis ineſt alendi, nulla talis uirtus eſt.* Non *eſt enim in ea poſitum, ut agamus, uel non agamus.* Sed *quod ſuprà ob*iectum *eſt, nihilo nos aptiores ad res honeſtas & iuſtas à prudentia effici, paulo altius nobis huius rei repetendum principium eſt, hinc ordientibus.* Q*uemadmodum enim quoſdam, qui res iuſtas agunt, nondum iuſtos eſſe dicimus, ut qui ea quæ legibus conſtituta & præſcripta ſunt, faciunt, uel inuiti, uel ignorantia, uel propter aliud quippiam, non propter ipſa: (atqui agunt ea quæ ſunt agenda, & quæ uirum bonum oportet agere:) ſic par eſt (ut uidetur) unumquenq; certo quodam modo affectum quicq; agere, ut ſit uir bonus: dico autem uerbi gratia, propterea quòd tale conſilium ceperit, & earum rerum, quæ geruntur, cauſa.* C*onſilium igitur rectum uirtus efficit.* E*a autem diſpicere, quæ illius cauſa agi conſueuerunt, hoc non uirtutis, ſed cuiuſdam alterius facultatis munus eſt. de quibus accuratius & planius eſt dicendum.* E*ſt igitur uis, ſeu poteſtas quædam quam ſolertiam* [55] *uocant. hæc autem eiuſmodi eſt, ut ea quæ ad ſcopum propoſitum pertinent, agere & conſequi poſſit: ac ſi ſcopus quidem honeſtus ſit, laudabilis: ſin malus ac turpis, uerſutia eſt nominanda.*

Itaq;

Itaque prudentes eoſdem & ſolertes, uerſutosq; dicimus. Non eſt porrò [56] prudentia, hæc poteſtas, ſed tamen non ſine hac. Habitus autem [57] hoc quaſi animi oculo ingeneratur in nobis non ſine uirtute, ut & dictum à nobis eſt, & perſpicuum eſt. Ratiocinationes [58] enim eæ quæ rerum ſub actionem cadentium principium continẽt, eò ſunt, eoq; ualent, quòd finis talis eſt, & quòd eſt optimũ bonorum, quodcunque illud tandem ſit. Eſto enim uerbi gratia, aliquid forte fortuna oblatum. Hoc igitur non niſi uiro bono apparet. Peruertit enim & deprauat iudicium rationis uitioſitas, efficitq; ut de principijs ad agendum aptis falſum iudicemus. Ex quo perſpici poteſt fieri non poſſe, ut quis ſit prudens, quin idem ſit uir bonus.

Rurſus igitur nobis de uirtute uidendum eſt. Nam ut prudentia ſolertiæ ſimilis eſt, non eadem: ſic & uirtus ea quæ propriè & præcipuè uirtus eſt, cum uirtute naturali comparatur. Singuli enim mores in omnibus hominibus quodammodo uidentur ineſſe natura. Nanque ad iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, ceterasq; uirtutes, apti atque habiles ſumus cum primùm naſcimur. Sed tamen aliud quiddam quod propriè bonum ſit, adeſſe poſtulamus, et uirtutes eiuſmodi aliter in nobis ineſſe uolumus. in pueris enim, & beſtijs naturales inſunt habitus: ſed ſine mẽte detrimẽtũ uidẽtur afferre. Atque hoc ex ſimilitudine corporis humani perſpici poteſt. nam ut robuſto & ualido corpori, quod ſine uidendi ſenſu mouetur, graues offenſiones accidunt, propterea quòd uidẽdi ſenſu caret: ſic ſe res [59] habet in ijs animi bonis quæ à natura tribuũtur. quòd ſi mentẽ adepta fuerint, incredibile eſt quãtò in agendo [60] ceteris antecellant. Habitus autem cum ſimilis

milis illis extiterit, tunc propriè uirtus erit. Itaque *quē*-*admodum in ea parte animi quæ ad opinandum ualet, duæ ſunt formæ, ſolertia & prudentia: ita & in ea quæ moribus attributa eſt, duæ, quarum altera eſt uirtus naturalis, altera ea, quæ præcipuè & propriè uirtus appellatur. Quarum hæc quæ præcipuè uirtus eſt, ſine prudentia cōſtare non poteſt. Itaque uirtutes omnes prudentias eſſe dicunt. Et Socrates quidem partim rectè quærebat, partim errabat. Nam quòd uirtutes*[61] *omnes prudentias eſſe putabat, in hoc errabat: quòd autem eas prudentia non uacare arbitrabatur, pulchrè dicebat. Cuius rei hoc argumentum eſt, quòd nunc omnes cùm uirtutem definiunt, poſtea quàm eam, habitum eſſe dixerunt, & in quibus uerſetur, docuerunt, addunt, rectæ rationi conſentaneum. Recta autē ratio eſt ea, cui*[62] *prudentia moderatur. Ergo omnes quodāmodo uidentur augurari, talem habitum prudentiæ conſentaneum, eſſe uirtutem. ueruntamen paulùm immutanda hæc definitio eſt. Non enim rectæ rationi cōſentaneus ſolùm, ſed cum recta ratione coniunctus habitus, uirtus eſt. Recta autem talibus de rebus ratio, prudentia eſt. Itaque Socrates uirtutes rationes eſſe exiſtimabat. omnes enim, ſcientias eſſe: nos autem cum ratione coniūctas. Ex ijs igitur quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt nec ſine prudentia quenquam propriè uirum bonum eſſe poſſe, nec prudentem ſine uirtute ea, quæ ad mores pertinet. ſed & hoc eodem modo dilui ac refelli poteſt ea ratio, qua diſputare poßit aliquis uirtutes inter ſe ſeparari. Nō enim idem ad omnes uirtutes aptißimus eſt natura. Itaque hāc iam adeptus eſt, illam autem nondum*[63] *erit conſecutus. Nam in ijs quidem uirtutibus quæ à natura ingenerantur*

in

in nobis, hoc euenire poteſt: in ijs autem ex quibus abſolutè uir bonus nominatur, non poteſt. Vnà enim cum pru- prudentia, quæ una eſt, ceteræ omnes præſtò aderunt. Perſpicuũ eſt autem etiam ſi ad agendum nullam uim haberet, eam tamem neceßariam futuram, quia partis animi uirtus eſt, & quia conſilium ſine prudentia, ſineq; uirtute non erit rectum. Hæc enim ut finem, illa ut ea quæ ad finẽ pertinent, agamus, efficit. At uerò neque in ſapiẽtiam dominatur, neque animi particulæ melioris habitus eſt, quemadmodum neque medicina bonæ ualetudinis principatum habet. non enim ea utitur, ſed ut[64] *exiſtat, & adſit, operam dat. illius igitur cauſa præcipit atque impeperat, non illi. Præterea ſub prudentiæ imperio ſapientiã eſſe dicere, perinde eſt ac ſiquis dicat ſcientiam ciuilem Dijs immortalibus præeſſe, quia omnia inſtituat ac præcipiat quæ ſunt in repub.*

Liber ſeptimus.

SEQVITVR *nunc ut alio initio facto, dicamus eorum, quæ in moribus fugienda ſunt, tria eſſe genera, uitioſitatem, incontinentiam, & immanem quandam feritatem. Ac duorum quidem primorum contraria nota ſunt. Alterum enim uirtutẽ, alterum continentiam appellamus. Feritati autem illi immani dici poßit aptisſime opponi eam quæ ſupra nos eſt, heroicam quandam ac diuinam uirtutẽ, quemadmodum Priamum Homerus de Hectore loquentem facit, quoniam bonitate ac uirtute præſtabat: nanque illud haud eſſe putares Mortali genitore ſatum, at genus*

eſſe deorum. Itaque *ſi* (*ut aiunt*) *propter excellentiam, præſtantiamq́; uirtutis* Dij *ex hominibus efficiuntur, talis erit profectò is animi habitus, qui feritati illi opponitur.* Nã *ut feræ neque uitium, neque uirtus eſt, ſic neque* Dei, *ſed hæc quidem uirtute præſtabilius et honoratius quiddã eſt, illa aũt aliud quoddã à uitio genus eſt.* Verùm *quoniam rarò admodum euenit, ut uir diuinus exiſtat, quemadmodum* [1] Lacônes *eum ſolent diuinum appellare & ſalutare, quẽ magnopere admirantur:* O *uirum diuinum* (*inquiunt*) *ſic inter homines rarò aliquis reperitur feritate belluarũ ſimilis natura: ſed ſi quis, is maximè apud barbaros exoritur: nonnullasq́; adeò huiusmodi immanitates, morbi, & membrorum debilitationes pariunt.* Atque *eos homines qui uitio & improbitate ceteris antecellunt, turpi atque infami nomine feros & immanes appellamus. ſed de hac quidem animi affectione nobis erit aliquid poſterius dicẽdum.* De *uitioſitate autem ſuprà diximus.* Nunc *de incõtinentia, & mollitie, & luxu dicendum eſt, itemq́; de cõtinentia & tolerantia ſiue patientiam appellare malis.* Nõ *enim de utraque perinde exiſtimandum eſt, aut quaſi ijdem habitus ſint, atque uirtus & uitium, aut quaſi diuerſa ſint genera.* Oportet *autem quod in alijs facere ſolemus, propoſitis primùm ijs, quæ ſunt in prõptu, atque in quæſtionem dubiumq́; reuocatis, ita explicare atque oſtendere ea quidem omnia maximè, quæ hominum opinionibus comprobata de his animi perturbationibus ferũtur: ſin minus, at certè plurima & præcipua.* Nam *ſi ea quæ difficilia et impedita ſunt, diſſoluantur atque expediantur, & relinquantur ea quæ probabilia & opinionibus hominum recepta ſunt, ſatis hoc fuerit à nobis declaratum.* Videtur *igitur*

tur continentia & tolerantia in numero rerum bonarum & laudabilium eſſe: Incontinentia autem et mollitia in malarum, & uituperabilium. Idemq; eſt continens, & qui in eo permanet, quod ratio præcipit: idem quoque incontinens, atque is qui facile deſciſcit à iudicio rationis. Atque incontinens quidem ſciens res eſſe malas, agit tamen perturbatione animi concitatus: continens autem quia cupiditates eſſe turpes & malas intelligit, à ratione reuocatus non ſequitur. Ac temperantem quidem continentem et tolerantem eſſe uolunt: cum autem qui talis ſit, eſſe temperantem alij aiunt, alij negant. Itemq; alij intemperantē, incontinentem: & incontinentem, intemperantem confusè dicunt eſſe: alij eos inter ſe differre uolunt. Prudentem uerò interdum negant ullo modo intemperantem eſſe poſſe: interdum nonnullos qui prudentes ſint, & ſolertes, incontinentes eſſe. Præterea dicuntur iræ, & honoris, & lucri incontinentes. Hæc igitur ſunt quæ de his uirtutibus ac uitijs crebris hominum ſermonibus uſurpantur. Ambigere autē posſit aliquis quomodo is qui rectè de rebus existimat, incontinenter [2] uiuere poſſit. Atque is quidem qui ſciat, ut incontinenter uiuat, fieri poſſe negant nonnulli. Graue enim ac difficile fuerit, ut arbitrabatur Socrates, in quo inſit ſcientia, in eo aliud quippiam dominari, & huc & illuc eum quaſi mancipium trahere. Socrates enim perinde quaſi nulla ſit incontinentia, rationem [3] eorum, qui aliquam ſtatuerunt, oppugnabat. Neminem enim qui benè de rebus exiſtimaret, quicquam aliud, quàm quod ſit optimum, agere: ſed ſi agat, per inſcientiam agere. Hæc igitur oratio ea in controuerſiam reuocat, quæ ſunt in promptu, quæq; perſpicuè apparent: & quærendum eſt ſi pertur-

turbatio incontinentis ab inſcientia proficiſcitur, quis ſit hic ignorantiæ modus. Incontinentem enim id quod agit, non putare agendum eſſe prius quàm perturbatione cõcitetur, perſpicuum eſt. Sunt autem nonnulli, qui alia ex his concedunt, alia non item. nihil enim ſcientia potentius eſſe fatentur. neminẽ aũt quicquã præter id quod ei potius eſſe uideatur, agere non fatentur. atque ob hanc cauſam dicunt incontinentem non ſcientia præditum, ſed opinione duntaxat imbutum à uoluptatibus ſuperari. Atqui ſi opinio [4] eſt incontinentis, non ſcientia, neque firma exiſtimatio quæ aduerſetur & obſiſtat cupiditati, ſed infirma et imbecilla, ut ijs contingit, quorum in dubio eſt animus: profectò ei ignoſci debet, ſi in ea non permaneat aduerſus uehementes & firmas cupiditates. improbitati certè non eſt ignoſcendum, neq; ulli cuiquam rei uituperabili. Superatur igitur à cupiditate incontinens prudentia reclamante & repugnante. Hæc enim potẽtiſſima quædam res eſt. At hoc abſurdum. Erit enim idem prudens & incontinens. Nemo autem prudentis eſſe dixerit, ſua uoluntate res turpiſſimas admittere. Præterea ſuprà docuimus, qui ſit prudens, eũdem ad agẽdum eſſe aptiſſimum, quippe qui in extremis, id eſt in rebus ſingularibus uerſetur, alijsq; uirtutibus ornatus ſit. Præterea ſi in eo ſitus eſt continens ut uehemẽtibus & malis cupiditatibus incendatur, non erit profectò temperans continens, neque continens temperans. Nam neque immoderatum quicquam, neque mal. cupiditatibus affici, temperantis eſt: quod ſanè ita eſſe oporteret. Nam ſi bonæ ſint cupiditates, malus eſt habitus, qui prohibet ſequi. ita non omnis erit bona continentia. quòd ſi ſint imbecillæ, neque admodum malæ: non erit glorioſum eas uin-

cere : ſi malæ & imbecillæ, non magnum. Præterea *ſi nos in omni opinione perſeuerantes efficit continentia, mala eſt : puta* [5] *ſi etiam in falſa.* Et *ſi incontinentia de omni opinione facilè demouebit, erit aliqua bona incontinentia : exempli cauſa, Sophoclis Neoptolemus in Philoctete laudandus eſt, qui non maneat in ijs, quæ perſuaſerat ei Vliſſes, quia ei* [6] *mentiri ſit moleſtum.* Præterea *ſophiſtarum ratio quam* [7] *mentientem uocant, dubitationem affert penè inexplicabilem. Nam quia uolunt aduerſarium adigere ad aſſentiendum rebus inopinatis & abhorrentibus ab opinione populari, ut ſi aſſecuti fuerint, quod uolunt, ſolertes, & acuti eſſe uideantur, ratiocinatio ea, quæ collecta eſt, dubitationem parit inexplicabilem. Vincta enim mens eſt cùm ille neque uult inſiſtere, quia id quod concluſum eſt, non probat, neque longius progredi poteſt, propterea quòd rationem diſſoluere nequit. Euenire autem ex aliqua ratione poteſt, ut imprudentia cum incontinentia ſit uirtus. Contrà enim facit atque exiſtimat, propter incontinentiam. exiſtimat autem ea quæ bona ſunt, eſſe mala, neque eſſe agenda. Ita quæ bona ſunt, acturus eſt, non quæ mala. Præterea qui ea, quæ iucunda ſunt, eo ipſo quòd ita perſuaſum habeat, taleq́; conſilium ceperit, agit & perſequitur, is eo melior uideatur, qui non ratione, ſed incontinentia ad turpitudinem aliquam impellatur. facilius enim ſanari poteſt, quia de ſententia poßit demoueri. In incontinentem autem quadrat id quod tritum eſt ſermone prouerbium, cùm aqua fauces premit, quid opus eſt adbibere ?* [8] *ſi enim perſuaſum* [9] *ei eſſet, ut ea quæ agit, ageret, profectò ſimul ac ei diſſuaſum eſſet, de ſententia deſiſteret. Nunc autem tametſi non ſit ei perſuaſum,*

ut

ut agat, agit tamen. Prætereà ſi in omnibus uerſatur continentia & incontinentia, quis abſolutè incontinens eſt? Nemo enim omni genere incontinentiæ affectus eſt. At aliquos eſſe dicimus incontinentes abſolutè. Et hæ quidem tales quædam ſunt difficultates, quæ dubitationem afferunt, quarum aliæ tollendæ, aliæ relinquendæ ſunt. difficultatis enim & dubitationis diſſolutio, inuentio eſt.

Primùm igitur uidendum eſt utrùm ſcientes peccēt incontinentes, nec ne: & quemadmodum ſcientes: Deinde quibus in rebus incontinens & cōtinens locandus ſit, ideſt utrùm in omni uoluptate & dolore, an in certis uoluptatibus ac doloribus: continēsq́; & patiens, utrùm idem ſint, an differant, itemq́; de alijs omnibus quæ ſunt huic diſputationi quaſi cognata. Ducitur autem hinc huius orationis initium, utrùm continens & incontinens appellentur ac differant inter ſe, ex ijs rebus, in quibus uerſantur, an ex animorũ habitu: hoc dico utrùm incōtinēs dicatur eò ſolùm quòd in his aut illis uerſetur, nec ne: an potius quòd ſic[10] uel ſic affectus ſit, nec ne: an potius ex utriſque: deinde utrùm in omnibus uerſetur incontinentia & continentia, nec ne. nō enim in omnibus uerſatur is qui abſolutè eſt incontinēs, ſed in quibus intemperans: neque eò dicitur, quòd abſolutè in hæc affectus ſit (idem enim eſſet[11] incontinentia, quòd intemperantia) ſed quòd hoc modo ſit affectus. Nam intēperantia quidem cupididatibus ſeruit conſilio capto, exiſtimans præſentem iucunditatem ſequi ſemper oportere. Incontinens autem non exiſtimat ille quidem, ſed ſequitur tamen. Quòd ſi quis dicat uerã opinionem eſſe, nō ſcientiã, præter quam incontinenter uiuat: nihil refert ad eam rē, de qua diſputamus. Nonnulli enim[12] eorum qui aliqua de

re opinantur, non ſunt incerti, neque ambigunt, ſed certò ſe rem ſcire exiſtimant. ſi igitur ij, qui opinãtur, propterea quòd leuiter et modicè credunt ita rem eſſe, de qua opinã-tur, facilius quàm qui ſciunt, contrà atque exiſtimant, agent: nihil inter ſcientiam & opinionem intererit. Non-*nulli enim*[13] *non minorem fidem habent ijs, quæ opinan-tur, quàm alij ijs, quæ ſciunt: quod declarat*[14] Heracli-*tus. Sed quoniam ſcire dupliciter dicimus: (nam & is qui ſcientia præditus eſt, nec ea utitur, & is qui utitur, ſcire dicitur) intererit utrùm is, qui cùm ſcientia præditus ſit, ea non cernit & contemplatur animo, quæ ſcientia com-prehendit, an is qui re ipſa ea, quæ ſcit, animo contem-platur, agat quæ non ſunt agenda. mirum enim uideatur, ſi quis in eorum, quæ ſcit, cogitatione & contemplatione defixus, non ſi is, qui id, quod ſcit, non cernit animo, alie-na à ſcientia agat.* Prætereà[15] *quoniam duo ſunt enuntia-tionum genera, nihil prohibet, quo minus is, qui utrunque genus tenet, aliquid præter ſcientiam agat, dum enuntia-tione uniuerſa, & generali utitur, non ea quæ ad res ſin-gulares pertinet. res enim ſingulares tantùm ſub actionem cadunt.* Iam *uerò etiam ipſius uniuerſi ſunt aliquæ diffe-rentiæ.* Aliud *eſt enim quod in ſe ipſo uertitur, aliud quod ad rem accommodatur, uerbi gratia, omni homini ſicca prodeſſe, & hunc eſſe hominem, uel hoc tale ſiccum eſſe:* Verùm *ſit ne hoc tale, aut neſcit, aut ſi ſcit, ſcientis mune-re non fungitur.* Incredibile *igitur eſt quantùm hæc duo genera inter ſe differant, adeò ut ſi quis ita ſciens pec-cet, nihil abſurdi ſit: ſin illo modo, ualdè mirum uideatur.* Prætereà[16] *alio modo fieri poteſt ut homines ſcientia præ-diti ſint, quàm quos modos paulo antè expoſuimus. nam*

eius

eius qui ſcientiam[17] *habet, neque ea utitur, habitum magnopere diſcrepare uidemus, adeò ut habere quodammodo, & non habere uideatur, qualis eſt is, qui dormit, & furioſus, & uinolentus.* Atqui *dubium non eſt quin homines aliqua animi perturbatione concitati, ita ut illi, ſint affecti.* Iræ *enim & rerum uenerearum cupiditates, et nonnullæ huiuſmodi animi perturbationes perſpicuè corpus quoque ipſum immutant: nonnullis etiam furores immittunt.* Nimirum *igitur dicendum eſt ſimiliter his affectos eſſe incontinentes. nec uerò ſi quis rationes & ſententias à ſcientia ductas & profectas pronuntiet, ſatis ſigni ſit eum ſcientiæ conuenienter agere.* Nam *qui his animi perturbationibus æſtuant, demonſtrationes, & uerſus* Empedoclis *recitant: & qui primùm didicerunt, uerba illi quidem connectunt, ſed nondum intelligunt. oportet enim illa*[18] *unà cum ætate adoleſcere. cui rei tēpore opus eſt.* Quocircà *ut hiſtriones, ſic exiſtimādi ſunt loqui incontinentes.* Præterea *hoc etiam modo huius rei cauſam ex natura ſpectare licet.* Nam *cùm opiniones aliæ ſint de rebus uniuerſis, aliæ de ſingularibus, quarum ſenſus arbiter ac dominus eſt, neceſſe eſt, ubi ex eis una effecta ſit, in ijs quidem quæ ſunt*[19] *cognitionis, animū id quod concluſum eſt, enuntiare, & affirmare: in ijs autem, quæ ad effectionem pertinent, ſtatim agere: ut ſi omne dulce guſtandum eſt, hoc autem dulce, tanquam unum de ſingularibus, neceſſe eſt ſimul atque dictum ſit, eum qui poßit, quiq; non prohibeatur, agere.* Cùm *igitur ineſt uniuerſa opinio, quæ guſtare prohibet: ſecūda, omnia dulcia eſſe iucunda, et tertia, hoc eſſe dulce (hæc autem*[20] *eſt quæ agit,) & inhæret forte cupiditas: opinio illa prima fugere iubet,*

cupiditas aliò trahit. poteſt enim unanquanque animi partem commouere. ita fit ut à ratione & opinione quodammodo naſcatur incontinentia, non quòd opinio per ſe ſit rationi contraria, ſed ex euentu. Cupiditas enim, non opinio, rectæ rationi aduerſatur. Quocirca etiam propter hanc rationem, beſtiæ non ſunt incontinentes, quia non habent rerum uniuerſarum exiſtimationem, ſed ſingularium uiſa quædam, & memoriam. Quo pacto autem inſcientia depulſa ſcientiam recuperet incontinens, eadem & communis ratio eſt ebriorum ac dormientium, non huius perturbationis propria, quæ ex ijs audienda eſt, qui de natura rerum diſputant. Quoniam autem ultima enuntiatio, eius, quod ſub ſenſum cadit, opinio eſt, actionumq; domina, atque arbitra: hanc aut non habet is qui in perturbatione eſt, aut certè ſic habet ut eam [21] habere non ſit ſcire, ſed uinolentorum more uerſus Empedoclis recitare. Et quoniam non eſt uniuerſa, neque ſimilem uim habet ad ſcientiam efficiendam terminus ultimus, atque id quod uniuerſum eſt, non immeritò uidetur id quod quærebat Socrates, euenire. Non enim tum cum præſto eſt illa, quæ uerè & propriè uidetur eſſe ſcientia, exiſtit perturbatio, neque ea ſcientia à perturbatione conuellitur, ſed cum adeſt ea, quæ ſenſu continetur. De eo igitur qui ſciens aut inſciens, ſit incontinens, & quomodo ſciens ut incontinenter uiuat, fieri poßit, hactenus à nobis dictum ſit. *Deinceps utrùm ſit aliquis abſolutè incontinens, an omnes ex parte, & certæ rei ſint incontinentes: tùm ſi quis eſt abſolutè incontinens, in quibus uerſetur, dicendum eſt. Continentes igitur & patientes, incontinentes & molles in uoluptatibus et doloribus uerſari perſpicuum eſt.*

eſt. Quoniam autem eorum, quæ uoluptatem efficiunt, alia ſunt neceſſaria, alia per ſe expetenda quidem illa, ſed eiuſmodi ut ſupra modum expeti poßint: (ſunt autem neceſſaria ea, quæ ad corpus pertinent, ea inquam, quæ in uictu & rerum uenerearum uſu poſita ſunt, ceteraq́; huius generis, quæ ad corpus referuntur, in quibus intemperantiam & temperantiam locauimus: quæ uerò cum neceſſaria non ſint, per ſe tamen ſunt optabilia & expetenda, ſunt, uerbi gratia, uictoria, honos, diuitiæ, taliaq́; bona & iucunda:) eos igitur [22] *qui in his contra rectam rationem, quæ in ipſis ineſt, modum ſuperant, abſolutè ſanè incontinentes non dicimus, ſed cum adiectione, pecuniæ incontinentes, lucri, honoris, iræ: abſolutè autem nequaquam, tanquàm ab illis differant, & ex quadam ſimilitudine ſic appellentur: ut is qui in* Olympijs *uicerat, homo*
[23] *dicebatur: communis enim illius appellatio ac ratio à propria paulo differebat, ſed alia tamē erat. cuius rei hoc*
[24] *argumentum eſt, quòd incontinentia uituperatur nō ſolùm ut peccatum, ſed ut uitium quoddam aut ſimpliciter et abſolutè, aut aliqua ex parte: horum autem quos proximè poſui, incontinentium nemo ſic uituperatur.* Eorum *uerò qui in corporis uoluptatibus perfruendis uolutantur ijs, in quibus temperantem atque intemperantem uerſari dicimus, qui non eò quòd id conſilij ceperit, rerum iucundarū nimium ſequitur, & rerum moleſtarum nimium fugit, ut famis, ſitis, caloris, frigoris, earumq́; omnium, quæ ad tactum, guſtatumq́; pertinent, ſed præter conſilium, & cogitationem, is incontinens dicitur, non cum adiectione huius uel illius rei, ut iræ, ſed ſimpliciter.* Cuius *rei* [25] *hoc argumentum eſt, quòd qui harum rerum nimium ferre non*

poſſunt, molles dicuntur, non qui ab illarum nimio uincuntur. Atque ob hanc cauſam in eadem re incontinentem et intemperantem locamus, itemq́; continentem & temperantem, quia in eiſdem quodammodo uoluptatibus & doloribus uerſantur, ſed illorum neminem. uerùm quanuis [26] hi in ijſdem uerſentur, non eodem tamen modo, ſed intemperantes conſilium ceperunt ita uiuendi: incontinentes non item. Itaque potius eum intemperantem appellauerimus, qui non cupiens, aut leui certè cupiditate affectus, immoderatas uoluptates perſequitur, & mediocres dolores fugit, quàm eum qui idem agat magnis & indomitis cupiditatibus incenſus. Quid enim faciat ille, ſi acris & uehemens aliqua cupiditas accedat, & ob rerum neceſſariarum penuriam ingens & uehemens dolor excruciet? Quoniam autem cupiditatum et uoluptatum aliæ ſunt genere honeſtæ & bonæ (nam iucundorum aliqua ſunt natura expetenda, alia his contraria, alia his interiecta, quēadmodum ſuprà partiti ſumus, ut pecunia, lucrum, uictoria, honor) in his igitur omnibus, ceteriſq́; eiuſdem generis, & medijs, non quòd afficiantur, aut cupiant, aut ament homines, uituperantur: ſed quòd hoc modo cupiant, uel ament, & quòd modum ſuperent. Quocirca[27] qui ſecus ac monet ratio, aut uincuntur, aut perſequuntur aliquod natura bonum, atque honeſtum, ut qui nimio honoris, aut liberorum, aut parentum amore ſtudioq́; ducuntur: (hæc enim in numero bonorum habenda ſunt, & qui hæc ſtudioſè colunt atque expetunt, etiam laudantur: uerùm tamen eſt etiam in his aliquod nimium, ſi quis ut Niobe, cum dijs pugnet, aut ut Satyrus ille qui patris amans uocatus eſt, immodico patris amore afficiatur: ualdè enim de-

deſipere uidebatur.) Vitium igitur in his nullum eſt, propterea quod, ut dixi, unumquodque eorum per ſe expetendum eſt natura: ſed eorum nimiæ atque immoderatæ cupiditates malæ ſunt, ac fugiendæ: ſimiliterq́; nulla incontinentia: Incontinentia enim non ſolùm fugienda res eſt, uerùm etiam in ijs rebus numeratur, quæ ſunt uituperabiles. Propter [28] ſimilitudinem autem perturbationis, adiectione præterea facta rei cuius incontinentia eſt, ita cuiuſque rei incontinentiam dicere ſolent: quemadmodũ malum medicum, & malum hiſtrionem, quem abſolutè nemo malum dixerit. Vt igitur hìc non dicuntur ſimpliciter mali, quia non eſt uitium medici, aut hiſtrionis, ſed proportione quadam uitio ſimile, ſic, & illic exiſtimare debemus dũtaxat eam eſſe incontinentiam, & continentiam quæ in ijſdem atque temperantia & intemperantia, uerſatur. In ira autem ex ſimilitudine quadam aliquem dicimus incontinentem. Itaque cum adiectione dicimus, iræ incontinentem, quemadmodum honoris, & lucri. Sed quoniam aliqua ſunt iucunda natura, eorumq́; alia ſimpliciter & abſolutè, alia diuerſis animantium atque hominum generibus iucunda ſunt, alia non ſunt iucunda natura, ſed partim propter debilitationes corporum, partim ex conſuetudine, partim propter uitioſas naturas, fiunt iucunda: licet in his ſingulis conſimiles habitus animaduertere, immanes, inquam, & ferinos, qualis erat eius mulieris, quam dicunt grauidis mulieribus apertis ac perſectis, pueros deuorare ſolitam, aut qualibus rebus efferatos quoſdam circa Pontum populos delectari ferunt, alios ſcilicet crudis, alios humanis carnibus, alios, liberos ſuos inter ſe mutuos in epulas dare, aut quale eſt id quod de Phalaride traditum

eſt

eſt. ferini igitur hi ſunt habitus. alij autem propter morbos & furores nonnullis innaſcuntur, qualis ille fuit, qui matrem immolauit, & comedit, & qui conſerui iecur: alij uel ex morbo, uel ex conſuetudine proficiſcuntur, ut pilorum euulſiones, & unguium corroſiones, carbonum quoque & terræ. Præterea uenereorum uſus cum maſculis. Nanque hæc cupiditas alijs naturalis eſt, alijs ex conſuetudine naſcitur, ut qui à pueris conſueuerunt. Atque eorum quidem, quibus natura cauſam præbet, incontinentem dixeris neminem, quemadmodum neque mulieres quòd [29] *in complexu uenereo non agant, ſed patiantur: eademq; ratione neque eos qui ex conſuetudine uitium morbi ſimile contraxerunt. his igitur ſingulis animi malis tentari, extra uitij terminos ac fines egredi eſt, quemadmodum immani feritate ad belluarum naturam proximè accedere.*

His autem tentatum atque affectum ſuperiorem eſſe aut inferiorem, non ſimplex continentia aut incontinentia eſt, ſed ex ſimilitudine: quemadmodum [30] *& eum qui in ira hoc modo affectus eſt, ut uincatur, huius perturbationis incontinentem, incontinentem autem dicere non debemus. Omnis enim modum ſuperans uitioſitas, & amentia, & timiditas, & intemperantia, & ſæuitia uel ferina eſt, uel morboſa. Nam qui natura talis eſt, ut omnia extimeſcat, etiam ſi mus ſtridorem ediderit, ferina quadam timiditate timidus eſt: alius erat qui felem morbo affectus metuebat: & ex amentium numero, ij qui natura ſtulti, & inconſiderati ſunt, ſenſuq; duntaxat uiuunt, ferarum ſunt ſimiles: quemadmodum nonnullæ longinquorum barbarorum nationes: qui uerò propter morbos ueluti comitiales, uel furores, ij ſunt morboſi. Nihil obſtat autem quo minus ali=*

quis

quis interdum his uitijs affectus ſit tantùm, ſed non uincatur: hoc dico: ut ſi Phalaris cùm puſionem concupiſcat uel ad edendum, uel ad potiendum abſurda rerum uenerearũ uoluptate, ſe cohibeat, & contineat: neq; uerò quicquam obſtat, quo minus etiam uincatur, non ſolùm affectus uitio ſit. Quemadmodum igitur improbitas alia abſolutè dicitur improbitas ea, quæ in hominem cadit, alia cum adiectione improbitas ferina, aut morboſa, non abſolutè: ſic nimirum incontinentia eſt alia ferina et immanis, alia morboſa. ſimpliciter autem & abſolutè ea ſola, quæ humanæ intemperantiæ conuenit. Incontinentiam igitur & continentiam in eiſdem uerſari, in quibus intemperantia et temperantia: in alijsq́; aliud incontinentiæ genus ſitum eſſe, quod ex translatione nominis, non abſolutè dicitur, perſpicuum eſt. Nunc autem iræ, quàm cupiditatum minus eſſe turpem incontinentiam cognoſcamus. Videtur enim ira audire illa quidem rationem, ſed miniſtrorum præproperorum more negligenter & confusè audire, qui priuſquàm id omne, quod dicitur, audierint, exiliunt: deinde ab actione [31] aberrant: & ut canes, qui priuſquàm attenderint, utrùm ſit amicus, nec ne, ſi quis modò fores, pulſauerit, aut ſtrepitum aliquem ediderit, latrant: ſic ira propter feruorem & celerem naturæ motum, audit illa quidem rationem, ſed imperio non exaudito ad pœnas repetendas omni impetu fertur. Ratio enim aut uiſio contumeliam uel contemptum in facto ineſſe indicauit, illa perinde ac ſi ratiocinando concluſerit huic tali qui contumelia affecerit, uel contempſerit, bellum inferre oportere, continuò excandeſcit. Cupiditas autem ſi ratio deprauata, uel ſenſus illud eſſe iucundum dixerit modò, ad perfruendam

dam uoluptatem incitatur. Ita *rationem ira quodammodo ſequitur: cupiditas uerò minimè.* Hæc *igitur turpior illa eſt. nam iræ incontinens à ratione quodammodo ſuperatur: ille autem alter à cupiditate, non à ratione.* Præte*reà ignoſcendum ei magis eſt, qui naturales appetitiones ſequitur.* Nam *& ijs cupiditatibus danda uenia eſt, quæ ſunt omnium communes, & quatenus ſunt* [32] *communes: ira autem & ſæuitia magis naturalis eſt, quàm cupiditates immoderatæ, minimeq; neceſſariæ: ut ille qui hac defenſione, cur patrem uerberaret, utebatur. nam iſte (inquit) ſuum uerberauit, & ille ſuum, & hic quoque me uir factus, uerberabit, paruulo filio ſuo demonſtrato. eſt enim hoc nobis cognatum.* Et *qui à filio trahebatur, trahendi finem facere iubebat ad* [33] *fores. nam ſe quoque uſque ad hunc locum, patrem ſuum traxiſſe.* Præ*tereà quo quiſq; occultior & inſidioſior eſt, eo eſt iniuſtior. at homo iracundus minimè eſt inſidiator, neque ira ipſa, immò uerò aperta.* Cu*piditas autem fallax & inſidioſa, quemadmodum aiunt* Venerem *Nectentiſq; dolos* Veneris. *& ut ait* Homerus. Dixit: *tùm niueo ceſtum de pectore ſoluit,* In *quo ſermo inerat blandus, qui mente ſagaci* Q*uanuis prudentem ſpoliat.* Q*uarè ſi iniuſtior, ergo & turpior hæc incontinentia eſt, quàm quæ in ira uerſatur: eſtq; hæc abſolutè incontinentia, & quodammodo uitioſitas.* Præ*tereà nemo* [34] *dolens ſtuprum infert alteri: at qui ira incitatus aliquid facit, dolens facit: qui ſtuprum infert, cum uoluptate infert.* Si *igitur ſunt ea quæque iniuſtiſſima, propter quæ iure optimo iraſcimur, profectò incontinentia ob cupiditatem ſuſcepta iniuſtior eſt. nõ ineſt enim* [35] *in ira uoluptaria libido.* In*continentiam igitur*

eam,

eam, quæ in cupiditatibus uerſatur, iræ incontinentia turpiorem eſſe, continentiamq́; & incontinentiam in cupiditatibus, & corporis uoluptatibus uerſari, perſpicuum eſt. Harum autem ipſarum differentiæ ſunt cognoſcendæ. Nā *quemadmodum initiò à nobis dictum eſt, aliæ ſunt humanæ & naturales tùm genere, tùm magnitudine: aliæ immanes & ferinæ, aliæ ex corporis debilitationibus, & morbis natæ.* Q*uarum in primis duntaxat uerſantur temperantia & intemperantia.* I*taque neque temperantes, neque intemperantes beſtias dicimus, niſi per tralationem ſermonis, etiam ſi animantium genus aliud ab alio libidine & profuſa ad rem uenercam petulantia, & omniū rerum edacitate differat.* N*on enim conſilium ullum habent, nullaq́; rationis agitatione prædita ſunt, ſed à natura deſciuerunt, ut homines furioſi.* E*ſt autem minus malum quidem feritas uitioſitate, ſed horribilius tamen.* N*eque enim corruptum eſt in illis id quod eſt optimum, quo modo in homine, ſed eo* [36] *carent.* P*erinde eſt igitur ac ſi inanimatum cum animato conferatur utrum ſit peius.* I*nnocentior* [37] *enim, minusq́; pernicioſa improbitas eius eſt, quod principium non habet.* M*ens autem principium eſt.* S*imile igitur eſt ut ſi iniuſtitiam cum homine iniuſto conferamus. nam fieri poteſt, ut utrunque altero ſit peius. Infinitis certe partibus plura mala intulerit homo uitioſus et improbus, quàm fera. In uoluptatibus autem & doloribus, quæ tactu & guſtatu percipiuntur, itemq́; in earum cupiditatibus, & fugis, in quibus temperantia & intemperantia ſuprà poſita eſt, poteſt quis ita affectus eſſe, ut ab eis etiam uincatur, quibus plerique ſunt ſuperiores: poteſt rurſus eas uincere, à quibus uulgus ſuperatur. horum*

rum igitur is qui à uoluptatibus uincitur, incontinens: qui uoluptatum uictor eſt, continens: & qui doloribus eſt inferior, fractus & mollis eſt: qui ſuperior, patiens dicendus eſt. Sunt autem maximæ partis hominum habitus inter hos interiecti, quãuis ad uitioſos magis uergere uideãtur. Quoniam autem uoluptates aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ non neceſſariæ, & illæ uſque ad aliquem finem neceſſariæ, earum uerò nimium & parum non ſunt neceſſaria: ſimiliterq; de cupiditatibus, & doloribus ſentiendum: qui iucunditates aut immoderatas, aut immoderatè ſequitur, uel propterea quòd conſilium cepit huiuſmodi, & propter ipſas, non propter aliud quicquam, quod ex eis redeat, is intemperans eſt. Hunc enim neceſſe eſt non facile factorum ſuorum pœnitere. itaque inſanabilis eſt. nam qui ita natura comparatus eſt, ut eum non pœniteat, is ad ſanitatem nunquàm reuertitur. Qui autem modum deſerit in expetendis uoluptatibus, huic opponitur. At medius temperans nominatur. ſimiliterq; intemperans eſt, qui dolores corporis fugit, non quia uincitur, ſed quia conſilium cepit ita uiuendi. Eorum [38] autem qui conſilium non ceperunt ita uiuendi, alius propter uoluptatem, quouis impellitur: alius quia dolorem fugit, ex cupiditate naſcentem. Itaque inter ſe differunt. Nemo eſt autem cui non uideatur deterior is, qui nulla aut leui cupiditate affectus turpe aliquid admittat, quàm qui uehementi: & qui non iratus alterum pulſet, quàm qui idem faciat ira incitatus. quid enim faceret commotus ac perturbatus? Itaque deterior eſt incontinente, intemperans. Eorum [39] igitur qui ſuprà à nobis dicti ſunt, alter eſt mollis, alter incontinens. Opponitur autem incontinenti continens, molli patiens. pa-

tien-

tientia enim eſt in reſiſtendo, continentia in uincendo. aliud eſt autem reſiſtere, aliud uincere: quemadmodum aliud eſt non uinci, aliud uincere. Quare continentia optabilius quiddam eſt, quàm patientia. Iam uerò qui modum deſerit in ijs, quibus plerique obſiſtunt, & obſiſtere poſſunt, is mollis & delicatus eſt (deliciæ enim mollicies quædam eſt) qui ueſtem trahit ne quid in ea attollenda laboris ſuſcipiat, ac doloris: & cùm ægrum imitetur, miſerum ſe eſſe non arbitratur, qui tamen miſero ſit ſimilimus: itemq; de continentia & incontinentia ſentiendum. Neq; enim ſi quis à uehementibus & immodicis uoluptatibus, aut doloribus ſuperetur, mirum debeat uideri: immò uerò uenia ſit dignus, ſi obſiſtendo uincatur: ut Theodectæ [40] Philoctetes à uipera percuſſus, uel Carcini Cercyon in Alope: & ut qui riſum comprimere conantes uniuerſum effundunt, quod Xenophanto accidit: ſed ſi quis, quibus uoluptatibus multi poſſunt obſiſtere, ab ijs ſuperetur, neque poßit contrà niti non propter generis naturam, aut morbum, quemadmodũ Perſarũ [41] regibus mollities propter genus innata eſt, & ut fœmina [42] à mare diſtat. Atque etiam is qui ludo & ioco magnopere deditus eſt, uidetur intemperans eſſe, ſed mollis eſt potius. ludus enim remiſſio animorum eſt, ſiquidem eſt requies. in ijs autem qui modum iocandi ac ludendi ſuperant, iocoſus, ſiue ludibundum appellare malis, numeratur. Incontinentia autem alia eſt feſtinatio præceps, alia imbecillitas. Hi enim poſteaquàm deliberauerint, non conſtant in eis, quæ deliberata ſunt, propter perturbationem: illos autem quia non conſultarunt, neque deliberarunt, quouis trahit ac rapit perturbatio. Nonnulli enim ut ij qui ſe ipſi ante [43] titillarint,

rint,non titillantur ab alio, ſic quia præſenſerunt, ac præuiderunt, ſe ipſos denique, ac rationis iudicium antè expergeſecerunt, à perturbatione non uincuntur, ſiue iucunditatem oſtentet, ſiue dolorem afferat. Maximè autem & ij quos acuta, & ij quos atra bilis uexat, præcipiti illa incōtinētia ſunt incontinētes: illi enim propter celeritatē, hi propter acrimoniam, rationem [44] *non opperiuntur, eò quòd ſpecies animo oblatas, uiſionesq; facile ſequantur.*

Intemperantem autem, ut ſuprà diximus, non facile ſuorum factorum pœnitet. Perſtat enim in conſilio ſuſcepto. Incontinens autem omnis eiuſmodi eſt quodammodo, ut eum facile pœniteat. Itaque non ita ſe res habet, ut ſuprà quæſiuimus. ſed hic quidem ſanabilis eſt: ille inſanabilis. ſimilis igitur eſt uitioſitas aquæ inter cutem, & tabi: incontinentia autem morbis comitialibus. illa enim aßidua & perpetua eſt: hæc non eſt perpetua improbitas. Atq; in ſumma aliud eſt incontinentiæ genus, aliud uitioſitatis. uitioſitas enim latet, non latet incontinentia. horum autem ipſorū ij ſunt meliores, qui facile de ſententia, & de gradu deijciuntur, ut dicitur, quàm qui ratione in conſilium adhibita, in ea non perſtant. Hi [45] *enim primùm à minore perturbatione ſuperantur: deinde non ſine deliberatione antegreßa, ut illi alteri. Similis eſt enim incontinens hic, quem imbecillum diximus, ijs qui citò & modico uino, & pauciore quàm uulgus, fiunt ebrij. Incontinentiam igitur non eſſe uitioſitatem, perſpicuum eſt, niſi forte aliqua ratione. Illa enim à conſilio auerſa eſt: Hæc cōſilio cōgruit. In actionibus tamen reperiuntur ſimiles, quale illud eſt Demodoci in Mileſios, Mileſii non ſunt illi quidem ſtulti, ſed tamen eadem faciunt, quæ ſtulti: ſic incontinentes nō*

ſunt illi quidem iniuſti, ſed iniuſtè tamen faciunt. Quoniā autē incontinens eiuſmodi eſt, ut non quòd[46] *ita ſibi perſuaſerit, immoderatas & à recta ratione alienas ſequatur corporis uoluptates: intemperans ſibi perſuaſit ita uiuendum eſſe, quia talis eſt, ut eas ſequatur: ergo ille facilè de ſententia deducetur, hic non item.* N*am ut uirtus principium tuetur & conſeruat: ita uitioſitas perdit, atque extinguit.* I*n rebus agendis autem id cuius illæ gratia ſuſcipiuntur, principium eſt: ut in mathematicis ea quæ*[47] *poſita, & conceſſa ſunt. neque igitur illic principia ratione doceri poſſunt, neque hìc, ſed uirtus aut naturalis, aut ea quæ ex conſuetudine*[48] *cōparatur, rectè ſentiendi de principio magiſtra eſt.* T*alis igitur eſt temperans.* H*uic autem contrarius intemperans.* E*ſt porrò aliquis alius qui propter perturbationem à recta ratione auerſus de conſilio, quaſi de gradu deijcitur, quem quidem perturbatio hactenus ſuperat, ut non agat, quod monet & præſcribit ratio: ſed ut talis ſit, ut ſibi perſuadeat impudenter & improbè perſequendas eſſe huius generis uoluptates, non ſuperat.* Hic *propriè eſt incontinens intemperante melior, neque abſolutè improbus. ſalua enim res eſt ea quæ omnium eſt optima, principium.* A*lter eſt huic contrarius, qui in ſētentia permanet, quiq; propter animi perturbationem de eo, quod conſtituit, non depellitur.* E*x hoc autem perſpicuum eſt habitum hunc eſſe bonum: illum malum & uitioſum.* V*trùm igitur continens ſit is, qui in qualibet ratione & quolibet conſilio perſtat, an is demùm, qui in recta ratione: & utrùm is incontinens, qui in quolibet conſilio, atque in quauis ratione non permanet, an is qui in ratione falſa, & in conſilio minus recto, quemadmodū*

M ſuprà

ſuprà à nobis dubitatum eſt, an ex euentu in quauis ratione & quouis conſilio, per ſe autem in uera ratione, et recto conſilio permaneat continens, non permaneat incontinens, uideamus. Si quis enim illud propter hoc optet & expetat, aut perſequatur: per ſe quidem hoc perſequi et optare dicendus eſt: ex euentu uerò illud prius. per ſe autem, ſimpliciter & abſolutè intelligi uolumus. Itaque accidere poteſt, ut in qualibet opinione ille permaneat: hic ex qualibet depellatur. abſolutè autem in uera ille permanet: hic non permanet. Sunt autem quidam qui in opinione ſua facilè perſeuerant: atque [49] *hi ſunt, quos in ſententia obfirmatos & pertinaces appellamus, quales ſunt ij, qui ægrè ſibi aliquid à quoquã perſuaderi patiuntur, quiq; non facilè de ſententia deducuntur: qui ſimile quiddam habent continenti, ut prodigus liberali, & audax fidenti: ſed in multis ab eo diſcrepant. Continens enim propter perturbationem & cupiditatem, ſententiam non mutat. Nam ubi ſors ita tulerit, facilè ſibi fidem fieri patietur. Pertinax autem & in ſententia obfirmatus de ſententia non decedit, etiam ſi ſuadeat ratio. Magna enim pars hominum cupiditates ultrò arceßit, ac recipit, ſeſeq; à uoluptatibus duci facile patitur. Obfirmati autem in ſententia, ſunt ij qui præcipuas quaſdam ſibi ſententias in animum induxerunt, indoctiq; & agreſtes homines: Atque ij quidem qui præcipuas ſententias ſibi in animum induxerunt, propter uoluptatem ac dolorem ſunt pertinaces. Lætantur enim cum uincunt, ſi de ſententia ſua non deducantur, & grauiter moleſteq; ferunt, ſi ſua ueluti decreta reſcindantur atque infirmentur. Itaque incontinenti, quàm continenti ſunt ſimiliores. Sunt autem nonnulli qui non*

perſtant

perſtãt in eis quæ ipſi decreuerunt & cõprobarunt, ſed nõ
propter incontinentiam, ut in Sophoclis[50] Philoctete Ne=
optolemus. Atqui propter uoluptatem in ſententia non
perſtitit: at honeſtam. nam uerè loqui erat ei pulchrum,
atque honeſtum. perſuaſum autem ei fuerat ab Vliſſe, ut
mentiretur. Non enim quiſquis uoluptate adductus ali=
quid agit, intemperans eſt, neque improbus, neque incon
tinens: ſed qui turpi. Quoniam autem eſt aliquis eiuſmo=
di, qui minus quàm debeat, corporis uoluptatibus delecte=
tur, & qui in ratione non permaneat: inter hunc, & incon
tinentem, medius continens locatus eſt. Incontinens enim
propterea ſeſe in rationis gyro non continet, quia magis
51 *quàm par eſt, uoluptatibus delectatur: ille autem no=*
mine uacans, propterea quòd minus delectatur. Continẽs
autem in ratione permanet, neque propter alterutrũ, ſen
tentiam mutat. Neceſſariò autem quoniam continentia bo
num eſt, ambo habitus contrarij mali ſunt, quemadmodum
apparet. ſed quia alter in paucis & rarò reperitur, iccir
cò ut temperantia intemperantiæ duntaxat uidetur aduer
ſari, ſic incontinentiæ continentia. Sed quandoquidem ex
ſimilitudine multa dicuntur, temperantis quoque conti=
nentia ex ſimilitudine quadam ducta eſt. Nam & continẽs
& temperans eiuſmodi ſunt, ut nihil à ratione faciant alie
num propter corporis uoluptates, ſed ita ut ille prauis
afficiatur cupiditatibus, hic non item: & hic eiuſmodi eſt,
ut nulla re delectetur præterquàm ratio poſtulat, ille e=
iuſmodi, ut delectetur, ſed non ut trahatur. Similes ſunt
quoque inter ſe incontinens & intemperans, cùm inter ſe
tamen differant. Enimuerò corporis delectationes uterq;
perſequitur: ſed hic ita ut exiſtimet eas ſequi oportere, il=

le ita ut non exiſtimet. Neque uerò fieri poteſt, ut idem unà prudens ſit, & incontinens. Nam prudentem bonum uirum eundem & ſimul eſſe oſtendimus. Prætereà non ex eo ſolùm prudens aliquis eſt, quòd ſciat, ſed ex eo etiam quòd ad res agendas idoneus ſit. At incontinens ad res gerendas ineptus eſt. Solertem autem nihil prohibet incontinentem eſſe. Itaque uidentur nonnulli prudentes eſſe, et tamen incontinentes, quia ſolertia differt à prudentia eo modo, quo modo ſuperiore libro diximus: & proptereà quòd ratione ſunt duo illa quidem finitima, ſed conſilio differunt. Non igitur [52] incontinens eſt inſtar eius qui ſcit, eaq́; quæ ſcit, re conſiderat, & animo contemplatur: ſed eius qui dormit, uel qui uino obrutus eſt. Et ſanè ſua ſponte facit quidem ille: facit enim quodammodo ſciens et quid & cuius rei gratia faciat: ſed improbus non eſt tamen. Conſilium enim eius bonum eſt. Itaque dimidia ex parte malus eſt: neque iniuſtus eſt, quoniam non eſt ſubdolus, aut inſidioſus. Incontinentium enim aliqui non perſtant in eis quæ deliberarint: Ii autem qui atra bile laborant, ne ad conſultandum quidem ulla ex parte apti ſunt. Similis igitur eſt incontinens ciuitati, quæ omnia quidem decernit, quæ ſunt decernenda, legesq́; habet bonas atque utiles, ſed earum nulla utitur: quemadmodum Anaxandrides ſalsè dixit: Conſultat, [53] à qua ſpernitur lex, ciuitas: Malus autem ei ſimilis eſt, quæ legibus utitur, ſed malis utitur. Verſatur autem incontinentia & continentia in eo quod multitudinis habitum ſuperat. Continens enim magis: incontinens minus, quàm maxima pars hominum poſſit, in recta ratione permanet. Eorum autem incontinentia ſanabilior eſt, qui atra bile affecti ſunt, quàm eorum

qui

qui in eo, quod deliberarunt, non permanent. faciliusq́; ſanari poſſunt qui ex conſuetudine, quàm qui ex natura, incontinentiam contraxerunt. facilius eſt enim conſuetudinem mutare, quàm naturam. propterea enim conſuetudinem mutare difficile eſt, quia naturæ ſimilis eſt, quemadmodum ait Euenus. *Longos, quod partum eſt meditando, permanet annos, Atque in naturam tandē conuertitur uſus. Quid igitur ſit continentia, quid incontinentia, quid tolerantia, & mollities, & quam inter ſe hi habitus rationem habeant, hactenus à nobis expoſitū eſt.*

De *uoluptate autem & dolore cognoſcere eius hominis eſt, qui in ciuilis prudentiæ ſtudio ſe uerſari profitetur.* Hic *enim ultimi bonorum omnium præceptor & architectus eſt: quod intuentes, ununquicque partim bonum, partim malum dicere ſolemus.* Pr*æterea uerò neceſſariò nobis de his diſputandum & conſiderandum eſt, quia uirtutes & uitia quæ ad mores pertinent, in uoluptate ac dolore locauimus.* Iam *plerique uitam beatam cum uoluptate copulatam eſſe dicunt. itaque* μακάριον *beatum* ἀπὸ τοῦ χαίρειν *id eſt à gaudendo nominarunt. primùm igitur ſunt qui nullam uoluptatem bonum eſſe cenſent, neque per ſe, neque ex euentu. non enim idem eſſe bonum & uoluptatem. Alij nonnullas eſſe bonas, multas uerò malas.* Ter*tij diſputant etiam ſi uoluptates omnes ſint bonum, non poſſe fieri tamen, ut ſummum bonum ſit uoluptas.* Prorſus *igitur non eſſe bonum, quia uoluptas* [54] *omnis, quidam ad naturam ortus eſt, qui ſenſu percipiatur. At nullus ortus finibus eſt cognatus, ut nulla ædificatio cum ædibus cognationem habet.* Pr*æterea temperans fugit uoluptates: tùm prudens indolentiam perſequitur, non uoluptatem: dein-*

de prudenter, ſentiendi facultatem impediunt uoluptates, eoq; magis quo quiſque magis delectatur, quales ſunt eæ, quæ ex rebus uenereis percipiuntur. In uoluptate enim neminem quicquam animo agitare aut ratione explicare poſſe. Præterea [55] *uoluptatis ars nulla eſt. atqui quicquid eſt bonum, artis opus eſt:* Tùm *uerò uoluptates pueri & beſtiæ perſequũtur.* Non *omnes autem eſſe bonas id declarat, quòd ſunt aliquæ turpes, & quæ uitio uertuntur, & quæ damnum afferunt. Quædam enim eorum quæ iucunda ſunt, morbos gignunt. non eſſe autem ſummum bonum uoluptatem ex eo oſtenditur, quòd non finis, ſed ortus ſit. atque hæc ferè ſunt quæ contra uoluptatem diſputantur.* Ex *his autem non effici, ut neque bonum, neque ſummum bonum ſit uoluptas, ea quæ dicemus, declarabunt: primùm quia cùm duplex ſit bonum, alterum quod abſolutè & per ſe bonum eſt, alterum quod alicui eſt bonum, eandem partitionem ſequentur & naturæ & habitus. eandem igitur & motiones, & ortus.* Et *quæ* [56] *malæ uidentur uoluptates, earum aliæ ſunt ſimpliciter malæ, ſed alicui non malæ, immò optabiles: aliæ ne huic quidem ſunt optabiles, ſed aliquando, & non diu. non ſunt tamen optabiles. hæ autem ne ſunt quidem uoluptates, ſed uidentur, nempe quotquot cum dolore aliquo coniunctæ ſunt, & curationis cauſa adhibentur, ut ægrotorum.* Præ*tereà cùm bonum aliud ſit muneris functio, aliud habitus, eæ uoluptates quæ in naturalem habitum reſtituunt, ex euentu iucundæ ſunt.* I*neſt autem in cupiditatibus functio carentis* [57] *re aliqua habitus, atque naturæ. Sunt enim aliquæ doloris & cupiditatis expertes uoluptates, quales ſunt functiones muneris in contemplando occupatæ, natura*

tura nihil deſiderante, nullaq́; re egente. illas autem non eſſe ueras uoluptates argumento eſt, quòd non iiſdem rebus iucundis delectantur homines cùm expletur,[58] *& cum in ſuo ſtatu eſt natura: ſed natura conſtituta, rebus delectantur abſolutè iucundis: cùm expletur uerò, etiam contrariis. acribus enim, & amaris gaudent, quorum nihil eſt neque natura, neque abſolutè iucundum. Ergo ne uoluptates quidem. Vt enim ea quæ iucunda ſunt, inter ſe comparantur, ſic eæ, quæ ad his oriuntur, uoluptates. Nec uerò neceſſe eſt aliud quicquam uoluptate melius eſſe, ut aiunt nonnulli ortus finem ortu eſſe meliorem. nõ enim ſunt* [59] *ortus, uoluptates: ne omnes quidẽ ſunt cũ ortu cõiunctæ, ſed muneris functiones potius, & finis. Nec cùm gignuntur res aliquæ, ſed cum aliquibus rebus utimur, eueniunt atque exiſtunt uoluptates. neque omnium uoluptatum finis, quiddam ab illis diuerſum eſt, ſed earum quæ ad naturæ perfectionem perducunt. Quapropter neque rectè dicunt uoluptatem ortum eſſe, qui ſenſu percipitur: ſed dicendum fuit potius functionem muneris eſſe habitus cum natura conſentientis: & in locum illorum uerborum, qui ſenſu percipitur, ſubſtituendum eſt, non impeditum. Icircò autem ortum eſſe exiſtimant, quia functio muneris propriè bonum eſt. nam functionem muneris ortum eſſe arbitrantur, ſed aliud eſt. Quòd autem declarari ex eo putant uoluptates eſſe malas, quia nonnulla iucunda morbos pariunt: eadem ratio contra ſalubria facit: quia nonnulla ſunt ad pecuniam quærendam inutilia. Hac igitur ratione erunt utraque mala. ſed non iccircò mala ſunt. nam cauſas rerum animo contemplari, & diſcere, nocet interdum ualetudini. ſed neque prudentiam, neque ullum alium ha-*

bitum uoluptas impedit ea quæ ab unoquoque habitu profi ciſcitur, ſed quæ ſunt alienæ. eæ enim quæ ex contemplatione rerum & diſciplina manant, uoluptates, efficiunt ut magis ac magis contemplemur, & diſcamus. Nullam uerò uoluptatem artis opus eſſe, non eſt mirum: neque id ſine ratione accidit. Nam neque ullius alîus functionis ars eſt, ſed facultatis potius: quanquàm unguentaria & culinaria uidentur eſſe uoluptatis artes. Quod uerò aiunt temperantem fugere uoluptates, & prudentem ſequi uitam à dolore uacuam: pueros autem & beſtias, uoluptates; eadem ratione hæc omnia diſſoluuntur. Nam quoniã expoſuimus quem ad modum ſint abſolutè bonæ uoluptates, & quemadmodum non omnes bonæ: has tales pueri & beſtiæ perſequuntur, harumq; indolentiam uir prudẽs: eas dico quæ cum cupiditate & dolore coniunctæ ſunt, & quæ ad corpus pertinent (ſunt enim hæ huiuſmodi) earumq; immoderationes, ex quibus intemperans & dicitur & eſt intemperans. quo fit ut has fugiat temperans. Nam ſunt & temperantis propriæ quædam uoluptates.

Inter omnes porrò conuenit malum eſſe dolorem ac fugiendum. alius enim abſolutè malum eſt, alius quia aliquo modo impedit. Quod autem rei fugiendæ cõtrarium eſt, quà fugienda & mala, bonum eſt. Neceſſariò igitur bonum quiddam eſt uoluptas. Neque enim ea, qua utebatur Speuſippus, diſſolutio quadrat, ut maius minori 60 *& æquali contrarium eſt, ſic uoluptati duo eſſe contraria, & dolorem, & id quod medium eſt. ſed non rectè Speuſippus. non enim dixerit uoluptatem idem eſſe quod aliquod malum. Iam uerò nihil prohibet, ſi nonnullæ uoluptates malæ ſunt, quominus aliqua uoluptas ſit ſummum bonum,*

quem=

quemadmodum & ſcientia aliqua eſt optima, etiam ſi aliquæ ſint malæ: immò uerò fortaſſe & neceſſe eſt, ſiquidem uniuſcuiuſque habitus functiones liberæ ſunt, & non impeditæ, ſiue omnium habituum functio beatitudo eſt, ſiue alicuius eorum, modo non ſit impedita, eam maximè eſſe expetendam. At hæc eſt uoluptas. Itaque erit aliqua uoluptas ſummum bonum, cùm ſint multæ, ſi fors ita ferat, abſolutè malæ. Ob eamq; cauſam, uitam beatam iucundam eſſe exiſtimant, et beatitudinem cum uoluptate connectunt non iniuria. Nulla[61] *enim muneris functio, ſi impediatur, perfecta eſſe poteſt. At beatitudo in perfectis rebus numeratur. Quocirca & corporis & externa bona, & fortunam quoque, ne hæc impediantur, deſiderat beatus. Qui autem ei, qui in rota crucietur, & qui maximis calamitatibus afficiatur, beato eſſe licere dicunt, ſi modo uir bonus ſit, nihil dicunt, ſiue ſua ſponte, ſiue inuiti*[62] *dicant. Proptereà autem quòd fortunam deſiderat, quibuſdam uidetur idem eſſe uita beata & ſecunda fortuna, cùm longè aliud ſit. nam etiam ipſa, ſi ſit immoderata, impedimento eſt uitæ beatæ, nec ea iam ſecũda fortuna iure nominatur. ea enim circũſcribitur ac definitur ex ipſius cum uita beata comparatione. Et quòd omnes beſtiæ atque homines perſequuntur uoluptatem, argumento eſt eam quodammodo eſſe ſummum bonum. Fama*[63] *autem haud dubiè non funditus interit illa, Quãm multi celebrant populi. Sed quoniam neque unà natura optima, neque unus habitus optimus eſt, aut uidetur: ne eandem quidem ſequũtur omnes uoluptatem, ſed omnes tamen uoluptatem. Fortaße uerò etiam ſequuntur non eam quam putant, neque eam quam dixerint, ſed eandem. In omnibus enim diui-*

num

num quiddam ineſt natura, ſed nominis hæreditas uenit ad corporis uoluptates, propterea quòd plerunque ſe ſe ad eas homines applicant, earumq́; ſunt omnes participes. Quia igitur hæ ſolæ notæ ſunt, iccircò has ſolas putant eſſe uoluptates. Perſpicuum *autem etiam illud eſt, ſi neque uoluptas, neque functio muneris bonum ſit, uirum beatum iucundè non uicturum. Quamobrem enim ea deſideretur, ſi non ſit bonum?* Immò *uerò*[64] *fieri etiam poterit, ut in dolore ac moleſtia uitam agat.* Nam *neque malum, neque bonum erit dolor, ſi quidem neque uoluptas. itaque cur eum fugiat? nihilo igitur erit iucundior uiri boni uita, niſi etiam eius muneris functiones ſint iucundiores.*

Iam *de corporis uoluptatibus eos oportet diſſerere, qui nonnullas uoluptates magnopere dicunt eſſe expetendas, quales ſunt honeſtæ, non eæ quæ ad corpus pertinent, nec eæ in quibus uerſatur intemperans.* Cur *igitur dolores his uoluptatibus contrarij mali ſunt? malo enim bonum contrarium eſt. an ita dicendum, eas eſſe bonas quæ ſint neceſſariæ, quia id quod non eſt malum, bonum eſt? an uſque ad aliquem finem bonæ ſunt? nam quibus in*[65] *habitibus ac motibus, eius quod eſt melius, nimium non reperitur, ne eorum uoluptatis quidem nimium eſt: quorum autem nimium reperitur, uoluptatis quoque nimium reperitur.* Cor*poris autem uoluptatum aliquod eſt nimium, & malus quiſque ex eo eſt, quòd immoderatas uoluptates ſequatur, non quòd neceſſarias.* Delectantur *enim omnes quodammodo obſonijs, uino, & rebus uenereis, ſed non ita ut oportet.* Contrà *fit*[66] *in dolore.* Nam *non fugit quiſque immoderatum dolorem, ſed omnino dolorem. non enim nimio dolor eſt contrarius, niſi ei qui nimium conſectatur.*

Quoniam

Quoniam autem non ſolùm oratio uera eſſe debet, uerum etiam cauſa cur falſa pro ueris habita ſint, aperienda eſt, (hoc enim ad fidem faciendam ualet. nam cùm probabilis ratio uiſa fuerit, quamobrem uiſum ſit aliquid uerũ, quod uerum non eſſet, tùm magis adducimur ut uero fidem habeamus) iccircò exponenda ratio eſt, cur uoluptátes corporis magis expetendæ uideantur. Primùm igitur immoderatam uoluptatem, & omninò eam quæ ad corpus pertinet, tanquàm medicamentum, & curationem quandam perſequuntur, tùm quia dolorem diſcutit, tùm propter immoderatos dolores. Curationes autem omnes ſunt uehementes, eóq; ſtudiosè quæruntur: quia uidentur[67] *cum ſuo contrario pugnare. Videtur igitur non eſſe bonum uoluptas duabus his de cauſis, ut dictum eſt, quòd*[68] *uoluptates partim uitioſæ naturæ ſunt actiones aut à primo animantis ortu, ut ferarum, aut conſuetudine, ut uitioſorum hominum: partim curationes, quia ſunt eius, quod aliquid deſiderat, easq; haberi, quam percipi præſtat. hæ autem pariuntur cum explentur*[69] *cupiditates, & cum ij qui illas deſiderant, in perfectam naturam reſtituuntur. Ex euentu igitur bonæ ſunt. Præterea conſectantur eas ij quibus aliæ oblectationes non ſuppetunt, quia ſunt uehementes. itaque ſitim quandam ſibi ipſi quærunt & conciliant. Vbi igitur innoxias ſequuntur, non eſt reprehendendum: Vbi damnoſas, & pernicioſas, malum. Nam neque alia habent, quibus delectentur, & ſi neutrum adſit, plerique dolore, moleſtiaq; afficiuntur. perpetuo enim labore defatigatur animal, ut etiam libri de natura ſcripti teſtantur, in quibus ſcriptum eſt, uidere & audire laborioſum ac moleſtum eſſe: ſed quotidiana conſuetudine fieri, ut minus*

ſen-

*ſentiamus, ut aiunt. itemq́; in adoleſcentia propterea quod
ea ætate corpus magnitudinem, & uires colligit, ſic affi-
ciuntur homines, ut uinolenti: & ætas iuuenum iucunda
eſt. At uerò qui ab atra bile afflictantur natura, ſemper
egent curatione: corpus enim eorum aſſiduè uellicatur, ac
mordetur, propter temperationem, ſemperq́; in uehemen
ti appetitione uerſantur. uoluptas autem dolorem eijcit ac
depellit, tùm ea quæ contraria eſt, tùm quælibet alia, ſi
ualida ſit & uehemens. Et propter has cauſas, efficiun-
tur homines intemperantes & uitioſi. Quæ autem dolo-
ris ſunt expertes uoluptates, eæ nihil habent nimium, ni-
hil immoderatum. Atque eæ ſunt, quæ ex rebus natura,
non euentu iucundis proficiſcuntur. Ea autem euentu iu-
cunda appello, quæ curationis cauſa adhibentur. Nam
quia euenit ut medicamento curetur aliquis parte ea quæ
70 ſana atque integra ſubeſt, aliquid agente, iccircò hoc
uidetur eſſe iucundum. Natura autem iucunda ea dico,
quæ talis naturæ actionem eliciunt, atque expromunt. Iam
uerò nihil idem nobis ſemper eſt iucundum, quia ſimplex
non eſt noſtra natura, ſed ineſt ea etiam aliquid al-
71 terum ac diſpar, ex quo intereat neceſſe eſt. Itaque ſi
quid agat altera pars, hoc alteri naturæ præter naturam
eſt. Cum uerò exæquatæ ſunt ambæ partes, neque mo-
leſtum, quod agitur, neque iucundum uidetur. Nam ſi cu-
ius natura ſimplex ſit, eadem actio ſemper erit iucundiſſi-
ma. Itaque ſemper una & ſimplici deus uoluptate poti-
tur. Non enim motionis tantum functio eſt aliqua, ſed e-
tiam uacuitatis à motione, magisq́; eſt in quiete, quàm in
motu uoluptas. Mutatio at rerum omnium dulciſſima
eſt, ut ait poëta. ſed id ex hominum improbitate quadam*

& uitio

et uitio naſcitur. Quemadmodũ enim uitioſus ingenio mobili ac mutabili eſt, ſic ea natura quæ mutationem deſiderat, mala ac uitioſa eſt. Non *enim ſimplex neque bona eſt. De continentia igitur, & incontinentia, de uoluptate ac dolore, quid ſit eorum ununquodque, quoq́; modo eorum alia bona, alia mala ſint, dictum eſt. reſtat ut de amicitia dicamus.*

Liber octauus.

HIS *ergo expoſitis, deinceps nobis de amicitia eſt differendum.* Etenim *aut uirtus quædam eſt, aut cum uirtute coniuncta.* Præ*tereà res eſt ad uitam agendam maximè neceſſaria.* Nemo *enim eſt, qui ſine amicis uitam ſibi optabilem eſſe ducat, etiam ſi ceterorum bonorum copia circumfluat.* Nam *etiam ij, qui diuitijs, imperijs, & potentia inſtructi, atque ornati ſunt, maximè uidentur amicorum officium, operamq́; deſiderare. Quem enim fructum ferat huiuſmodi rerum proſperitas ſublata beneficentia? quæ & in amicos confertur maximè, & ſummis laudibus, cùm in amicos uſurpatur, digniſſima eſt: aut quonam modo ſine amicis cuſtodiri, incolumisq́; ſeruari poſſit?* Nam *quanto maior eſt, tanto pluribus caſibus & periculis propoſita eſt.* Iam *in paupertate, ceterisq́; rebus aduerſis, unicum perfugium amicos eſſe putant.* Atque *adoleſcentibus* [1] *opitulatur amicitia, ne quid peccent: ſenibus prodeſt, ut colantur, & ut, quibus ipſi in rebus agendis intereſſe non poſſunt propter ætatis infirmitatem, eæ ab amicis conficiantur ac tranſigantur; ijs quorum æ-*

tas

tas floret, ut res magnas & præclaras gerant: Atque duo cum [2] unà carpunt iter, alter abundat Conſilio, quod ſæpe comes non explicat alter. Ambo enim agendi atque intelligendi maiorem habent facultatem. Ac uidetur ſanè in iis, quæ procrearunt, in ea quæ procreata ſunt, ineſſe amicitia natura, neque id ſolum in hominibus, uerùm etiam in auibus, & plurimis animalibus, in iis deniq; quæ ſunt eiuſdem generis ac gentis inter ſe: ſed in hominibus maximè. Ex quo eos qui apud græcos ab hominum amore nomen traxerunt, humaniq; à nobis, φιλάνθρωποι ab illis appellantur, laudare conſueuimus. Cernere etiam licet in erroribus quàm ſit homo homini accommodatus, atque amicus. Videtur autem amicitia ciuitates continere, maioriq; quàm iuſtitia, latoribus legum, curæ fuiſſe. nam & concordiam, quæ amicitiæ ſimilima ac gemina eſt, ſummopere expetunt, & ſeditionem ei inimicam omni ſtudio eijciunt, atque exterminant. Et ſi ciues inter ſe amicitiam colant, nihil ſit, quamobrem iuſtitiam deſiderent. At ſi iniuſti ſint, tamen amicitiæ acceſſionem requirant. Et id quod ex omnibus [3] iuribus maximè ius eſt, ad amicitiam uidetur maximè pertinere. Neque uerò neceſſaria ſolùm res eſt, uerùm etiam honeſta. Nam & eos laudamus, qui amicos amant, & amicorum [4] multitudo in rebus pulchris atque honeſtis numeratur. Præterea nonnulli eoſdem uiros bonos & amicos eſſe putant. Sed de ea magna multis in rebus controuerſia eſt. Alij enim eam eſſe ſimilitudinẽ quãdam ſtatuunt, & ſimiles amicos: ex quo prouerbia nata ſunt Nam [5] ſemper ſimilem, ad ſimilem: & graculus cũ graculo, & cetera huius generis. Alij contrà hos tales, figulos [6] inter ſe dicunt omnes eſſe. ac de his ipſis diſputationem

tionem altius,& magis à natura repetunt, primùm Euri=*pides, qui ita loquitur.* Tellus quidem[7] *imbrem amat ubi campus aridus* Ob *ſiccitatem ſterilis humore indi=get:* Cœlum *at beatum cùm refertum eſt imbribus,* Ar=*det cadendi mira in humũ libidine: deinde* Heraclitus,*cõ=trarium idem utile: & ex rebus diſsimilibus pulcherrimũ concentum exiſtere, & ex diſcordia naſci omnia.* Aduer=*ſantur his cùm alij multi, tùm* Empedocles. Simile *enim eius, quod ſimile eſt, deſiderio teneri.* Dubitationes *igitur eas, quæ ſunt naturales, miſſas faciamus: non enim huic diſputationi conueniunt. eas autem quæ ad homines, eo=rumq; mores, et perturbationes pertinent, uideamus: qua=les ſunt, utrùm inter omnes poſsit eſſe amicitia, an inter malos non poſsit: & utrùm ſit unum genus amicitiæ, an plura.* Qui *enim ob eam cauſam unum eſſe putant, quia amplificationem & diminutionem recipit, non ſatis firmo nituntur argumento.* Recipiunt *enim amplificationem & diminutionem multa, quæ tamen ſpecie & forma differũt, de quibus ſuprà dictum eſt.* Hæc *autem fortaſſe pla=na fient, ſi quid ſit amabile, fuerit cognitũ. non enim om=nia uidentur amari, ſed id duntaxat quod amabile eſt: cuiuſmodi eſt id quod uel bonum, uel iucundum, uel utile eſt.* Id *autem utile uidetur, quo aut aliquod bonum, aut uoluptas comparatur. itaque amabilia ſunt bonum, & iu=cundum tanquam fines. ſed utrùm id quiſque diligit, quod abſoluté bonum eſt, an quod ſibi eſt bonum? quoniam hæc nonnunquam inter ſe diſcrepant.* Itemq; *de rebus iucun=dis ambigi poteſt.* Videtur *autem & id quiſque amare, quod ſibi bonum eſt, & eſſe abſoluté amabile ſummum bo=num, & cuique amabile, quod cuique bonum eſt.* Amat

porró

porrò unuſquiſque non quod ſibi re uera bonum eſt, ſed quod uidetur. Neque quicquam intererit. erit enim amabile, quod bonum eſſe uidebitur. Cum ſint autem tria in quibus ineſt cauſa cur amemus, in inanimorum[8] amatione amicitiæ nomen non uſurpatur. Nam neque mutuò amant,neque eis quiſquam uult bona euenire. Rideatur enim ſi quis dicat ſe uino bona euenire uelle.ſed ut quàm liberaliſsimè[9] agamus, dabimus ei ut uelit uinum ſaluum & incorruptum manere, ut ipſe habeat. Atqui amicum bonis affici uelle eius cauſa, non ſua,aiunt oportere. qui autem ita uolunt amico omnia benè euenire, eos beneuolos appellant, ſi non idem ab illo referatur: Amicitiam autem eſſe beneuolentiam in ijs,qui inter ſe par pro pari referunt,niſi fortè eò addendum eſt, non occultam, neque incognitam. Multi enim eos quos nunquã uiderunt, beneuolentia complectuntur: uerùm eos eſſe uiros bonos,aut ſibi utiles fore exiſtimant: fieriq; poteſt ut illorum aliquis ſic in hunc ſit affectus. Quocirca inter eos quidẽ beneuolẽtia intercedit,ſed amicos quãobrẽ eos dixerit,quorũ alter de alterius in ſe animo nihil explorati habet? Ergo ut ſint amici, eos oportet ſe mutuò beneuolẽtia cõprehendere,uelleq; omnia benè alterum alteri euenire ita, ut hoc utriq;[10] perſpectũ ſit & cognitũ,propter unũ aliquod eorũ, quæ dicta ſunt.

Sed cùm hæc ipſa tria quæ amari ſolere dicimus,generẽ differant,amationes quoq; differunt,& amicitæ. ſunt enim tria amicitiæ genera, quæ rebus amabilibus pari numero reſpondent. Eſt enim ſua cuiuſque generis mutua amatio, non obſcura, neque incognita: & qui inter ſe amant,alter alteri omnia benè euenire uolunt,quà amant. Atque ij quidem qui utilitatis cauſa amant inter ſe,non propter ſe,cau

ſaq;

ſáq; ſua inter ſe amāt, ſed quà quippiam boni alteri ab altero quæritur. E*adem eſt eorum ratio qui propter uoluptatem amicitiam inter ſe compararūt.* N*on enim facetos & urbanos propterea diligimus, quia cuiuſdāmodi ſunt, ſed quia delectant.* D*eniq; & qui utilitatis cauſa amicitia inter ſe iuncti ſunt, propter id quod ipſis bonū eſt, diligunt: & quos uoluptas ad amandum excitat, amicitiam iucundo metiuntur: nec is qui amatur, quà eſt, amatur, ſed quà utilis, aut iucundus eſt.* E*x euentu igitur conſtant eæ amicitiæ, quoniam non quà eſt is qui diligitur, quicunque ſit, amatur, ſed quà illi utilitatem aliquā præbēt, ac ſuppeditāt, hi uoluptatem. Quocirca facilè tales amicitiæ dirimuntur, cùm ij ſimiles non permaneant.* N*am ſi neque amplius iucundi, neque utiles ſint, amandi finem faciunt. Vtile autem non idem permanet, ſed aliud aliàs efficitur.* E*o igitur, quod amicitiam contraxerat, diſſoluto, amicitia quoque diſsoluitur, perinde ac ſi amicitia cū illis rebus eſſet inſtituta: cuius generis amicitia maximè in ſenibus cernitur. nam neque qui hac ætate ſunt, in amicitijs iucunditatem ſequuntur, ſed utilitatem, neque ex iuuenibus, & ætate florentibus ij qui emolumento ducuntur.* N*on admodū autem tales homines ſocietate uitæ inter ſe cōiunguntur. nam interdum ne iucundi quidem ſunt.* N*eque igitur taliū hominum conſuetudinē deſiderant, niſi ſint utiles.* N*am tātiſper ſeſe iucundos præbent, quandiu ſe commodum aliquod conſequuturos eſſe ſperant.* A*tq; in hoc genere hoſpi talis quoq; amicitia locatur.* I*uuenū aūt amicitia uoluptatis cauſa cōparari uidetur.* N*ā cùm affectibus et pturbationibus animi in uita obtēperent, tùm id quod iucūdum, quodq; præſens eſt, ſequuntur maximè.* E*t quia mutata ætate,*

N *mu=*

mutãtur et ea quæ ſunt iucunda. iccircò celeriter & amici fiunt, & amare deſinunt. Nam *eorum amicitia unà cum eo quod iucundum eis eſt, immutatur, atque euaneſcit.* Ta*lis autem uoluptatis celer eſt mutatio.* Ad *amorem autem etiam propenſi ſunt adoleſcentes.* Nam *magna ex parte rẽ amatoriam regit ac gubernat perturbatio: parit atq; efficit uoluptas.* Amant *igitur, citóq; amandi finem faciunt, ita ut ſæpe uno eodemq́; die uoluntatẽ mutent. uolunt autem hi totos dies unà traducere, uitæq́; ſocietate coniungi, quia hac ratione id eis cõtingit, quod amicitiæ maximè cõuenit.* At *uerò perfecta eſt uirorum bonorum, & uirtute ſimilium amicitia. hi enim ſe mutuò bonis affici uolunt, quà ſunt boni. boni autem ſunt per ſe.* Iam *qui bona amicis optãt, illorũ cauſa, ij maximè ſunt amici.* Sunt*.n. hoc animo ꝑ ſe, nõ ex euentu.* Manet *igitur horũ amicitia tandiu quandiu boni ſunt.* At *uirtus diuturna quædam res eſt, & maximè ſtabilis. eſtq;*[11] *uterque & ſimpliciter abſoluteq́; bonus, et alteri.nã uiri boni, & abſolutè boni ſunt, et inter ſe utiles, itẽq; iucundi: ſiquidẽ boni & abſolutè iucundi, et inter ſe iucundi ſunt.* Suæ *enim*[12] *& tales qualis quiſq; eſt, cuiq; ſunt uoluptati actiones. bonorum autem tales, aut ſimiles ſunt actiones.* Talis *porrò amicitia meritò firma ac ſtabilis eſt.* Omnia *enim cõcurrunt in ea quæ in amicis eſſe debent. nam omnem amicitiam uel bonum aliquod contrahit, uel uoluptas: & utrumq; horum uel abſolutè, uel ei qui amat, & ex ſimilitudine quadam. in hac autem ea inſunt omnia quæ iam dicta ſunt per ſe.* Nam *&*[13] *his & ceteris rebus inter ſe ſunt ſimiles.* Deni*que quod abſolutè bonum eſt, id abſolutè quoque eſt iucundum.* Sunt *autem hæc amabilia maximè.* Et *amare igitur in eis uiget maximè*

mè , & amicitia optima . Non eſt autem mirum tales amicitias eſſe raras. magna eſt enim talium uirorum paucitas . Prætereà tempore & conſuetudine uitæ opus eſt . uerum enim illud prouerbium eſt , Multos modios ſalis ſimul edẽdos eſſe , ut inter ſe norint . Neque uerò quenquã in [14] amicitiam recipere , probareq́; oportet , neque ullos inter ſe amicos eſſe,priusquã alter alteri dignus,qui ametur,uiſus fuerit , fidesq́; mutua perſpecta ſit , & cognita . Qui uerò citò ea , quæ amicitiæ propria ſunt , inter ſe faciunt, amici illi quidem eſſe uolunt,non ſunt tamen,niſi digni ſint, qui amentur,idq́; habeant exploratũ.Amicitiæ igitur conciliandæ uoluntas celeriter illa quidem ſuſcipitur , ſed non ſtatim amicitia naſcitur . Hæc igitur & tẽpore et reliquis rebus omnibus perfecta et cumulata eſt,et his omnibus cõſtat. ſimilis denique utriq; [15] ab altero eſt : quod in amicitia ineſſe debet . *Ea autem quæ iucundi cauſa comparatur amicitia , huic ſimilis eſt . boni uiri enim inter ſe iucundi ſunt : itemq́; ea quam utilitas , emolumentumq́; conflauit.Tales enim ſunt inter ſe uiri boni.Maximè autem & in his amicitiæ permanẽt, cùm par pro pari inter ſe referunt , uerbi gratia, uoluptatem: neque hoc modo ſolùm , ſed ex una & eadem re , ut fit inter urbanos ac facetos, non ut inter amatorem , eumq́; qui amatur . non enim iiſdem rebus hi delectantur : ſed amator illius amore : is qui amatur, amatoris erga ſe ſtudio,atque obſeruantia.forma porrò euaneſcente interdum euaneſcit quoq; amicitia . Illi enim eius, qui amatur facies deſinit eſſe iucunda : hic ab illo non amplius colitur, neque obſeruatur. Plerique autẽ in amicitia permanent , ſi conſuetudine uitæ adhibita mores dilexerint , cùm ſint inter ſe moribus ſimiles.Qui autẽ*

in rebus amatorijs non iucundum, ſed utile permutant, cũ minus amici ſint, tùm minus [16] diu in eadem inter ſe uolũtate permanent. Qui uerò utilitatis cauſa ſunt amici, utilitate ſublata dirimuntur. Non enim mutuò amabant, ſed emolumentum. Quocirca propter uoluptatem, & malis inter ſe, & bonis cum malis, & neutri cum qualicũq; amicitia intercedere poteſt. Sed propter ſe amici ſunt inter ſe uidelicet ſoli uiri boni. Mali enim familiaritate mutua non delectantur, niſi aliquã utilitatẽ alter ab altero percipiat: Et uerò ſola bonorũ amicitia criminibus & calumnijs uacat. Non enim facile eſt quicquam alicui de eo credere, quem ipſe diu probaris ac ſpectaris. Præterea fides habetur alteri ab altero maximè, ſummaq; ab utroq; diligentia adhibetur, ne alteri ab altero iniuria inferatur, ceteraq; omnia in his inſunt, quæ uera amicitia poſtulat. In alijs autẽ ſodalitatibus ac ſocietatibus nihil prohibet quominus huiuſmodi mala iudicant. quoniam enim homine amicos appellant & eos qui utilitate ad amandũ adducuntur, ut ciuitates, (inter ciuitates enim utilitatis cauſa ſocietates contrahuntur) et eos qui uoluptate inuitantur, ut pueri: fortaſſe hos quoq; tales amicos appellare, compluraq; amicitiæ genera ponere debemus: ac primo ſanè loco & propriè eam amicitiam nominare, quæ eſt inter bonos, quà boni ſunt: reliquas ex ſimilitudine. Amici enim ſunt ea ratione, qua eſt in eis boni quippiam, & aliquid boni ſimile. Iucundum enim bona quædam res eſt ijs, qui rebus iucundis ducuntur: ſed hæ amicitiæ non ſæpe copulatæ reperiuntur, neque ijdem inter ſe fiunt amici propter utilitatem ac iucunditatem. nam non admodum [17] copulantur, neque una cohærent quæ ex euentu conſtant. Cum ſit autem in hæc

genera

genera amicitia diſtributa, mali quidem propter utilitatem, aut uoluptatem inter ſe erunt amici, quando ſunt hac ratione ueris amicis ſimiles: boni autem propter ſe amici futuri ſunt. quà enim boni ſunt. atque hi abſolutè amici: illi ex euentu, & eò quòd his ſint ſimiles. Quemadmodum autem in uirtutibus alij habitu, alij re & functione muneris boni nominantur: ſic & in amicitia alij mutua uitæ conſuetudine, & conuictu inter ſe delectantur, utilitatesq; alter alteri ſuppeditant: alij uerò aut dormientes, aut locorum interuallo diſiuncti amicitiæ muneribus non funguntur quidem illi, ſed ita tamen ſunt animati, ut fungi poßint. non enim locorum interualla amicitias ſimpliciter dirimunt, ſed muneris functionem. Quòd ſi diuturna fuerit abſentia, efficere uidetur ut amicitiam quoque inobſcuret obliuio. ex quo dici ſolet Neglectum alloquium multos diſiunxit amicos. *Sed nec ſenes, nec auſteri ad amicitiam eſſe idonei uidentur. nam cùm apud eos non multùm ſit loci uoluptati relictum, tùm nemo neque cum eo qui grauis ac moleſtus eſt, neque cum eo qui non eſt iucundus, dies totos conſumere queat. Et dolorem enim maximè fugit, & iucunditatem maximè expetit natura. Iam uerò qui inter ſe probati & accepti ſunt, nec communi uitæ conſuetudine deuinciuntur tamen, beneuolis, quàm amicis ſunt ſimiliores. Nihil eſt enim amicorum tam proprium, quàm uitæ ſocietate coniungi. Nam utilitatẽ quidem egentes expetunt: conſuetudinem uitæ autem etiam diuites ac beati. Solitaria enim uita eis minimè omnium conuenit. At unà uiuere non poſſunt qui nec iucundi ſunt, nec iiſdem rebus delectantur: quod habere uidetur maximè ſodalitas. Eſt igitur amicitia bonorum maximè amici-*

tia, quemadmodum ſæpius iam à nobis dictum eſt. Nam cùm id amabile & optabile ſit, quod abſolutè bonum ac iucundum eſt, tùm id cuique amabile eſt, quod ei tale eſt. at uir bonus uiro bono propter horum utrunque amabilis eſt. Sed amatio [18] *perturbationi ſimilis eſt: habitui amicitia. amatio enim etiam in res inanimatas confertur. redamare autem cum conſilio coniunctum eſt, quod ab habitu proficiſcitur. Prætereà bonis affici uolumus eos quos amamus, illorum cauſa, non perturbatione aliqua incitati, ſed ex habitu: & qui amicum diligunt, id quod ſibi bonum eſt, diligunt. Nam uir bonus amicus alicui factus, ei ipſi cui amicus eſt, bonum eſt. uterque igitur cùm id quod ſibi bonum eſt, diligat; tùm par pro pari refert, & uoluntate* [19] *& genere. Nam uulgò dici ſolet, amicitia æqualitas. ergo in amicitia uirorum bonorum hæc inſunt maximè. Inter auſteros autem, & ſenes eo minus amicitia conciliatur, quo ſunt difficiliores, minusq; hominum congreſſu & ſermone delectantur. hæc enim & propria ſunt amicitiæ maximè, & ad eam conglutinandam plurimùm ualent. itaque citò fiunt iuuenes amici: ſenes non item. non enim fiunt ijs amici, quibus non delectantur: ſimiliterq; acerbi, triſtesq; natura. Sed tales homines ſanè beneuoli inter ſe eſſe poſſunt: benè enim alter alteri omnia uolunt euenire, præſtoq;* [20] *adſunt atque occurrunt in rebus aduerſis: ſed non facilè ſunt amici, quia neque unà totos dies commorantur, neque alter alterius moribus delectantur, quæ maximè uidentur amicitiæ conuenire. Sed perfecta cum multis amicitia nemini intercedere poteſt, ſicut fieri non poteſt, ut quis multarum amore uno tempore captus ſit. nam perfectè amare nimio ſimile eſt. hoc autem ut cum uno*

dun=

duntaxat ſuſcipiatur, patitur natura. Sed uni eodem tempore multos uehementer placere haud facile eſt: fortaſſe uerò neque [21] *bonum eſſe. Oportet autem & periculum facere, & conſuetudinem cum eis habere. quod eſt omnium difficilimum. Propter utilitatem autem & iucunditatem ut quis multis placeat, fieri poteſt. nam & huius generis hominum magna copia eſt, & breui tempore duo illa ſuppeditare poſſunt. Harum autem duarum ea magis amicitiæ ſimilitudinem gerit, quæ iucunditatis cauſa inſtituta eſt, cùm eadem ab altero alteri præſtantur, & alter altero delectatur, aut uterq; eiſdem, quales amicitiæ iuuenum ſunt. Magis enim in his elucet ingenium quoddam liberale. At ea quæ propter utile comparatur, eorum eſt qui faciunt* [22] *mercaturam. Et diuites ac beati, non utiles, ſed iucundos amicos deſiderant. uiuere enim cum aliquibus uolunt: dolorem autem ac moleſtiam ferunt illi quidē breue quoddam tempus: perpetuò uerò qui perferre poſſit, reperias neminem: immò ne ipſum quidem bonum, ſi ei moleſtum ſit. Itaque iucundos amicos quærunt. ſed fortaſſe* [23] *& bonos quærere oportet, qui etiam amicis ſunt tales. ſic etiam eis illa ſuppetent, quibus amici inſtructi atque ornati eſſe debent. Qui uerò ſunt auctoritate aliqua & poteſtate præditi, diſtinctis ac diuiſis amicis uti uidentur. Alij enim ſunt eis utiles, alij ſuaues ac* [24] *iucundi. Nō admodùm autem ijdem utilium ac iucundorū partes agūt. Nam neque eos quærunt qui iucundum cum uirtute coniunxerunt, neque eos utiles, qui ad res honeſtas ſibi uſui eſſe poſſunt: ſed iucundos quidem, qui ſint faceti atque urbani, quoniam rerum iucundarum* [25] *deſiderio tenentur: utiles autem, qui ſint ſolertes & habiles ad id quod imperatum*

ſit, agendum. Hæc autem non admodum in eodem reperiuntur. Atqui iucundum, ſimul & utilem bonum uirum eſſe diximus. Verùm homini[26] *dignitate ac potentia præſtanti, talis non facilè ſit amicus, niſi etiam præſtans ille uirtute ſuperetur. Nam ſi hoc non ita ſit, non æquatur proportione cum illo præſtantiore is qui ſuperatur. raró admodum autem tales homines reperiri ſolent. In æqualitate igitur eæ, quas ſuprà diximus, amicitiæ poſitæ ſunt. Aut eadem enim ab utriſque præſtantur, eademq́; alter alteri uult euenire, aut aliud cum alio commutant, uerbi gratia cum utilitate uoluptatem. Has autem minus eſſe amicitias, minusq́; diu permanere, dictum eſt, uidenturq́; propter euiſdem rei ſimilitudinem, ac diſsimilitudinem, & eſſe amicitiæ, & non eſſe. Ex ſimilitudine enim eius amicitiæ, quæ uirtute conſtat, amicitiæ ſimilitudinem gerunt. Ineſt enim in altera iucundum, utile in altera: Hæc autem inſunt & in illa. ſed eò quòd illa criminationum et calumniarum expers eſt, & firma penè ad perpetuitatem: hæ autèm celeriter intercidunt, alijsq́; multis rebus differunt, non uidentur amicitiæ, propter illius diſsimilitudinem. Aliud autem amicitiæ genus eſt, quod in excellentia poſitum eſt, ueluti quæ patri intercedit cum filio, ſeni cum iuuene, uiro cum uxore, omni denique qui præeſt, cum eo qui imperio parere debet. ſed hæ quoque inter ſe differunt. Non enim eadem parentum cum liberis, & eorum qui præſunt, cum iјs qui ſub imperio ſunt: ſed neque eadem patris cum filio, quæ filij cum patre, neque eadem uiri cum uxore, quæ uxoris cum uiro amicitia eſt. Alia enim cuiuſque horum uirtus eſt, aliæ ſunt partes, alia denique ea propter quæ amant. Aliæ ſunt igitur & amationes,*

&

& amicitiæ. Eadem igitur utrique ab altero neque præſtantur, neque ſunt poſtulanda. Cùm uerò ijs qui procrearunt, ea quæ debent, liberi tribuunt, uiciſſimq; filijs parentes, quæ debent liberis, tùm firma, & æquabilis talis amicitia futura eſt. Proportione autem in ijs amicitijs, quæ in excellentia poſitæ ſunt, amatio debet extare, ut ſcilicet is qui potior eſt, ametur magis quàm amet: & is qui plus utilitatis affert, itemq; ceteri ſinguli. Cùm enim amatio pro dignitate præſtatur, tùm quodammodo exiſtit æqualitas, quod amicitiæ proprium eſſe uidetur. Non ita porrò ſe habet in rebus iuſtis, ut in amicitia, æqualitas. Etenim in rebus iuſtis primo loco[27] ponitur æqualitas ea quæ pro cuiuſque dignitate eſt: ſecundo ea qua æqualem numero aut magnitudine ſinguli partem ferunt: in amicitia contrà primo loco ſtatuitur id æquale, quo æquè magnam quiſque partem conſequitur, ſecundo id quo rata cuique pars pro ſua cuiuſque dignitate tribuitur. Quod ex eo perſpici poteſt ſi magna ſit uirtutis, aut uitij, aut copiæ, aut alius alicuius rei diſtantia. Non enim iam amici ſunt, immò ne æquum quidem eſſe iudicant. Idq; in dijs maximè apparet. omnibus enim bonis longè antecellunt. Perſpicuum idem eſt in regibus quoque. Nam ad eorum amicitiam ne aſpirare quidem conantur ij, qui multo ſunt inferiores, neque optimorum uirorum, aut ſapientiſſimorum amicitiam expetunt humiles & contempti, nulliusq; pretij homines. Conſtitui igitur in his ſubtilis terminus non poteſt, quatenus[28] progredi amicitia poſſit. Nam ſi multa ab altero detrahantur, manet etiamnum amicitia: ſin longiore[29] interuallo inter ſe diſiuncti ſint, ut homo à deo, non iam manet. Ex quo ambigitur uelint amicos amici bonis

nis quàm maximis affici, uerbi gratia deos eſſe. neque enim iam amici ſunt eis futuri. non igitur bona. amicorum enim bona ſunt amici. Quòd ſi pulchrè hoc dictum eſt, ſuo quenque amico bona optare illius cauſa, profectò [30] *maneat oportet, qualiſcunque tandem ille ſit. Verùm ei certè ut homini, maxima bona uolet euenire, ſed fortaſſe non omnia: ſibi enim maximè uult quiſque bona euenire.*

Multitudo autem honoris ſtudio ducta malle uidetur amari quàm amare. Itaque magna pars hominum aſſentatorum amatrix et cupida eſt. Eſt enim [31] *aſſentator amicus qui ab altero ſuperatur, uel certè qui ſeſe talem eſſe ſimulat, amareq; magis quàm amari. Amari autem & honore affici, cuius rei plerique omnes ſunt cupidiſsimi, finitima eſſe uidentur. Verùm honorem non propter ſe expetere uidentur, ſed ex euentu. Vulgus enim lætatur cum ab ijs qui poteſtate & imperio præditi ſunt, honore afficitur propter ſpem: exiſtimat enim futurum, ut ſi qua re egeat, ab illis conſequatur, honoreq;, quaſi beneficij accipiendi argumento, & pignore delectatur: Qui uerò à uiris probis, et ijs quibus noti ſunt, honorem expetunt, ſuam de ſeipſis* [32] *opinionem ſtabilire & confirmare uolunt. Se igitur bonos eſſe gaudent, eorum iudicio, qui id dicunt, fidem habentes. Se amari autem gaudent per ſe. Itaque carum eſſe atque amari melius eſſe uideatur, quàm honore affici, amicitiaq; per ſe eſſe optabilis & expetenda. Magis autem in eo conſiſtere uidetur, ut ames, quàm ut ameris. Atque hoc ipſum matres indicant, quæ eo ipſo quòd amant, magnopere lætantur. Nonnullæ enim filios ſuos dant alendos, eosq; ſcientes ex ſe natos, amant, nec ut ab eis redamentur, magnopere laborant, ſi fieri utrunque*

non

non poßit: ſatisq; habent ſi uideant eos frui ſecunda fortuna: denique nihilominus eos diligunt, quamuis illi non poßint matri, propterea quòd eam non norunt, quæ conuenit, tribuere. Cùm igitur in eo ut amemus, magis quàm in eo ut amemur, amicitia conſiſtat, laudenturq; ij qui ſuos amicos amore complectuntur, probabile eſt amicorum uim ac uirtutem in eo ut [33] amemus, eſſe ſitam. Itaque in quibus hoc fit pro dignitate, ij ſtabiles ac firmi permanent amici, taliumq; amicitia integra & incolumis eſt permanſura. Atque hoc quidem modo homines inter ſe inæquales, maximè fiunt amici. ſic enim poßunt exæquari. Aequalitas autem & ſimilitudo, amicitia eſt, maximeq; eorum qui uirtute ſimiles ſunt, ſimilitudo. Nam cùm hi maneant ex ſe ipſis firmi ac ſtabiles, tùm inter ſe firmitatem tuentur ac retinent, neque res malas deſiderant, neque ſe talium rerum miniſtros præbent, immò uerò penè dicam, etiam eas prohibent ac reprimunt. Virorum enim bonorum eſt, neque peccare, neque amicis permittere ut peccatorum ac flagitiorum ſint adminiſtri. Mali uerò cùm ſtabile nihil habeant, quippe qui ne ſui quidem ſimiles permaneāt, tùm ad perexiguum tempus amicitiam inter ſe tuentur, mutua improbitate delectati. Vtiles autem ac iucundi diutius permanent. tandiu enim manent, quoad utilitates ac uoluptates mutuò ſuppeditent. Ea autem amicitia maximè, quam utilitas conſtituit, ex contrarijs conſtare uidetur, ut cum pauper diuiti, doctus indocto fit amicus. Nam qua quiſque re forte fortuna eget, eam ab altero expetens, alio genere illum remuneratur. Adhunc numerum amatorem & eum qui amatur, formoſum ac deformē licet aggregare. Quocirca uidentur interdum amatores ridiculi, cùm eos quos

amant

amant, ſibi in amore reſpondere uolunt. & certè ſi æquè digni ſint, qui amentur, iure & uolunt & poſtulant: ſin nihil tale habeant, ridiculum ſit id poſtulare. fortaſſe uerò neque res contraria contrariam per ſe expetit, ſed ex euentu. appetitio autem medij eſt. hoc enim bonum eſt: uerbi gratia rei aridæ bonum eſt, non humidam fieri, ſed ad mediocritatem peruenire: itemq; rei calidæ & ceteris. ſed hæc omittantur ſanè. ſunt enim ab inſtituto noſtro alieniora. Videtur autem, quemadmodum principio dictum eſt, tùm ad eadem pertinere, ius & amicitia, tùm in ijſdem uerſari. Nam in omni ſocietate aliquod ius & uerò amicitia aliqua reperitur. Itaque amicos appellant, & eos quibuſcum nauigant, & commilitones, itemq; eos quibuſcum aliam ſocietatem inierunt. Quanta [34] porrò ſocietas eſt, tam latè patet & amicitia. nam tantum patet & ius. recteq; monet prouerbium, amicorum omnia eſſe cõmunia. in ſocietate enim & communione poſita eſt amicitia. Sunt autem fratrum & ſodalium omnia inter ipſos cõmunia: reliquorum certa quædam ac diſtincta, alijsq; plura, alijs pauciora. nam & amicitiæ aliæ magis, aliæ minus ſunt amicitiæ. harum autem differunt & iura. non enim eadem ſunt patri cum liberis, quæ fratribus inter ipſos, neque ſodalibus, & ciuibus: ſimiliterq; ſe res habet in alijs [35] amicitijs. Aliæ igitur [36] ſunt & iniuriæ in hos ſingulos, ex eoq; ſumunt incrementum, quòd amicioribus inferuntur: exempli gratia ſodalem pecunia fraudare grauius eſt, quàm ciuem: & fratri non ſuccurrere, quàm alieno, et parentem uerberare, quàm quenlibet alium. Solet autem unà cum amicitia ius amplificari natura, perinde quaſi in ijſdem rebus conſiſtant, & æquè latè pateant. Omnes autem

tem ſocietates ciuilis ſocietatis partibus ac membris ſunt ſimiles. unà enim iter faciunt & congregantur homines cùm emolumenti alicuius gratia, tùm ut aliquid quærant, & parent eorum quæ ad uictum, cultumq́; pertinent. I*am uerò etiam ſocietas* [37] *ciuilis, & ab initio utilitatis cauſa conſtituta uidetur eſſe, & permanere. hoc enim legum latores & ſibi tanquàm ſcopum, proponunt, & ius eſſe dicunt, quod communiter & reip. utile eſt. Ceteræ igitur ſocietates pro ſua quæq; parte utile expetunt: uerbi gratia nautæ id quod ex nauigatione* [38] *quæritur ad pecuniæ ſtudium, aut aliquid tale: commilitones id quod bello paratur, ſiue pecuniam concupiſcant, ſiue uictoria potiri, ſiue urbem aliquam expugnare cupiant: itemq́; tribules, & populares.* N*onnullæ autem ſocietates propter uoluptatem comparari uidentur, ut eorum qui unà epulantur, ac ſaltant: & eorum* [38] *qui pro rata cuiusq; parte ſymbolas in conuiuium conferunt.* H*æ enim partim ſacrificij, partim conuentus & conuictus cauſa comparantur, omnesq́; ciuili ſubiectæ eſſe uidentur.* N*on enim præſentem utilitatem, ſed eam quæ ad omnem uitam pertinet, ciuilis ſocietas expetit: ut cùm ciues unà ſacra faciunt, & ad ea celebranda unà conueniunt, et congregantur, honoresq́; dijs immortalibus tribuunt, & ſibi requiem cum uoluptate cõiunctam præbent.* V*eriſimile* [40] *eſt enim priſca ſacrificia, cœtusq́;, & conuentus qui ſacrificiorum cauſa habebãtur, collectis iam fructibus ut primitias quaſdam, fuiſſe inſtituta. his enim temporibus maximè ab opere ceſſabant.* A*paret igitur ſocietates omnes ciuilis eſſe membra.* Q*uales autem fuerint ſocietates, tales amicitiæ conſequentur.*

Status porrò reip tria ſunt genera, totidemq́; ab illis

ſine

ſiue digreßiones, ſiue declinationes, quaſi earum peſtes, & interitus. ſunt autem reip. ſtatus regnum, optimatum principatus, timocratia, quam ex cenſu poteſtatē non inepté poſſumus appellare. Sed eam plurimi ſolent remp. nominare. Horum omnium regnum eſt optimum: ex cenſu poteſtas deterrima. declinatio à regno tyrãnis eſt. in utroque[41] *enim penes unum ſumma rerum eſt poteſtas. ſed plurimum tamen inter ſe differunt. tyrannus enim ſuam, rex eorum quibus imperat, utilitatem ſpectat. Etenim rex non eſt is cui ſua nõ ſatis ſunt, quiq́; non omnium bonorum copia antecellit. At qui talis eſt, nihil præterea deſiderat. Itaque non ſua, ſed eorum quibus præeſt, commoda intuebitur, ſibiq́; proponet. Nam qui*[42] *talis non fuerit, rex quidam ſortitò factus uidebitur. Huic aduerſatur tyrannis. nam quod ſibi expedit, ſequitur: atque hanc magis perſpicuum eſt eſſe deterrimam. Quod enim*[43] *optimo eſt cõtrarium, peßimum. Ex regno autem in tyrannidē degenerat. nam monarchiæ uitium tyrannis eſt. rex malus autem tyrannus efficitur. Ex optimatum poteſtate uerò in paucorum principatum fit commutatio, eorum qui præſunt, culpa, qui res ciuitatis diſtribuũt indignis: omnia bona, aut multo maximam eorum partē ſibi uendicant: magiſtratus ijsdem ſemper deferunt, diuitias rebus omnibus anteponētes: ita fit ut pauci magiſtratum gerant, ijq́; improbi ac uitioſi pro uiris optimis, atque æquißimis. Ex timocratia autem (quam ex cenſu poteſtatem nominauimus) in popularem ſtatum fit conuerſio. Sunt enim hi reip. ſtatus inter ſe finitimi. nam ex cenſu poteſtas quoque natura ſua multitudinis uidetur eſſe. omnesq́; qui cenſi ſunt, inter ſe ſunt pares & æquales. ſed minimùm omnium uitioſa, popularis poteſtas*

ſtas eſt, quia admodum paululum à reip. forma deflexit. Ac reip. quidem ſtatus hoc maximè modo commutari ſolent. Sic enim minima & facilima mutatio eſt. Eorum autem ſimilitudines & ueluti exempla ex familijs priuatis ſumere licet. patris enim cum filijs ſocietas regni ſpeciem quãdam præ ſe fert. Nam filij patri curæ ſunt. Hinc & Homerus Iouem, patrem appellat, Patriam enim[44] *poteſtatem regnum proximè uidetur inmitari. ſed eſt apud Perſas patria poteſtas tyrannica. utuntur enim liberis ſuis, ut ſeruis. Eſt & domini in ſeruos imperium tyrannicum. in eo enim negotium domini agitur, eiuſq; utilitati cõſulitur. atq; hoc ſanè rectùm eſt. ſed Perſicum deprauatum, ac peruerſum. Eorum enim qui differunt, imperia quoque differre debent. Iã uiri & uxoris poteſtas ad optimatum imperium proximè uidetur acedere. Pro dignitate enim uir imperat, in eiſq; rebus imperat, in quibus uirum oportet imperare: & quæ mulieri conueniunt, ei permittit. Quòd ſi in omnibus dominetur, in paucorum poteſtatem fiet commutatio. id enim faciet præter dignitatem, non quà melior eſt. Interdum uerò fit ut mulieres imperent eæ ſcilicet quibus ampliſſimæ uenerunt hæreditates. Non igitur tum ex uirtute, ſed propter diuitias, & potentiam imperatur, quemadmodum in paucorum principatu. Ex cenſu poteſtati fraterna ſocietas ſimilis eſt. Sũt. n. pares, niſi quoad ætatibus inter ſe differũt. quocirca ſi multùm inter ſe diſtent ætatibus, iam amicitia fraterna conſtare non poteſt. Eſt autem popularis ſtatus quidem cùm in ijs familijs maximè quæ domino carent: hic enim ex æquo omnes imperãt, tùm in quibus imbecillus eſt is qui imperat, ſuaq; cuique auctoritas datur & licentia. In unoquoque*

au-

enim reip. ſtatu eatènus [45] *ſeſe proferre uidetur amicitia, quatenus & ius. Ac quæ regi ſanè amicitia cum ijs, qui ſub regno ſint, intercedit, in quadam beneficij excellentia poſita eſt. benè enim meretur de ijs, quibus imperat, ſi cùm ſit bonus, curã eorũ habeat, tanquam ouium paſtor, ut ſint fortunati ac beati. Vnde Agamemnonem Homerus paſtorem populorum appellauit. Talis eſt autem & paterna amicitia, niſi quòd beneficiorum magnitudine præſtat. Eſt enim pater filio cauſa cur ſit: quæ uidetur eſſe res omnium maxima: idemq; alendum & erudiendum curauit. Atque hæc eadem auis & maioribus tribuuntur. Ad imperandũ enim apti ſunt natura & pater liberis, & aui nepotibus, & reges ijs qui ſub regno ſunt. Hæ autem amicitiæ in excellentia quadam poſitæ ſunt. itaque parentibus tribuitur honos. Ius igitur in ijs non idem uerſatur, ſed id, quod pro dignitate eſt. Talis enim & horum amicitia eſt. Iam uiri & uxoris amicitia eadem eſt, atque ea quæ eſt in optimatum principatu. ex uirtute enim res tota penditur, & plus boni meliori tribuitur, & quod cuique aptum, & accommodatum eſt. Idem porrò & de iure ſentiendum. Fratrum autem amicitia, ſodalium amicitiæ ſimilis eſt. ſunt enim pares inter ſe, & æquales ætate: & qui ſunt tales, plurimùm ijsdem ſtudijs,* [46] *ac diſciplinis dediti, conſimilibusq; moribus præditi ſunt. Huic igitur ſimilis amicitia ea eſt, quæ in eo reip. ſtatu reperitur, in quo ex cenſu magiſtratus, imperiaq; deferuntur. Poſtulat enim ratio & natura ciuium, ut inter ſe ſint pares, & uiri boni, atque æquabiles: uiciſſim denique & æqualiter ſolent imperare. Talis igitur & eorum amicitia eſt. In declinationibus* [47] *autem à recto reip. ſtatu quemadmodum iuri parum loci*

reli=

relictum eſt, ſic & amicitiæ, minimumq́; in deterrima. in tyrannide enim aut nihil, aut parùm loci amicitiæ eſt relictum. inter quos enim nihil eſt commune ei qui imperat cũ eo qui paret: nec ulla prorſus amicitia eſt. Nam nè iuris quidem inter eos ulla eſt communitas. Sed tantundem iuris et amicitiæ eſt, quantùm intercedit artifici cũ inſtrumẽto, animo cum corpore, domino cum ſeruo. His enim 48 *proſunt quidem & conſulunt ii qui utuntur: uerùm nec amicitia, nec ius eſt nobis cum rebus inanimis: immo ne cum equo quidem aut boue: ſed neque cum ſeruo, quà ſeruus eſt. nihil enim domino cum ſeruo commune eſt. nam ſeruus inſtrumentum eſt animatum: inſtrumentum autem ſeruus inanimatus. Quà igitur ſeruus eſt, nulla nobis cum eo amicitia intercedit, ſed quà homo eſt. nam omni homini cum eo, qui legis & conuenti particeps eſſe poteſt, ius aliquod intercedere uidetur. ergo & amicitia, quoad homo eſt. In tyrannidibus autem, neque amicitijs, neque iuri multùm relictum eſt loci. at in popularibus poteſtatibus plurimũ. multa enim inter eos, qui ſunt pares, communia ſunt.*

In ſocietate igitur & communitate quadam omnis amicitia cernitur, quemadmodum diximus, niſi quis fortè & cognatorum & ſodalium amicitiam ab his ſecludere uelit. At uerò ciuium & tribulium, & eorum qui unà nauigant, & quæcunque ſunt huius generis amicitiæ, ſociorum amicitiis ſunt ſimiliores. Conſenſu enim & pacto quodam uidẽtur conſtare. atque in eodem numero & ordine hoſpitalem collocare licet. Iam uerò cognatorum amicitia multiplex ac multiformis eſſe, totaq; à paterna pendêre uidetur. Parentes enim natos diligunt ut aliquid ſui. Nati autem parentes ut ab illis quippiam profectum: Melius

autem nouerunt parentes ſuos liberos quàm ſciunt liberi ſe ex his eſſe procreatos: maiore denique neceßitudine coniunctum eſt ei, quod generatum eſt id, à quo generatum eſt, quàm id, quod natum eſt ei, quod efficit. nam quod ab aliquo profectum eſt, eius eſt proprium, à quo profectum eſt, ut dens, aut pilus, & quidlibet eius, cui inhæret: id autem, [49] *à quo aliqua orta ſunt, illorum nullius, aut certè minus. Præterea temporis longinquitate patris amor in filium ſuperior eſt. parentes enim liberos ſtatim ut nati ſunt, diligunt: liberi parentes ætate progreßi tum denique cùm intelligere, ſentireq́; cœperunt. Atque ex his perſpicuum eſt etiam quamobrem matribus liberi ſint cariores. Parentes* [50] *igitur liberos, ut ſe ipſos, diligunt: nam qui ex eis nati ſunt, eo ipſo quòd ſeparati ſunt, tanquam alteri ipſi ſunt: liberi autem parentes, ut ex illis nati. At fratres inter ſe amant quòd ex eiſdem nati ſint. Nam eo* [51] *ipſo quòd idem ſunt, atque illi, fit ut inter ſe quoque ſint idem. Iccircò de fratribus ita loqui ſolent, idem ſanguis, ſtirps eadem, & cetera eiuſdem generis. ſunt igitur quodammodo unum, & idem etiam in corporibus diuiſis, ac ſeparatis. Magnum autem ad amicitiam momentum habet educationis communitas, & ætatis æqualitas. Nam* [52] *æqualem æqualis, inquit ille: & qui familiaritate, conſuetudineq́; mutua delectantur, ſodales ſunt. Itaque amicitia fraterna ſodalium amicitiæ ſimilima eſt. Patrueles autem, reliquiq́; cognati ex horum coniunctione, inter ſe coniuncti ſunt: ex eo enim ſcilicet quòd ex eiſdem orti ſunt. Atque horum alij ſunt inter ſe propinquiores, alij alieniores, quòd uel propius, uel longius ab eis abeſt eorum generis auctor. Ea autem quæ li-*

beris

beris cum parentibus, & hominibus cum Dijs *immortalibus amicitia intercedit, ut cum bona quadam re atq; excellente intercedit.* Beneficijs *enim nos maximis affecerunt.* Cur *ſimus enim, & poſtea quàm nati ſumus, cur educati atque inſtituti fuerimus, cauſæ ſunt.* Ineſt *autem in tali amicitia eo plus iucunditatis & utilitatis, quàm in alienorum, quo uitæ communitate magis inter ſe deuincti ſunt.* Inſunt *etiam in fraterna, eadem quæ in ſodalium amicitia, ac multo quidem magis in probis & æquis, & omninò ſimilibus, quanto ſunt inter ſe coniunctiores, quantoq́; magis ab eo tempore, quo primùm in lucem editi ſunt, ſe mutuò diligunt: quanto denique ſimilioribus moribus præditi ſunt, qui ex eiſdem nati, & unà educati, & ſimili cura ac diligentia eruditi ſunt.* Poſtremò *probatio ea, quæ tempore conſtat, in hac & plurima, & firmiſsima eſt.* Peræqua *autem proportione in ceteris quoque cognatis ea quæ amicitiæ propria ſunt, reperiuntur.* Iam *uerò quæ inter uirũ & uxorem amicitia eſt, maximè ſecundùm naturam eſſe uidetur.* Homo *enim ad coniugium aptior eſt natura, quàm ad ſocietatem ciuilem, quanto prior, magisq́; neceſſaria ciuitate domus eſt, quantoq́; procreatio animantibus omnibus communior eſt. atque in ceteris quidem* [53] *hactenus progreditur ſocietas. homines autem non ſolùm procreationis liberorum cauſa communi domo utuntur, ſed etiam ut eorum quæ ad uitam pertinent, maior eis ſit facultas. ſtatim enim deſcripta ac diuiſa ſunt eorum officia ac munera, aliæq́; ſunt uiri, aliæ uxoris partes.* Inſeruiunt *igitur alter alteri ſua in medium afferentes, ob eamq́; cauſam in hac amicitia & utilitas ineſſe uidetur, & uoluptas.* Quòd *ſi probi fuerint, propter uirtutem amicitiam inter*

ſe colere uidebuntur. E*ſt autem ſua utriuſque uirtus, ac tali re ſanè lætabuntur*. L*iberi autem communes, uinculi cuiuſdam inſtar obtinent*. I*taque citius diſſoluuntur, qui liberis carent*. L*iberi enim communes, amborum ſunt bonum*. A*t id omne quod commune eſt, ad continendum ualet*. V*iro autem cum uxore, & omninò amico cum amico quo modo ſit uiuendum ſi quæratur, nihil aliud ſit, quàm quærere quid inter eos iuris intercedat*. N*on enim idẽ ius amico cum amico, atque cum alieno, neque cum ſocio, & condiſcipulo*. C*um tria ſint autem amicitiæ genera, quemadmodum initiò diximus, & in unaquaque alij ſint pares amici, alij præſtantia quadam inter ſe differant, (nam & æquè boni inter ſe fiunt amici, & melior deteriori, ſimiliterq; iucundi, & ij qui utilitatem ſequuntur, tùm utilitatibus præbendis æquales, tùm inæquales ac differentes) eos quidem qui inter ſe ſunt pares, & amando & reliquis rebus oportet exæquari: diſpares autem præſtantiæ & excellentiæ id proportione reddere, quo ſunt inferiores*. O*riuntur autem criminationes & querelæ in ea amicitia ſola quam conſtituit utilitas, aut certè in ea maximè, nec immeritò*. N*am qui ob uirtutem ſunt amici, ſtudent alter de altero benè mereri*. H*oc enim uirtutis & amicitiæ proprium eſt: illis porrò hac de re certantibus, neque criminationes exiſtunt, neque pugnæ*. I*n eum enim qui amat, et benè meretur, nemo offenſo eſt animo: immò uerò ſi humanitate ſit politus, & gratus, refert gratiam*. I*am qui beneficijs* [54] *alterum ſuperat, cùm id quod cupit, aſſequatur, non queretur de amico. uterque enim bonum expetit*. N*e in amicitijs quidem propter uoluptatem conciliatis, admodum ſæpe querelæ incidunt. nam ſi conuictu læ-*

tantur

tantur, id quod expetunt, pariter cõtingit ambobus. Ridiculus aũt uideatur is, qui alterũ criminetur eò quòd ab eo non delectetur, cùm liceat cum eo totos dies nõ cõterere. Amicitia autem ob utilitatem conſtituta criminationum et querelarum plena eſt. Nam quia emolumenti cauſa utuntur opera & conſuetudine mutua, ſemper plura deſiderant, ſemperq́; minus quàm ſibi conueniat, ſe habere exiſtimant: denique queruntur ſe tam multa non conſequi, quàm multis egent, cùm præſertim digni ſint. Illi autem qui beneficium conferunt, tam multa ſuppeditare non poſſunt, quàm multis egent ij, in quos beneficia conferuntur. Videtur autem ut ius eſt duplex, alterum non ſcriptum, alterum ſcriptum & legitimum, ſic & amicitia, [55] quam utilitas conſtituit, altera in moribus eſſe poſita, altera legitima. Naſcuntur igitur criminationes maximè ubi non ex eadem, atque contraxerunt, amicitia, fit ſolutio. Eſt autem legitima ea quæ lege dicta, certaq́; mercede præſtituta conſtat: eſtq́; hæc duplex: altera prorſus mercaturæ ſimilis, in qua de manu in manum merces aut pretium numeratur: altera liberalior, in qua in diem confertur utilitas, ſed ex pacto & conſenſu aliquid pro aliquo præſtatur. Neque uerò in hac obſcurum eſt, neque dubium id, quod debetur: ſed amicitiæ conuenientem dilationem habet. Itaque apud nonnullos horum non dantur actiones, neque ius dicitur, ſed putant eos, qui fidem alterius ſecuti cùm eo contraxerunt, æqui boni [56] facere oportere. Ea autem quæ in moribus poſita eſt, non habet ullam legem dictam, neq; utilitatem præſtitutã, ſed hic tanquam [57] amico donat, aut quidlibet aliud agit. Verùm tamen æquum eſſe cenſet tantundem, aut plus ad ſe redire, perinde qua-

ſi non donauerit, ſed mutuò dederit. Quod ſi aliter ei ſoluetur, quàm contraxerit, alterum accuſabit. Hoc *autem propterea accidit, quia uolunt omnes, aut quàmplurimi res honeſtas, ſed honeſtis utiles anteponunt.* Honeſtum *autem eſt bene de altero mereri nulla uiciſsim utilitate ſperata: Vtile, beneficium accipere.* Debet *igitur qui facultatem habet, tantundem, quantum accepit, referre, idq́; ſua ſponte (non enim nobis amicum* [58] *quenquam qui nolit, facere debemus) tanquam qui iam ab initio errarit, beneficiumq́; ab eo à quo non debebat, acceperit. non enim ab amico accepit, neque ab eo qui amicitiæ cauſa beneficium conferebat.* Itaque *perinde quaſi beneficium acceperit certa lege dicta, ſic debet diſſoluere.* Qui *poteſt igitur, fateatur ſe beneficium referre oportere: ſi non poßit uerò, ne is quidem, qui dedit, ſibi reddi æquum eſſe duxerit.* Quocirca *ſi facultatem habet, referendum beneficium eſt.* Videndum *autem ſtatim à principio eſt, à quo beneficium accipiat, & quam beneficii mercedem ille expectet, ut hac conditione ſe beneficio affici aut patiatur,* [59] *aut recuſet.* Sed *ambigi poteſt utrùm eius utilitate qui accepit, beneficium ſit ponderandum, eiusq́; ratione habita referenda ſit gratia, an eius qui dedit, liberalitate metiendum.* Nã *qui acceperunt, ea ſe à benè meritis extenuantes accepiße dicunt, quæ & illis erant parua, & ab alijs conſequi licebat.* Illi *contrà ſe quàm maxima potuerint, contuliße: & quæ hi ab alijs non tuliſſent: & in periculis & in talibus eorum rebus aduerſis, & neceſſarijs temporibus.* An *igitur ſi amicitiam quidem utilitas conſtituerit, eius, qui beneficium accepit, utilitate ſunt metienda?* Hic *eſt enim qui eget, & ille huic opitulatur tanquàm parem gratiã accepturus.*

Tan=

Tantum igitur ille huic opis tulit, quantam hic utilitatem cepit. Ei igitur tantundem reddendum eſt, quantum eſt cõſecutus, aut etiam amplius. hoc enim longè pulchrius atque honeſtius eſt. In ijs autem amicitijs, quæ uirtute cõſtant, nullæ criminationes innaſcuntur, eiusq́; qui benè meritus eſt, conſilio beneficium uidetur eſſe metiendum. uirtutis enim & morum principatus in conſilio poſitus eſt.

Iam uerò in ijs quoq; amicitijs quæ in excellentia quadam conſiſtunt, diſsidia nonnulla oriuntur. Poſtulat enim uterque plus ſibi tribui: quod cùm fit, dirimitur amicitia. Exiſtimat enim & is qui melior eſt, ſibi plus tribui conuenire, (bono enim plus tribui ſolere) & ſimiliter is qui utilior eſt. Negant enim eum qui ſit inutilis, æquam partẽ auferre oportere. Famulatum enim & miniſterium, non amicitiam futuram, niſi dignitati factorum ac munerum ea quæ ab amicitia proficiſcuntur, reſpondebunt. Arbitrãtur enim, ut in ſocietate pecuniarum, plura auferunt, qui plura in ſocietatem attulerunt, ſic & in amicitia fieri oportere. Egens autem & inferior contrà. Eſſe enim boni amici egentibus opitulari, eaq́; quæ deſiderant, ſuppeditare. Quid enim iuuat (inquiunt) uiro bono aut potenti amicum eſſe, ſi nullum ex eo fructum ſis conſecuturus? Videtur autem æqua utriuſque eſſe poſtulatio, & utrique ex amicitia plus tribuere oportere, ſed non eiuſdem rei, uerùm præſtantiori plus honoris: egenti uerò plus quæſtus, & emolumenti. Virtutis enim & beneficentiæ præmium eſt, honos: egeſtatis autem & inopiæ ſubſidium, lucrum. Atque etiam in omni reip. ſtatu ita ſeſe res habere uidetur. Non enim honore afficitur is qui nihil boni confert in remp. At res quædam communis ei tribuitur, qui de re communi & pu-

blica benè meretur. Honos *autem res communis eſt*. Non *enim fieri poteſt,ut quis è rebus communibus ac publicis, pecunioſus ſimul, & honoratus diſcedat*. Nemo *enim omnibus in rebus ſuam conditionem deteriorem eſſe patiatur*. Itaque *ei qui in re pecuniaria deteriore conditione fuerit,honorem tribuunt: eiq́; qui*[60] *muneribus capitur,pecuniam*. Dignitatis *enim conſeruatio amicitiam exæquat & conſeruat, quemadmodum diximus*. *Sic igitur eos qui non ſunt æquales,alterum cum altero congredi & agere par eſt, & qui uel pecunia uel uirtute auctus & ornatus eſt, is alterum honore remunerari debet, id ſaltem referens cuius facultatem habet*. Id *enim quod præſtari poteſt,amicitia deſiderat ac requirit,non quo quiſque dignus ſit*. Nam *ne omnibus quidem in rebus id effici poteſt,quēadmodum*[61] *in honoribus ijs, quos diis inmortalibus & parentibus habere ſolemus*. Nemo *eſt enim qui honorē iis dignum tribuere poſſit, ſed qui eos pro uiribus & facultate colat, is probus & pius*[62] *eſſe uidetur*. Quocirca *uidetur patrem abdicare filio non licere, ſed patri filium maximè*.Eum *enim qui debet,oportet reddere*. Quicquid *autem fecerit filius, nihil beneficiis à patre acceptis dignū fecerit*.Semper *igitur debet*.Iis *porrò quibus debetur, dimittendi debitoris poteſtas datur*. Ergo *& patri*. *Simulq́; nemo*[63] *fortaſſe diſcedere uelle uideatur niſi ab eo qui improbitate excellat: nam præter amicitiam naturalem, humanum eſt auxilium non aſpernari*.Illi *autem qui ſit improbus, huic opitulari aut fugiendum eſt, aut non admodum laborandum*.Plerique *enim omnes beneficium accipere uolunt, dare uerò ut rem inutilem fugiunt*. Ac *de his quidem hactenus*.

Liber

Liber nonus.

IN *omnibus autem diſsimilium amicorum amicitijs pro-portio amicitiam exæquat, & conſeruat, ut diximus: ut & in ciuili, ſutori pro calceis, textori, & ceteris pro ijs quæ dant, remuneratio ſit ex merito, & dignitate. Hic igitur menſura communis quæſita & comparata eſt, nummus: atque ad hunc omnia referuntur, hic omnia me-titur. In amatoria uerò amicitia queritur interdum ama-tor de eo quem amat, quòd cum incredibiliter & unicè amet alterum, ille ſibi mutuò non reſpondeat in amore, quanuis fortaſſe nihil ipſe habeat amabile. Sæpe is qui co-litur, de amatore queritur, quòd cùm anteà omnia pro-mitteret, nunc nihil præſtet. atque hæc tùm eueniunt, cùm amator eum qũi colitur, propter uoluptatem amat, alter amatorem, propter utilitatem, & hæc utrique non ſuppe-tunt. Nam quoniam hæc amicitiam conſtituerunt, dirimi-tur tum, cum ea non præſtantur, in quibus inerat cauſa di-ligendi. Non enim alter alterum diligebat, ſed ea quibus potiebantur: quæ ſtabilia non permanent. Quam ob rem tales ſunt & amicitiæ. At uerò ea quæ ex moribus profi-ciſcitur amicitia, cùm per ſe ſit, manet, ut diximus. Diſ-ſident autem etiam inter ſe amici cùm alia, & non ea quæ expetebant, conſequuntur. Perinde enim eſt ac ſi quis ni-hil conſequatur, cum id quod cupiebat, non conſequitur: Quale illud eſt de citharœdo quodam, cui is qui promiſe-rat, quanto melius caneret, tanto ſe plura daturum, mane promiſſam mercedem exigenti, uoluptatem ſe pro uolupta te reddidiſſe reſpondit. Si hoc igitur uolebat uterque, ſa-*

tis

tis illi factum eſſet: ſin hic oblectationem, ille quæſtum atque utilitatem petebat: & hic habet, quod uoluit, ille non habet: non erit id, quod ſocietatis ratio poſtulat, ei perſolutum. Nam *quibus quisque eget, ad hæc animum habet attentum, illorumq́; gratia hæc quæ habet, daturus eſt.* Sed *æſtimationem rei facere utrius eſt, eius ne qui antè dedit, an eius qui antè accepit?* Nam *qui dat prior, permittere illi uidetur: quod aiunt &* Protagoram *facere ſolitum.* Cum *enim docuiſſet quod ei tandem uiſum eſſet, eum qui didicerat, iubebat æſtimare quanti eſſe uiderentur ea, quæ ſciret, & tantum auferebat.* In *talibus autem placet* [1] *illud nonnullis* Dicta [2] *uiro merces.* Qui *autem præcepta pecunia, nihil eorum quæ dixerunt, præſtant propter immoderatā promiſſorum magnitudinem, meritò accuſantur. non enim perſoluunt ea quæ promiſerunt.* Sed *hoc ſophiſtæ fortaſſe facere coguntur propterea quòd nemo eſt, qui ea quæ ſciunt, pecunia ſit redempturus. igitur quia ea quorum mercedem acceperunt, non faciunt, non immeritò accuſantur.* In *quibus autem nulla intercedit pro opera ac miniſterio, mercedis reſtipulatio: qui de* [3] *altero propter ipſum priores benè merentur, apud eos nihil criminationibus eſſe relictum loci dictum eſt.* Talis *eſt enim ea quæ uirtute conſtituitur amicitia, atque in ea ex conſilio facienda remuneratio eſt.* Hæc *enim & amici & uirtutis eſt propria. eademq́; ratio ijs quibuſcum philoſophia communicata eſt, uidetur eſſe ſeruanda. neque enim ſapientiæ æſtimationem pecunia metiri poteſt, neque pretium* [4] *paris momenti reperiri queat. ſed fortaſſe ſatis ſit id quod uires & facultates patiuntur, referre: quemadmodum & dijs & parentibus præſtari ſolet.* Vbi *uerò* [5]

non

non hoc modo, nec hoc animo beneficium confertur, ſed remunerationis & mercedis alicuius ſpe: facienda fortaſſe remuneratio eſt maximè quæ utriq; beneficio accepto digna eſſe uideatur: ſin minus hoc contingat, non modò neceſſarium, uerùm etiam iuſtum fuerit eum qui prior [6] *accipiat, quantum ſit reddendum, præfinire. Quanta enim* [7] *utilitas huic allata eſt, aut quanti uoluptatem emiſſet, ſi tantum ille uiciſsim acceperit, iuſtum pretium uidebitur eſſe conſecutus. Nam etiam in rebus uenalibus hoc idem uidemus factitari: & quibuſdam in locis legibus cautum eſt, ne cõtractuum uoluntariorum ſint iudicia, néue actiones, quaſi oporteat, cuius quis fidem ſecutus eſt, ei ſic, ut contraxit, diſſoluere. Nam cui permiſſum eſt, eum iuſtius* [8] *eſſe arbitrantur, quantum ſit reddendum, præſtituere, quàm eum, qui permiſerit. Multa* [9] *enim non tantidem æſtimant ij qui habent, & qui ea accipere uolunt. Sua enim quiſque, & quæ quiſque dat, magni putat eſſe æſtimanda. Veruntamen tanta compenſatio eſſe debet, quantam præſcripſerint ij, qui acceperunt. Tanti autem fortaſſe res æſtimanda eſt, non quanti tum eſſe uidetur, cùm eam quis habet, ſed quanti priuſquàm eam nactus eſſet, æſtimabat.*

Sed huiuſmodi quoque quæſtiones dubiæ ſunt, ac difficiles, omnia ne patri ſint tribuenda, eiq; in omnibus ſit obtemperandum; an æger medico parere debeat, & an imperator ſit creandus uir bellicoſus, reiq; militaris peritus: itemq; an amico potius, quàm uiro bono opera danda ſit, & ei ne qui benè meritus eſt, gratia ſit referenda potius, quàm ſodali donandum, ſi utrique ſatis fieri non poſsit. hæc igitur omnia ſubtiliter & enucleatè diſtinguere non facile eſt. Multùm enim uarieq; differunt inter ſe & magnitudine,

tudine, & paruitate, & honeſtate, & neceßitate. Non *omnia autem uni eidemq; eſſe præſtanda minimè obſcurum eſt, beneficiaq; potius ijs à quibus acceperis, eſſe referenda, quàm ſodalibus gratificandum: quemadmodum mutuum ei cui debetur, reddendum eſt potius, quàm ſodali donandum.* Atque *hoc fortaſſe non ſemper:* Verbi *gratia utrùm is qui à prædonibus r edemptus ſit, eum qui redemerit, captum uicißim redimere, quiſquis ſit, aut non capto illi quidem, ueruntamen repetenti, quod impenderit, reddere: an patrem redimere debet? nam patrem* [10] *potius quàm uel ſeipſum redimere debere uideatur.* Vniuerſè *igitur id quod debetur, reddendum eſt, ut diximus: ſed ſi donatio uel honeſto, uel neceßitate uincat, ad hæc propenſiores eſſe oportet. interdum enim ne æquum quidem eſt ſodali, qui alterum beneficio prouocarit, parem gratiam referre, cùm ille ſciens eſſe uirum bonum, beneficium in eum contulerit: illi autem gratia referatur, quem hic improbum eſſe exiſtimat.* Nam *ne ei quidem* [11] *qui mutuum dederit, interdum mutuum uicißim dandum eſt.* Ille *enim exiſtimans ſe ſuum recuperaturum, mutuum dedit uiro bono: hic autem ab improbo ſeſe recuperaturum eſſe non ſperat.* Si*ue igitur re uera ita ſe res habet, minimè par dignitas eſt: ſiue aliter eſt, ſed exiſtimant tamen ita eſſe, non abſurdè facere uideantur.* Quod *igitur ſæpe numerò à nobis dictum eſt, omnis quæ in perturbationibus & actionibus explicandis uerſatur, oratio, nihilò magis certa aut definita eſt, quàm ea in quibus uerſatur.* Non *eadem igitur omnibus eſſe tribuenda, neque patri omnia, quemadmodũ neque* [12] Ioui *omnia immolantur, non obſcurum eſt.* Quo*niam autem alia atque alia parentibus, & fratribus, &*

ſo-

ſodalibus, & benè meritis debentur, ſua cuique & accommodata ſunt tribuenda. Atque ita ſanè homines facere uidentur. Ad nuptias enim cognatos uocant. nam cum hi genus habeant commune, erunt quoque quæ in hoc uerſantur actiones, communes. Atque ob eandem cauſam exiſtimant cognatos maximè funeribus [13] *& parentalibus intereſſe oportere. Videntur autem filij parentibus maximè res ad uictum neceſſarias ſuppeditare debere, tanquam debitores, pulchriusq; eſt ijs per quos ſumus, quàm nobis ipſis in his rebus opitulari. Prætereà parentibus honos, ut dijs immortalibus, eſt habendus, ſed non omnis parentibus. Nam nec patri idem, qui matri, debetur. Neque uerò ſapiente aut imperatore dignus honos, ſed paternus: itemq́; matri maternus. Omni autem ætate grandiori, pro ætate honos tribuendus eſt: ut ei aſſurgamus, ut de ſede, & accubatione honoratiore decedamus, et cetera talia præſtemus. Sodalibus autem & fratribus inter ipſos orationis libertas, omniumq́; rerum communitas dari debet. Poſtremò ut cognatis, tribulibus, ciuibus, ceteriſq; omnibus ſuũ cuique ius, ſuumq́; honorem tribuamus, danda opera eſt: conferendaq́; ſunt inter ſe & perpendenda quæ cuiq; inſunt, ex neceſsitudine & uirtute, uel uſu. Ac de ijs quidem qui eiuſdem generis & ſanguinis ſunt, facilius iudicari poteſt: de ijs autem quorum nulla communio ſanguinis eſt, difficilius. non tamen iccircò deſiſtendum eſt: ſed inter ſe quoad eius fieri poſsit, diſtinguendi, ac diſcernendi ſunt.* Exiſtit autem quæſtio & dubitatio ſubdifficilis de diſtrahendis & dirimendis amicitijs, ſit ne alienatio, diſiunctioq́; ab ijs qui ijdem non permanent, qui fuerant, facienda, an diſceſsionem et diſsidium naſci inter eos,*

quorum

quorum amicitiam utilitas, aut iucunditas contraxit, non ſit abſurdum. Illarum enim rerum erant amici: à quibus deſtituti non eſt mirum ſi iam deſinant amare. Meritò autem quis eum accuſet qui, cùm utili, aut iucundo ad amandum adducatur, ſimulet ſe moribus, & uirtute ad hoc ipſum excitari. Nam, quod initio diximus, plurima amicorum diſsidia fiunt, cùm haud ita, ut exiſtimarunt, ſunt amici. Cum igitur aliquem ſua fefellerit opinio, exiſtimaritq; ſe propter mores diligi, ille autem nihil agat huiuſmodi, quamobrem alter id exiſtimet, de ſe ipſo queratur. Cùm uerò illius ſimulatione, in fraudem inductus fuerit, meritò is accuſandus eſt, qui fefellit, tantoq; magis, quàm qui nummos adulterant, quanto in re pretioſiore, & cariore maleficium admittitur. Sed ſi eum in amicitiam receperit, ut uirum bonum: malus autem euaſerit, aut euaſiſſe uideatur: utrùm etiam nunc amandus eſt? an hoc [14] fieri non poteſt, ſiquidem non omnis res amabilis eſt, ſed ea demùm quæ bona eſt? Neque uerò quiſquàm uitioſus eſt diligendus, neque diligi debet. Non enim oportet rerum [15] malarum ſtudio, neque amore teneri, neque improborum hominum ſimilem effici. Suprà autem dictum eſt ſimili amicum eſſe ſimile. Vtrùm igitur ſtatim diſcindendæ ſunt amicitiæ, an non cum omnibus, ſed cum ijs quorum improbitas inſanabilis eſt? ijs autem qui corrigi poſſunt, auxilium ferendum eſt, multo magis ad mores, quàm ad fortunas & facultates: quanto hoc melius, amicitiæq; conuenientius eſt? Videatur autem is qui ſeſe ab amico diſiungit, nihil abſurdi facere. non enim huic, aut tali amicus erat. Quoniam igitur eum immutatum reſtituere ac ſeruare non poteſt, ſeſe ab eo ſemouet ac ſegregat. ſed ſi hic, idem qui fuit,

mane=

maneat : alter autem longè melior fiat, multóq; uirtute antecellat : utrùm etiam nunc hoc amico utendum eſt? an hoc fieri non poteſt? quod certè in magna diſtantia maximè perſpicere licet, ut in ijs amicitijs, quæ à pueritia [16] *conſtitutæ ſunt. Si enim alter animo & cogitatione puer maneat : alter uir ſit quàm optimus, & præſtantiſsimus : quî fieri poteſt, ut ſint amici, qui neque eadem probent, neque eiſdem aut delectentur, aut offendantur? nam neq; hæc in eorum altero, erga alterum inerunt. At ſine his fieri non poſſe, ut ſint amici, dicebamus. Vnà enim uiuere non poſſunt. Sed de his ſatis iam dictum eſt. Vtrùm igitur non alio* [17] *in eum animo eſſe debet, quàm ſi nunquàm ei amicus fuiſſet, an uerò præteritæ conſuetudinis memoria cōſeruanda eſt? & quemadmodum amicis potius, quàm alienis gratificari putamus oportere: ita & ijs quibuſcum aliquando nobis uſus interceßit, aliquid concedendum eſt propter amicitiam priſtinam? niſi forte inſignis quædam & immoderata improbitas dißidij cauſam præbuerit.*

Ea autem quæ in amicitia ab amicis in amicos conferri ſolent, & quibus amicitiæ terminantur, ac circunſcribuntur, ex ijs quæ ſibi ipſi quiſque exoptat, ac tribuit, uidentur fluxiſſe. Eum enim amicum eſſe ponunt, qui amicum bonis ornatum eſſe cupit et ornat ipſe quàm plurimis, uel quæ reuera talia ſunt, uel quæ bonorum ſpeciem quandam præ ſe ferunt, illius cauſa : aut eum qui amicum uult eſſe & uiuere eius cauſa, quemadmodum matres erga filios affectæ ſunt, & amici ij inter quos [18] *aliqua offenſiuncula nata eſt. alij amicum eſſe uolunt, qui unà ætatem agit, eandémque uitæ degendæ uiam atque eadem ſtudia ſequitur : aut eum qui pari dolore, pariq; lætitia,*

atq;

atque amicus, afficitur: quod quidem & matribus accidit maximè. horum autem aliquo amicitiam definiunt. Atqui unumquodque horum in uiro bono ineſt erga ſe ipſum: in ceteris autem quà ſeſe tales eſſe exiſtimant. Conſentaneum eſt enim uirtutem & uirum bonum unicuique rei eſſe menſuram, quemadmodum ſuprà diximus. Hic enim ſecum ipſe ſentit, eademq; non [19] una aliqua animi parte, ſed toto animo expetit, uultq; ea ſibi euenire quæ & uerè bona ſunt, & talia uidentur: ea denique ipſa agit. Viri enim boni eſt in eo quod uerè bonum eſt, omni contẽtione elaborare, idq; ſua ipſius cauſa, nimirum eius animi partis gratia, in qua cogitandi uis ineſt, quæ unuſquiſque eſſe uidetur. Vult præterea ſe uiuere, & ſaluum eſſe, maximeq; eam partem qua [20] ſapit & prudenter ſentit. Viro bono enim bonum eſt eſſe. Sibi autem bona quiſque uult euenire. ſed nullus eſt qui [21] ſi alius quàm qui prius erat, effectus ſit, optet id in quod commutatus ſit, bonis omnibus abundare. Obtinet enim nunc quoque deus uerum bonũ, ita tamen ut ſit id quod eſt, quicquid tandem ſit. Non immeritò autem id quod in nobis intelligit, unuſquiſque noſtrum eſſe uideatur, aut maximè. Tùm uerò is qui talis eſt, ſecum habitare, ſecumq; uult uiuere. Id enim libenter facit. nam & rerum geſtarũ memoria eſt iucunda, & ſpes futurarum bona. talis autem eſt & iucunda. Præterea rerum plurimarum perceptione [22] & cognitione mens eius abundat, doletq; & lætatur unà ſecum maximè. Idem enim omninò ei ſemper eſt moleſtum, idemq; iucundum, neque aliàs aliud, cum penè dicam nihil agat cuius eum pœnitere poßit. Quoniam igitur hæc ſingula [23] in uiro bono inſunt erga ſeipſum, eſtq; ſic animatus in amicum, ut in ſe ipſum,

ipſum, (amicus enim alter ipſe) efficitur ex his, ut amicitia quoque aliquid horum eſſe, iiſq; in quibus hæc inſunt, amici eſſe uideantur. Vtrùm autem cuiquam erga ſe ipſum amicitia intercedere poſsit, nec ne, in præſenti quærere omittamus. Sed certè [24] *primùm hac ratione amicitia eſſe uideatur, qua unuſquiſque noſtrum duo ſumus, aut plura, ex ijs quæ ſuprà diximus. Deinde quia amicitia nimia & immoderata ei amicitiæ, quæ cuique ſecum eſt, ſimilis eſſe dicitur. Videntur autem ea quæ à nobis dicta ſunt, etiam in uulgo ineſſe, quanuis improbo. Non igitur quà ſibi ipſi placet, & arbitratur ſe bonum eſſe, hac parte eorum eſt particeps: nam in eorum profectò qui ualdè uitioſi & ſcelerati ſunt, nemine inſunt: quin ne ineſſe quidem uidentur, nec ferè in quoquam uitioſo. Semper enim ſecum pugnant, ac diſsident, aliaq; concupiſcunt, alia uolunt: ut incontinentes. Iis enim ſpretis* [25] *ac reiectis, quæ ſibi bona eſſe opinantur, iucunda ſequuntur, & ſumunt, quæ damnoſa ſunt. Alij propter ignauiam ac deſidiam ab actione earum rerum, quas ſibi optimas eſse ducunt, longè ſe remouent. Iam qui multa & atrocia facinora admiſerunt, propter* [26] *improbitatem uitam oderunt ac fugiunt, ſibiq; manus afferunt. Et uitioſi homines, atque improbi quærunt quibuſcum dies totos traducant, ſe ipſos autem fugiunt. multa enim grauia atque horrenda recordantur, taliaq; cùm ſoli ſunt, expectant: cum alijs obliuiſcuntur: & cùm ſit nihil in eis amabile, nullo erga ſe amoris affectu commouentur. Neque igitur qui tales ſunt, ſibi ipſis bona gratulantur, neque ſecum pari dolore afficiuntur. In eorum enim animo diſcordiæ & ſeditiones concitantur: & altera pars propter* [27] *improbitatem, quia ſeſe à quibuſ-*

dam rebus abſtinet, diſcruciatur: altera uoluptate affici= tur: & huc altera, illuc trahit altera tanquam eum [28] di= uellentes ac diſtrahentes. Quòd ſi fieri non poteſt, ut quis ſimul doleat, ac lætetur: at certè paulopoſt, quòd læta= tus ſit, mœrore conficitur, nolletq́; hæc ſibi uoluptatem attuliſſe. Malos enim aſſiduè actionum ſuarum pœnitet. Non uidetur igitur homo malus ne in ſe ipſum quidem ami co eſſe animo, quia nihil habet amabile. Quòd ſi ita affe= ctum eſſe, ualde eſt miſerum, acerrima contentione fugien da improbitas eſt, operaq́; cuique danda, ut ſit bonus. ſic enim & amico in ſe ipſum erit animo, & alijs poterit ami= cus eſſe. Beneuolentia autem ſimilis eſt illa quidem *amicitiæ, non tamen amicitia eſt. Naſcitur enim beneuo= lentia etiam erga ignotos, eaq́; obſcura & occulta eſſe po teſt: amicitia non item: atque hæc ſuprà à nobis explica= ta ſunt. ſed nec amatio eſt. Nam neque [29] contentionem habet, neque appetitionem: quæ duo amationem conſe= quuntur. præterea amatio cum uitæ conſuetudine coniun= cta eſt, beneuolentia autem ſubitò conciliari poteſt, quem ad modum & in pugilibus aut gladiatoribus uſu uenit. Be= neuoli enim eis fieri homines ſolent, eademq́; omnia, quæ illi uolunt, exoptant: ſed eos ſua opera [30] adiuuare aut ſub= leuare nolint. nam quemadmodum diximus, repẽtino quo= dam animi motu beneuoli efficiuntur, neque admodum al= tas amor eorum radices agit. Principium igitur [31] amici= tiæ beneuolentia uidetur eſſe, quemadmodum & amoris, ea quæ aſpectu gignitur uoluptas. Nemo enim amore ca= pitur, qui non fuerit antè forma, ſpecieq́; delectatus, nec is tamen qui ſpecie delectatur, continuò amat: ſed tum cũ & abſentem deſiderat, & præſentiam concupiſcit. Sic*

igitur

igitur nec fieri poteſt ut inter ſe ſint ulli amici, niſi antè fuerint inter ſe beneuoli. At beneuoli non continuò inter ſe amant. Volunt enim duntaxat eos bonis augeri atque ornari, quibus ſunt beneuoli: ſed eos nec opera ſua adiuuare, nec quicquam laboris, aut moleſtiæ eorum cauſa ſuſcipere uelint. Itaque rectè quis translatione [32] *ſermonis uſus eam dixerit eſſe amicitiam otioſam: acceſſione temporis autem, & conſuetudine adhibita fieri amicitiam, ſed non eam quæ utilitatis aut iucunditatis cauſa conſtituatur. nam ne beneuolentia quidem propter hæc conciliatur. Is enim qui beneficium ab altero accepit, ſi ob illius erga ſe liberalitatem, ei beneuolentiam præſtat, iure & meritò præſtat: qui uerò* [33] *alicui res ſecundas exoptat ſperans ſe illius opera locupletem & copioſum futurum: non in illum, ſed in ſe ipſum potius beneuolo eſſe animo uidetur: quemadmodum nec amicus dicendus eſt, ſi propter utilitatem aliquam eum colat. In ſumma propter uirtutem & bonitatem quandam conciliatur beneuolentia cùm præ ſe fert aliquis aut honeſtatis, aut fortitudinis, aut alicuius huiuſmodi uirtutis ſpeciem, quemadmodum in pugilibus aut curſoribus & alijs huiuſmodi fieri ſolere diximus.*

Iam uerò & concordia ad amicitiam uidetur pertinere. Quocirca non eſt opinionum conſenſus. hoc enim etiam ijs contingat, qui inter ſe ſunt ignoti. Neque uerò cõcordes eos eſſe dicimus, qui de re aliqua, quæcũque ſit, idẽ ſentiũt, ut eos quorum una eſt de rebus cœleſtibus ſentẽtia. Non enim ad amicitiam pertinet his de rebus concordes eſſe. Sed ciuitates concordes eſſe dicimus cùm de ijs, quæ ſibi expediunt, unum ſentiunt, eademq; conſilia capiunt, & quæ communi conſenſu fuerint approbata, exequun-

tur, ac tranſigunt. in ijs igitur rebus, quæ ſub actionem cadunt, concordia uerſatur, atque harum in ijs quæ magnitudine excellunt, & quæ contingere poſſunt uel utriſque, uel omnibus: exempli gratia, concordes ſunt ciuitates cùm placet ciuibus omnibus eligi magiſtratus, aut belli ſocietatem cum Lacedæmonijs iniri, aut Pittacum præeſſe ciuitati, quod idem ipſe uelit. Cùm uerò ſe ipſum uterque uult præfici, ut illi in Phœniſsis,[34] ſeditionem inter ſe concitãt. Non eſt enim concordes eſſe, duos unum & idem ſentire, quicquid illud ſit, ſed idem in eodem: uerbi cauſa, cùm populus, & uiri boni optimates præeſſe ciuitati uolunt. Sic enim omnes id quod expetunt, conſequuntur. Concordia autem, quemadmodum & dicitur, ciuilis amicitia uidetur eſſe. uerſatur enim in ijs, quæ reip. conducunt, quæq́; ad uitæ cultum pertinent. Ineſt autem concordia talis in uiris bonis. hi enim & ſecum ipſi concordant, & inter ſe, cum in ijſdem, penè dicam, conſilijs & factis uerſentur ac perſeuerent. Talium enim uirorum eædem manent uoluntates, neque inſtar [35] Euripi, fluunt & refluunt. Iidem tùm ea quæ iuſta, tùm ea quæ utilia ſunt, uolunt, & horum cupiditate communiter affecti ſunt. Mali autem concordes eſſe nullo modo poſſunt, niſi parum admodum, quẽadmodum & amici aliquantulum eſſe poſſunt, cum in rebus utilibus quidem ſuperiora omnia habere uelint: in laboribus autem adeundis, muneribuſq́; publicis obeundis uinci ſe facile patiantur. At ubi ſibi [36] ipſi quiſque eadem concupiſcit: in eum qui ſibi proximus eſt, inquirit, eumq́; arcet, & prohibet. Res communis enim interit, dum eam nemo tuetur neque conſeruat. Accidit ergo eis, ut diſcordijs & ſeditionibus inter ſe conflictentur, dum alter alteri

ne-

neceßitatem imponit: ipſi autem quæ iuſta ſunt, facere nolunt. Benefici autem eos de quibus bene meriti ſunt, uehementius amare uidentur, quàm ij qui beneficium acceperunt, benè de ſe meritos: eiusq́; rei, quaſi [37] præter rationẽ, et opinionẽ omniũ fiat, ratio quæritur. Eò igitur fieri pleriſque uidetur, quòd illi debent, his debetur. Quemadmodum [38] itaque in rebus mutuis, debitores ſuis creditoribus interitum exoptant: at ijs qui mutuum dederunt, debitorum ſalus magnæ curæ eſt: ſic & eos qui de aliquibus benè meriti ſunt, eorum qui beneficium acceperunt, incolumitatis ſtudioſos eſſe, tanquàm beneficij gratiam conſecuturos: illos autem de gratia referenda non magnopere laborare. Atque hæc fortaßis eos loqui dicat Epicharmus, ex hominum [39] improbitate ſpectantes. Sed hæc certè ab humano ingenio non abhorrent. Nam magna pars hominum beneficij immemor eſt, mauultq́; beneficium accipere, quàm dare. Verùm huius rei cauſa à natura potius repetenda eſt, neque ulla ex parte ei rei, quæ ad eos, qui pecuniam mutuam dederunt, pertinet, ſimilis eſt. Non enim amant hi ſuos debitores, ſed illos ſaluos eſſe uolunt, ut ſuum recuperent. ſed qui beneficium contulerunt, amant, & diligunt eos, quos beneficio affecerunt, etiam ſi neque in præſentia ulla in re ſibi ſint utiles, neque ſint poſtea futuri. quod in artificibus uſu uenit. Amat enim ſuum quiſque opus uehementius, quàm ab opere [40] ſuo amaretur, ſi ex inanimo fiat animatum. Atque hoc in poëtis fortaſſe maximè contingit. Sua enim poëmata ſupra modum amant, & affectum in ea, tanquàm in liberos, induunt paternum. Non admodum huic dißimilis eſt beneficorum ratio. id enim quod beneficio affectum eſt, eorum opus eſt. hoc igitur

tur illis carius eſt, quàm operi, is qui effecit. Huius rei cauſa eſt, quòd omnibus eſſe optabile & amabile eſt. Functione autem muneris ſumus, eò nimirum quòd uiuamus, & aliquid agamus. qui opus [41] effecit igitur, re & functione muneris quodammodo eſt. ergo ſuum opus amat, quia & eſſe ei carum eſt. Eſt autem hoc naturale. Quæ [42] res enim poteſtate eſt, hanc opus functione muneris indicat ac declarat. Præterea homini benè de altero merito pulchrũ eſt id quod ex actione eſt, ita ut eo, in quo hoc ineſt, delectetur: ei autem qui beneficium accepit, nihil pulchri in eo, qui benè meritus eſt, ineſt: ſed ſi quid eſt, emolumentum eſt. at hoc minus iucundum, minusq; amabile eſt. Affert porrò & rei præſentis uſus ac functio, et futuræ ſpes, & præteritæ memoria uoluptatem. Omnium autem [43] rerum ea iucundiſsima eſt, quæ uſu & functione eſt, itemq; amabiliſsima. Ei igitur, qui beneficium contulit, manet opus: honeſtum enim diuturna quædam res eſt: ei autem qui accepit, utilitas celeriter euaneſcit. Et rerum honeſtarum memoria iucunda: utilium non admodum, aut certè minus. Contrà ſe res habere [44] uidetur in expectatione. Præterea amatio effectioni ſimilis eſt. Amari autem perpeſsioni. Eos igitur [45] qui in actione ſunt ſuperiores, & amare & ea quæ amicitiæ propria ſunt, comitantur. Præterea omnes ea quæ magno labore conſecuti ſunt, magis amplectuntur. ut pecunias qui quæſierunt, quàm qui ab alijs acceperunt. At beneficium accipere minimè laborioſum uidetur eſſe: conferre autem difficile atque operoſum. Atque ob hanc cauſam patribus matres liberorum ſunt amantiores. Nam & laborioſior partus eſt, & ſciunt certius ſuos eſſe. Atque hoc etiam beneficis

ac-

accommodari poſſe uideatur. Occurrit *autem dubitatio utrùm ſe ipsum maximè amare oporteat, an alium quenquam. Solent enim uulgò obiurgari qui ſui ſunt amantiſsimi, & quaſi ea res cum dedecore coniuncta ſit,* φίλαυτοι *ideſt ſui amantes appellantur: uideturq́; homo improbus omnia ſua cauſa agere, eoq́; magis, quo ſit uitioſior: itaque eum criminantur, & accuſant quòd nihil agat* [46] *à ſuis rationibus, & commodis alienum: uir bonus autē omnia propter honeſtum agit: & quo ſit melior, eo magis propter honeſtum, & amici cauſa: ſuum commodum autem negligit, ac prætermittit. Verùm ab hac oratione facta diſcrepant, neq; immeritò. Aiunt enim maximè eum amare oportere, qui maximè* [47] *ſit amicus. At is maximè* [48] *amicus eſt, qui quem uult bonis ornatum eſſe, eum uult illius ipſius cauſa ornatum eſſe, etiam ſi nemo* [49] *ſciturus ſit. Hæc autem* [50] *inſunt in unoquoq; erga ſe ipſum maximè. & cetera igitur omnia, quibus amicus definitur. Suprà enim diximus omnia quæ amicitiæ propria ſunt, à nobis ipſis profecta ad alios dimanare ac peruenire: atque omnia prouerbia conſentiunt, quale illud eſt, unus animus, & amicorum omnia communia, & amicitia æqualitas, & genu crure propius. Hæc enim in unoquoque erga ſe ipſum inſunt maximè. Sibi enim quiſque maximè amicus eſt. quo fit ut ſibi ſit quiſque maximè diligendus. Meritò porrò dubitatur harum orationum utram ſequi oporteat, cùm utraque ſit ueriſimilis. Fortaſſis igitur tales orationes diſtinguendæ ſunt, quatenus, & qua ex parte utraq; uera eſt. Itaque ſi quid* [51] *utrique ſui ipſius amorem appellent teneamus: res erit fortaſſe plana & aperta. Qui igitur eum, ut probrum, obijciunt, ſui a-*

mantes appellant eos qui in pecunia, in honoribus, in uoluptatibus denique corporis ſibi ipſis maiorẽ partem tribuunt, ac uendicant. hæc enim uulgus concupiſcit, & in eis ut omnium rerum optimis, omne ſtudiũ ſuum collocat. atq; iccircò de ijs inter ſe dimicare ſolet. Qui igitur in his priores ac ſuperiores eſſe uolunt, ſuis cupiditatibus & (ut uno uerbo dicam) ſuis affectibus, eiq; animi parti, quæ rationis expers eſt, obſequuntur. Tale autem eſt uulgus hominum. Itaque à multitudine, quæ uitioſa eſt, fluxit appellatio. meritò igitur ijs, qui hoc modo ſui amantes ſunt, amor hic, maledicti loco obijcitur. Eos autem qui ſibi talia tribuũt, uulgò ſolere ſui amantes appellari, minimè obſcurum eſt. Si quis enim omnium maximè ea quæ iuſta ſunt, aut temperata, aut qualiacunque uirtuti conſentanea, agere ſtudeat, & omninò ſemper honeſtum ſibi uendicet: nemo hunc talẽ neque ſui amantem dicet, neque uituperabit. Atqui uir huiuſmodi amans ſui potius eſſe uideatur. ſibi enim res pulcherrimas, atque optimas tribuit, eiq; ſui parti quæ principatum obtinet, gratificatur, et omnibus in rebus obtemperat. Quemadmodum [52] autem pars præcipua atq; optima ciuitatis, etiam uidetur eſſe ciuitas, itemq; de quouis alio conuentu ſentiendum: ſic & hominis pars ea, quæ dominari debet, homo eſt. Eſt igitur ille ſui amantiſsimus, qui hanc amat, & qui huic gratificatur. Et uerò continens atque incontinens eò dicuntur, quòd mens [53] in illo ſuperior ſit: in hoc inferior, quaſi ſua quiſque mẽs ſit. Vidẽturq; homines ea ipſi, ſuaq; ſponte egiſse maximè, quæ cum ratione egerunt. Vnunquenque igitur mentem ſuam eſſe maximè, eamq; optimo cuique eſſe cariſsimã perſpicuum eſt. Itaque ſui fuerit amantiſsimus genere quodã amoris ab eo

qui uitio datur, diſſerente, tantũ diſtans à ſuperiore, quã-tũ 54 intereſt utrùm quis rationi cõuenienter uiuat, an affectibus & perturbationibus animi ſeruiat: & utrùm honeſtum, an id quod utilitatis ſpeciem habet, appetat. Eos igi-*tur qui præclaris atq; honeſtis actionibus egregiè præter ceteros ſtudent, omnes probant, et laudant. Q*uòd *ſi omnes ad honeſtum certatim peruenire, resq; honeſtiſsimas gerere contenderent: tum communiter omnibus id quod res poſtulat, tùm priuatim cuique maxima bona ſuppeterent, ſiquidem uirtus talis res eſt.* I*taque uirum bonum quidem ſui amantem eſſe oportet: (nanque & ipſe ex honeſtis actionibus utilitatẽ percipiet, & alijs proderit) improbum autem ac uitioſum non oportet.* Et *ſibi enim & proximo cuique nocebit uitioſis animi perturbationibus obtẽperãs.* Im*probi igitur hominis facta ab ijs quæ sũt agenda, diſcrepant: uir bonus autem quæ ſunt agenda, ea & agit.* Ete-*nim mens omnis id ſumit ac ſequitur, quod ſibi eſt optimum. at uir bonus imperio mentis paret.* Q*uod autem de uiro bono dicitur eum multa & amicorum & patriæ cauſa agere, etiam ſi mors ei ſit oppetenda, uerum eſt. nam & pecuniæ, & honorum, & omninò eorum bonorum, de quibus homines inter ſe decertare ſolent, iacturam faciet, ut ſibi ipſi honeſti poſſesſionem comparet ac uendicet.* Pau-*liſper enim magna uoluptate potiri, quàm diu parua malit: et annum unum honeſtè uiuere, quàm multos temerè et ex arbitrio, nutuq; fortunæ: unam denique actionem magnam atque honeſtam multis & paruis anteponat.* A*tque hoc ijs, qui uel pro amicis, uel pro patria excedunt de uita, fortaſſe contingit.* M*agnam igitur ſibi honeſtatem expetunt atque eligunt, pecuniasq; libenter amittant ac profũ-dant,*

dant, ut amici ampliores conſequantur. Amico enim pecunia, ipſi honeſtum[55] *quæritur. Maius autem bonum ſibi ipſi tribuit. Idẽ de honoribus & imperiis ſeu magiſtratibus ſentiẽdum eſt. Hæc enim omnia amico cõcedet: quoniã hoc ei & honeſtũ et laudabile eſt. Iure igitur bonus & uirtute præditus habetur, qui rebus omnibus honeſtum anteponat. Accidere autem poteſt ut actionẽ rerum amico tradat & concedat, ſitq; ei honeſtius amico rerum agendarum auctorẽ, cauſamq; fuiſſe, quàm ipſum agere. In omnibus igitur rebus laudabilibus apparet uirũ uirtute præſtantẽ ſibi plus honeſti tribuere. itaq; hoc modo (quẽadmodum dixi) ſe ipsũ amare oportet, ſed ut uulgus, nõ oportet.*

Hac etiam de re controuerſia eſt, utrùm aliquando futurum ſit, ut amicis egeat beatus, necne. Negant enim ijs qui beati, ſuisq; bonis ita contenti ſunt, ut nulla re egeant, amicis opus eſſe. Nam cùm eis omnium bonorum copia ſuppetat, ſintq; ſuis opibus contenti, nihil eos amplius deſiderare. Amicum autem cùm ſit alter idem, alteri ſuppeditare ſolere, quæ ille per ſe conſequi non poſſit. Ex quo illud Fortuna[56] *cum fauet quid amicis eſt opus? Sed hoc abſurdum eſt, omnia bona beato tribuentes, amicos denegare, quod omnium bonorum externorum uidetur eſſe maximum. Quòd ſi amici eſt benè mereri de altero potius, quàm beneficium accipere: & ſi uiri boni, ac uirtutis eſt beneficium conferre in alterum: pulchrius autem eſt de amicis, quàm de alienis benè mereri: deſiderabit profectò uir bonus aliquos, qui beneficium à ſe ſint accepturi. Itaque quæritur utrùm in rebus aduerſis magis, quàm in ſecundis requirantur, quaſi & ei cui aduerſatur fortuna, opus ſit aliquibus, qui ei benignè faciant: & ij*

quibus

quibus ſunt res ſecundæ, nonnullos in quos beneficium cõferant, deſiderent. Verùm abſurdum illud quoque fortaſſe ſit beatum ſolitarium facere. nemo enim hac conditione bonis omnibus abundare uelit, ut ſolus ætatem agat. Ciuile enim animal homo eſt, & ad ſocietatem uitæ aptum natura. Hoc igitur uiro beato ſuppetit. habet enim profectò ea quæ natura bona ſunt. Iam uerò perſpicuum eſt cũ amicis & uiris bonis, quàm cum alienis, & forte fortuna oblatis hominibus totum diem conſumere præſtare. Amicis igitur uiro beato opus eſt. quænam ergo eſt priorum illorum oratio? aut qua ex parte uera? an quòd uulgus eos eſſe amicos exiſtimat qui utilitatẽ afferunt? At talibus nihil egebit beatus: quandoquidem omnium ei bonorum ſuppetit copia. ne ijs quidem qui propterea quòd delectant, ſunt amici, aut parum admodum. Nam cùm eius uita ſit ſuauis, & iucunda: uoluptatem aduentitiam non requirit. At ſi talibus amicis non egeat, amicis egere non uidetur. Sed hoc fortaſſe uerum non eſt. A principio enim diximus beatitudinem muneris functionem quandam eſſe. Muneris functio autem nimirum oritur ac gignitur, neque ut poſſeßio quædam, ſubeſt aut ſuppetit. Quòd ſi beatum eſſe, in uiuendo & in muneris functione conſiſtit, & uiri boni functio per ſe bona & iucunda eſt, ut initio dictum eſt: id autem quod cuiuſque proprium eſt, numeratur in iucundis: alterum uerò facilius quàm nos ipſos, & illius actiones, quàm noſtras cernere poſſumus: & ſi uirorum bonorum actiones, eorundemq; amicorum bonis ſunt ſuaues & iucundæ (habent enim ea utrique quæ ſunt iucunda natura) ſi igitur 57 hæc uera ſunt: talibus amicis egebit beatus, ſi quidem bonas & honeſtas actiones et proprias intueri exoptat.

optat. Tales autem ſunt uiri boni, qui idem ſit amicus, actiones. Exiſtimant autem beatum iucundè uiuere oportere. Atqui homini ſolitariam uitam agenti, moleſta & acerba uita eſt. Non enim ei qui ſolus uiuat, continenter munere fungi facile eſt. Cum aliis autem, & erga alios facilius. Erit igitur ea muneris functio magis aßidua, minusq; interrupta quæ per ſe iucunda eſt: quod quidem penes beatũ eſſe oportet. Nam uir bonus, uirtuteq́; preditus, quà bonus eſt, actionibus uirtuti conſentaneis delectatur, offenditurq́; contrariis: quemadmodum muſicus ex modulatis cantibus uoluptatem percipit: malos autem & diſcordes grauiter & moleſtè fert. Iam uerò ex conſuetudine & conuictu bonorum exercitatio quædam uirtutis capi poßit, quemadmodum [58] *ait Theognis. Sed ſi quis magis à natura cauſã huius rei petat, uidetur uir bonus uiro bono optabilis amicus eſſe natura. Diximus enim quod natura bonum eſt, id uiro bono per ſe bonũ ac iucundũ eſſe. Viuere autem in animantibus poteſtate ſentiendi: in hominibus, ſentiendi aut intelligendi terminatur. at poteſtas ad muneris functionem deducitur: rei autem* [59] *principatus in muneris functione conſiſtit. Videtur porrò uiuere propriè eſſe ſentire aut intelligere. Viuere autem in iis quæ per ſe bona & iucunda ſunt, numeratur. Eſt enim aliquid terminatum. quicquid autem terminatum eſt, ad naturam* [60] *ipſius boni pertinet. Iam quod natura bonum eſt, idem & uiro bono bonum eſt. Quocirca* [61] *uiuere uidetur omnibus eſſe iucundum. Sumenda autem non eſt uita uitioſa, & corrupta, nec doloribus confecta. Nam cùm uita talis nullis terminis circunſcripta ſit, tùm ne ea quidem, quæ inſunt in ea. ſed in ijs ſanè, quæ deinceps dicturi ſumus,*

de dolore planius & copioſius diſſeremus. Quòd ſi uiuere bonum eſt, etiam eſt iucundum. quod quidem ex eo uel maximè probabile eſt, quòd cùm omnes homines, tùm maximè uiri boni, & beati, uiuendi cupiditate affecti ſunt. his enim uita eſt maximè expetēda, eorūq; tota uitæ ratio beatiſſima eſt. Qui autem uidet, ſentit ſe uidere: & qui audit, audire: & qui ambulat, ambulare: in alijs denique item omnibus eſt aliquid quod ſentit nos fungi munere, & agere. Sentire autem [62] nos ſentire, & intelligere nos aliquid intelligere, poſſumus. At ſentire à nobis aliquid sē=tiri: & intelligere aliquid intelligi, ſentire atq; intelligere eſt nos eſſe. Eſſe enim, ſentire aut intelligere eſt. Sentire au tem ſe uiuere, in rebus per ſe iucundis numeratur. uita e=nim bonum eſt natura. Sentire autem in ſe ipſo bonum in=eſſe, iucundum eſt. At uiuere cùm omnibus ſit optabile, tùm bonis maximè, quia eis eſſe & bonum eſt, et iucundū. Cùm enim unà id quod per ſe bonum eſt, ſenſu percipiunt, uoluptate afficiuntur. Quo modo autem in ſe ipſum uir bonus animatus eſt, ſic & in amicum. Amicus enim alter ipſe. quemadmodum igitur cuique ſe eſſe optabile & ex=petendum eſt, ſic & amicum, aut non multo ſecus. Eſſe au=tem [63] eò cuique optabile eſſe dicebamus, quòd id ſentiat eſſe bonum. huiuſmodi autem ſenſus magna per ſe afficit uoluptate. Vnà igitur ſentiat oportet, etiam amicū eſſe: quod continget in conſuetudine uictus, & communicatio=ne ſermonis & cogitationis. his enim nominibus conſue=tudo & ſocietas uitæ appellari debere uideatur in homini=bus, non ut in pecudibus, paſtus & pabuli communitas. ſi uiro igitur beato eſſe optabile eſt per ſe, cùm ſit bonum, iucundumq; natura, idemq; propè de amici ſtatu, & uita

ſen-

ſentiendum: conſequens eſt ut amicus in rebus optabilibus ſit habendus. At quod cuique optabile eſt, hoc ei ſuppetere oportet: alioqui hac parte egeſtate, penuriaq; laborabit. Ei igitur qui beatus futurus eſt, bonis uiris amicis opus erit. Sed utrùm quàm plurimi ſunt aſciſcendi nobis amici, an quemadmodum in hoſpitalitate illud uidetur aptè dictum, Multorum [64] neque dicaris, neque nullius hoſpes: ſic & in amicitia conuenienter dicetur, neque inopem ab amicis eſſe, neque ingenti multitudine amicorum abundare oportere? Iis igitur qui ad utilitatem amicitiam referunt, id quod modò dictum eſt, admodum conuenire uideatur. Multis enim uiciſſim operam dare difficile & laborioſum eſt: neque huic rei [65] agendæ nobis ſatis ſint noſtræ fortunæ & facultates. Plures igitur quàm qui ad ſuam cuiuſque rem familiarem ſatis ſint, ſuperuacanei ſunt, planeq; honeſtè uiuendi rationem impediunt. Itaque nihil eis opus eſt. Iam qui uoluptatis [66] cauſa comparantur, amici, pauci ſatis ſunt: quemadmodum in cibis condimentum. Sed utrùm uiros bonos complures numero adiungere ſibi amicos oportet: an ut ciuitatis, ſic & amicorum multitudinis aliquis modus eſt? nam neque ex decem hominibus conſtare poßit ciuitas: neque ex centum hominum millibus iam ciuitas eſt. Certus autem ciuium numerus non eſt fortaſſe aliquis unus: ſed quiſquis inter duos aliquos definitos interiectus eſt, is numerus ciuium certus eſt. Ac fortaße plurimi ſunt intelligendi, quibuſcum conſuetudine uictus & uitæ quis coniungi poßit. Hoc enim amicitiæ maximè proprium eſſe uidebatur. Minimè uerò illud obſcurum eſt, fieri non poſſe ut quis cum multis uiuat, eisq; omnibus ſeſe dedat, atque impertiat. Præterea

illos

illos etiam inter ſe amicos eſſe oportet, ſi futurum eſt, ut omnes inter ſe coniuncti ſint. Verùm hoc eſſe in multis difficile eſt. Illud quoque magni negotij eſt communi cum multis lætitia, doloreq́; ad cuiuſque affectum accommodatè affici. Probabile eſt enim uno tempore accidere poſſe ut cum altero lætetur, doleat cum altero. Fortaſſe igitur commodius ac tutius erit cum quàm plurimis amicis uſu coniungi nolle: ſed tot quærere, quot ad uitæ ſocietatem ſatis futuri ſunt. Neque enim natura pati poſſe uideatur, ut quis multis ualde ſit amicus. Quapropter ne plurium quidem amore captus eſſe quiſquam poteſt. Amor enim [67] quoddam amicitiæ nimium uidetur eſſe: Hoc autem cum uno duntaxat intercedere poteſt. Vehementer igitur amare inter paucos locum habet. Atque id quod dicimus, re, factisq́; comprobatur. In eam enim amicitiam, qua ſodales inter ſe coniuncti ſunt, non recipiuntur multi: eæ autem quæ omnium ſermone, famaq́; celebrantur, inter duos fuiſſe dicuntur. Qui uerò multitudine amicorum delectantur, & cum omnibus familiariter, comiterq́; uerſantur, ac loquuntur, amici uidentur eſſe nemini, niſi ciuili more, quos blandos ſeu placendi cupidos appellant. quin [68] ciuili more quidem fieri poteſt, ut quis ſit multis amicus, etiam ſi non ſit blandus, ſed re uera uir bonus ac modeſtus: Virtutis autem nomine et propter ſe ut quis multos amet, fieri non poteſt. Præclarè enim nobiſcum agatur, ſi uel paucos tales reperire poßimus. Sed utrùm in rebus ſecundis magis an in aduerſis, amicis opus eſt? In utroq; enim tempore requiruntur. nam & ij quibus aduerſatur fortuna, alterius egent auxilio: & qui fruuntur ſecunda, conuictores & aliquos de quibus benè mereantur, deſiderant.

rant. Volunt[69] *enim de aliquibus benè mereri. Neceſſaria igitur magis quidem eſt in rebus aduerſis amicorum poſſeßio: Itaque hìc utilibus amicis opus eſt: In ſecundis autem pulchrior atque honeſtior. Quapropter uiros bonos quærunt. His enim benignè facere & cum his ætatem agere optabilius eſt. Eſt enim ipſa amicorum præſentia tùm in ſecunda, tùm in aduerſa fortuna ſuauis & iucunda. leuantur enim dolore ij qui dolent, amicis æquam doloris partem ferentibus. Itaque dubitare poßit aliquis utrùm ueluti oneris partem ſubeant amici, an minimè illud quidẽ fiat, ſed eorum præſentia, quæ iucunda ſit, communicatioq́; doloris cogitatio, dolorem efficiat leuiorem. Vtrùm igitur propter has cauſas, an propter aliam aliquam, dolore leuentur, quærere omittamus. ſed certè id quod diximus, uſu uenire non eſt obſcurum. Videtur autem eorũ præſẽtia mixta quædam, minimeq́; ſimplex eſſe. Amicorum enim conſpectus, præſertim calamitoſo iucundus eſt, magnoq́; ad ſedandum ac tollendum dolorem adiumento. Ineſt enim in amico uis quædam conſolandi, tum aſpectu, tum ſermone, ſi ſit commodus & urbanus. Eius enim cui amicus eſt, mores perſpectos habet, & cognitos: quibusq́; rebus ille delectetur, & offendatur, tenet. Contrà amicum ſuum ſentire moleſtia ex ſuis caſibus aduerſis affici, graue ac moleſtum eſt. ſibi enim quiſque cauendum eſſe arbitratur, ne doloris cauſam præbeat amicis. Itaque uiri fortes, animoq́; uirili natura, cauent ne ſecum unà doleant amici. Ac niſi quis*[70] *doloris uacuitate ultra modũ prodeat, dolorem, quo illi afficiuntur, non fert æquo animo. Denique lamentorum ſocios nõ admittit, quia ne ipſe quidem ad lamentandum propẽſus eſt. Mulierculæ autem,*

uiri-

uiriq́; muliebri ingenio prædití hominibus, quibuſcum ſuos gemitus ac ploratus communicent, delectantur: eosq́; ut amicos, & ſui doloris participes ac ſocios, diligunt. ſed omnibus in rebus uidelicet imitandi ſunt meliores. Amicorum autem præſentia in rebus [71] *ſecundis cùm habeat uitæ traducendæ conſuetudinem ſuauem, & iucundam: tùm incredibilem affert amico uoluptatem cogitanti eos ſuis bonis lætari. Itaque uidentur ad res ſecundas amici cupidè, ſtudioseq́; uocandi: de alijs enim libenter benè mereri præclarum eſt: ad dubias autem & aduerſas dubitanter, ac timidè. Quàm parciſsimè enim mala ſunt amicis impertienda: ex quo illud Satis eſt* [72] *miſerum eſſe me. Sed tùm maximè uocandi ſunt cùm parua moleſtia deuorata ualdè ſunt ei profuturi. Contrà autem ad eos quos aduerſa & iniqua fortuna premit, cupidè & ultrò eundum eſt, nec expectandum dum uoceris. Amici eſt enim benignè facere, & maximè quidem neceſſarijs ac difficilibus eorum temporibus, & ijs qui non poſtularunt. Vtriſque enim & honeſtius & iucundius eſt. ad res ſecundas autem alacriter & curſim eundum eſt, ut quidem in rebus agendis adiutor ſis. Ad has enim amici ſunt utiles ac neceſſarij: ſrd ut beneficium accipias, gradatim ac pedetentim. non enim honeſtum eſt percipiendæ ab altero utilitatis cupidiorem eſſe. ueruntàmen* [73] *acerbitatis opinio in recuſando, ſi quid ab amico deferatur, fugienda & uitanda fortaſſe eſt. nam interdum uſu uenit. Præſentiam igitur amicorum in omnibus rebus eſſe optabilem, perſpicuum eſt. Vtrùm igitur quemadmodum amantibus rei adamatæ aſpectu frui amabiliſsimum eſt, atque hunc ſenſum ceteris anteponunt, quaſi ex eo potiſsimum amor &*

conſtet & oriatur: ſic & amicis uitæ ſocietas optabiliſſima eſt? ſocietas enim & communitas quædam eſt amicitia: & ut quiſque in ſe ipſum animatus eſt, ſic & in amicum. ſe ipſum [74] *autem ſentire eſſe optabile eſt: ergo & amicum. eius autem ſenſus functio ſocietate uitæ continetur.* Hanc *igitur non immeritò expetunt: & quacunque* [75] *in re ſuus cuique uiuendi ſtatus poſitus eſt, cuiusúe rei gratia manere exoptat in uita, in ea re cum amicis uolunt omnes uitam traducere.* Itaq; *alij compotant: alij teſſeris colludunt: alij unà exercentur & uenantur, aut denique unà philoſophantur, in hoc ſinguli ſtudio totos dies collocantes, quod maximè omnium uitæ ſtudiorum adamarunt.* Cùm *enim unà cum amicis uiuere uelint, hæc faciunt, hæcq; inter ſe communicant, quibus ſeſe arbitrantur communi uitæ ſocietate copulari.* Malorum *igitur uitioſa amicitia eſt.* Rerum *enim malarum habent inter ſe commercium, cum ſint inſtabiles: & uerò deprauantur, dum ſimiles inter ſe fiunt.* Bonorum *autem bona amicitia eſt, quotidianisq; ſermonibus & congreſſu amplificatur. uidentur deniq; in dies fieri meliores ex eo, quòd ſuo quiſque munere fungatur, alterq; alterum corrigat.* Ea *enim ſugit, exprimitq; alter ab altero quæ probat: ex quo illud* Virtutem *diſces ex fortibus.* Ac *de amicitia quidem hactenus dictum ſit. deinceps* [76] *autem nobis de uoluptate fuerit differendum.*

Liber decimus.

SEQVITVR fortaſſe ut de uoluptate dicamus. noſtro enim generi uidetur eſſe coniunctiſsima. Itaque qui pueros inſtituunt, eos uoluptate ac dolore moderantur & gubernant. Iam ad uirtutem morum plurimùm ualere uidetur ijs rebus delectari, quibus oportet, easq́; odiſſe quæ odio dignæ ſunt. Hæc enim per omnem uitam funduntur & latiſsimè manant, cùm magni ſint ponderis, magnamq́; uim habeant ad uirtutem, & uitam beatam. Iucunda enim potiſsimum ſequuntur omnes, aſpernanturq́;, & fugiunt ea, quæ moleſtiam afferunt. De talibus autem, minimè uidetur eſſe tacendum, præſertim cùm de ijs magna ſit controuerſia. Alij enim uoluptatem ſummum bonũ dicunt eſſe: alij contrà magnum malum: quorum alij fortaſſe ita ſibi perſuaſerunt rem ſe habere: alij utilius hominum uitæ eſſe putant damnare uoluptatem, eamq́; etiam ſi malum non ſit, in numero malorum locare. Multitudinem enim ad eam eſſe propenſam, uoluptatibusq́; ſeruire. in contrariam partem igitur reflectere ac retrahere oportere. ſic enim homines ad id quod medium eſt, peruenturos. ſed uerendum eſt, ne non ſatis rectè dicatur uoluptas eſſe malum. Omnes enim qui de perturbationibus animi & actionibus habentur ſermones, minorem quàm facta, fidem faciunt. Ita cùm ab ijs quæ ſenſibus iudicantur, diſcrepant, contemnuntur: ſimulq́; ſi quid in eis ueri ineſt, funditus euertunt. nam qui uoluptatem uituperat, ſi quando eam concupiſcere uiſus fuerit, ſic ad eam uidetur propendêre, quaſi omnis[1] uoluptas ſit expetenda. Diſtinguere

enim non eſt multitudinis. Videntur igitur ueri ſermones non ſolum ad cognitionem, uerùm etiam ad uitam benè degendam eſſe perutiles. Nam ubi cum factis congruunt, fidem faciunt. Itaque eos qui audiunt, ad uitam conſentaneam acuunt, atque excitant. Sed de his ſatis. Nunc quæ de uoluptate ab alijs dicta ſunt, perſequamur.

Summum igitur bonum eſſe uoluptatem putabat Eudoxus, propterea quia omnia animalia & ratione prædita & rationis expertia eam deſiderare & appetere uideret. At omnibus in rebus id [2] quod ſit appetendum, eſſe bonũ: & ut quicque maximè appetendum, ita longè optimum. Quòd autem omnia ad idem ferantur, eo id omnibus eſſe optimum, declarari. Vnunquicque enim id quod ſibi ſit bonum, ut & cibum, reperire. Quod igitur omnibus eſt bonum, & quod omnia deſiderant, id eſſe ſummum bonũ. Atque hæc ſanè oratio fidem faciebat propter uirtutem, moresq; hominis magis, quàm ipſa propter ſe. Egregiè enim præter ceteros temperans habebatur. Quarè non ut uoluptati amicus hæc loqui putabatur: ſed reapſe ita eſſe uidebatur. Neque uerò ex eius contrario minus id perſpicuum eſſe exiſtimabat. Dolorem enim per ſe omnibus eſſe fugiendum: itemq; eius contrarium optabile, atque expetendum. Id porrò maximè eſſe expetendum, quod nõ propter aliud, neque alius rei gratia expetimus. Talem autem eſſe ſine controuerſia uoluptatem. Neminem enim ex altero quærere cuius rei gratia uoluptate afficiatur, quaſi per ſe ſit optabilis & expetenda uoluptas, & cuicunque rei bonæ accedat, eam efficiat magis expetendam, qualis res eſt [3] iuſte agere, & temperanter uiuere. Bonum igitur ipſum ſe ipſo amplificari atque augeri. Videtur

tur ergo hæc ratio oſtendere eam in bonis eſſe numeran=dam, nihiloq; magis[4] bonū, quàm alterū ei adiunctum. Om=*ne ēnim bonum cum altero bono coniunctum optabilius eſt, quàm ipſum per ſe, & ab alio bono deſertum.* Ac *tali ra=tione eorū ſententiam* Plato *labefactabat, qui uoluptatem ſummum bonum eſſe dicunt. optabiliorem enim eſſe uitam iucundam cum prudentia coniunctam, quàm ſine pruden=tia.* Q*uòd ſi iucundum*[5] *alteri bono admiſtum melius eſt, non eſſe ſummum bonum uoluptatem. ſummum bonum enim nullius rei adiunctione optabilius fieri poſſe.* S*ed perſpi=cuum eſt neque aliud quicquam, quod cum alio per ſe bo=no coniunctum optabilius fiat, ſummum bonum futurum. quid nam igitur eſt ſummum bonum, cuius quidem nobis ſit communio? tale enim quæritur.* I*am uerò qui pertinaci=ter negant id eſſe bonum quod omnia deſiderant*[6] *atque ap=petunt, uereor ne nihil dicant.* N*am quod omnibus uide=tur, hoc eſſe dicimus: nec qui hanc perſuaſionem labefa=ctarit, multo probabiliora, certioraúe dicturus eſt. nam ſi ſola*[7] *mentis expertia uoluptates appeterent, eſſet id ali=quid quod ab eis dicitur: ſed ſi etiam ea quæ ſapiunt & prudenter ſentiunt, quid cauſæ eſt cur audiendi ſint? for=taſſe uerò etiam in uitioſis naturale quoddam bonum ineſt melius, quàm ipſorum*[8] *ſit captus, quod bonum ſibi accom=modatum appetit.* I*am uerò neque quod de contrario di=cunt, rectè dici uidetur.* N*egant enim effici ex eo ſi do=lor malum ſit, uoluptatem eſſe bonum.* N*am & malum malo opponi, & utrunque ei quod neutrum eſt. atque hæc quidem dicunt non malè: ueruntamen*[9] *ſi ad ea quæ dicta ſunt, exigantur, minus uerè.* N*am ſi ambo mala eſſent, ne=ceſſariò ambo eſſet fugienda: ſin neutrum*[10] *eſſet malum:*

 uel

uel neutrum eſſet fugiendum, aut æquè utrunquè. N*unc uidemus dolorem fugi, ut malum: uoluptatem expeti, ut bonum. ſic igitur & opponuntur inter ſe.*

N*eque uerò ſi uoluptas non eſt qualitas, iccircò non eſt in bonis numeranda. nam neque uirtutis functiones ſunt qualitates, neque beatitudo.* Dicunt *autem bonum eſſe terminatum: uoluptatem nullis tèrminis circunſcriptam, quia contentior & remißior eſſe poteſt.* Si *igitur ex perceptione* [11] *uoluptatis hoc iudicant, in iuſtitia* [12] *quoque & ceteris uirtutibus, ex quibus perſpicuè aiunt eos, qui uirtutes colunt, magis & minus cuiuſdammodi fieri, idem erit. iuſtiores enim alijs alij ſunt & fortiores. fieri etiam poteſt ut iuſtè agamus, temperanterq; uiuamus magis & minus: ſin ex uoluptatibus ipſis, uerendum eſt, ne cauſam non afferant, ſiquidem ſunt aliæ* [13] *puræ ac ſinceræ, aliæ mixtæ.* Sed *quid prohibet, quemadmodum ualetudo quæ terminata eſt, intendi poteſt, & remitti, ſic & uoluptatem?* N*on enim eadem in omnibus temperatio corporis & conuenientia eſt: neque in eodem ſemper eſt una, ſed ita remittitur & langueſcit, ut uſque ad aliquem finem permaneat: eoq; differt, quòd intenditur & remittitur.* T*ale igitur quiddam in eo quoque, quod ad uoluptatem attinet, accidere poteſt.* Et *cùm ſummum bonum perfectum quiddam eſſe ſtatuant, motus autem & ortus imperfectos: uoluptatem eſſe motum & ortum oſtendere conantur.* Sed *neque rectè dicere uidentur, neque* [14] *uoluptas eſt motus.* O*mnis enim motionis propria uidetur eſſe celeritas & tarditas ſi non per ſe, at cum alia comparatæ: qualis eſt ea* [15] *qua mundus mouetur.* In *uoluptate neutrum horum ineſt. fieri enim poteſt, ut quis citò fuerit affectus uoluptate,*

te, quemadmodum & ut citò iracundia exarſerit: ſed ut uoluptate celeriter afficiatur, non poteſt, ne ſi cum alio quidem conferatur: ſed ut ambulet, & augeatur, & quæ ſunt huius generis omnia, poteſt. Nihil igitur obſtat quo minus celeriter & tardè ad uoluptatem traducamur: ſed ut celeriter uoluptatis munere fungamur, fieri non poteſt. uoluptatis autem munere fungi dico uoluptate affici. Iam uerò quî poſsit ortus eſſe? uidetur enim non ex re qualibet quæuis oriri: ſed ex quo quicque oritur, in hoc diſſoluitur, atque interit. Et cuius rei ortus eſt uoluptas, eius rei erit interitus, dolor. Deinde aiunt dolorem eius rei, quæ eſt ſecundum naturam, penuriam eſſe: uoluptatem expletionem. At hi ſunt affectus corporis. Si uoluptas igitur, eius quod ſecundum naturam eſt, expletio eſt, id in quo [16] fiet expletio etiam uoluptate afficietur. Corpus ergo uoluptate afficietur. At non uidetur ita eſſe. Non eſt ergo uoluptas expletio. Verùm cùm fit expletio, poteſt aliquis uoluptate affici, & cùm ſecatur, dolere. Hæc opinio autem ex doloribus ac uoluptatibus, quæ in alimento uerſantur, uidetur eſſe nata: homines enim cùm egent alimento, & cùm antegreſſus dolor eſt, expletione delectari. Sed hoc non in omnibus uoluptatibus accidit. Sunt enim doloris expertes tùm mathematicæ, tùm ex ijs, quæ in ſenſibus [17] poſitæ ſunt, eæ, quæ ex odoratu percipiuntur, uoluptates. & uerò [18] acroamata, & ſpectacula, multæ etiam res memoria repetitæ, multæ denique ſperatæ uoluptatem afferunt. Cuius igitur rei hæ ortus erunt? nullius enim rei antegreſſa eſt penuria, aut egeſtas, cuius expletio conſequatur. Iis aũt qui turpes & probroſas uoluptates obijciunt, reſponderi poſsit, hæc non eſſe iucunda. Non enim

ſi hominibus malè affectis ſunt iucunda, abſolutè iucunda ſunt habenda: ſed his tantùm: quemadmodum neque ea, quæ ſunt ægrotis ſalubria, aut dulcia, aut amara: neque ea quæ lippientibus uidentur alba, talia ſunt re uera. poteſt etiam hoc modo reſponderi, uoluptates eſſe expetendas, ſed non ab his rebus profectas: quemadmodum diuitem eſſe optabile eſt, ſed non ex proditione: & ualere, ſed non quolibet cibo ueſcenti. poſtremò dicendum eſt ſpecie differre uoluptates. aliæ enim ſunt eæ quæ ex rebus honeſtis capiuntur, ab ijs quæ ex turpibus: neque fieri ullo modo poteſt, ut quis iuſti hominis uoluptate potiatur, qui non ſit iuſtus, neque muſici, qui non ſit muſicus: ſimilisq; eſt ceterorum ratio. Atque etiam uidetur amicus, qui ab aſſentatore differt, non eſſe bonum uoluptatem, aut certè ſpecie differre uoluptates, declarare. Ille enim congreditur & uerſatur cum amico, ut ei ſit bono: hic ut uoluptati: & hoc uituperatur: illud laudant omnes, quaſi amicus ſermones & congreſſus ſuos aliò, quàm aſſentator, referat. neque uerò quiſquam eſt, cui uita ſit optabilis, ut cùm per omnem uitam cogitationem, & mentem obtineat puerilem, ijs rebus, quibus pueri[19] lætantur, quam maximè fieri poteſt, delectetur: neque qui gaudere exoptet turpiſsimo aliquo flagitio admiſſo, etiam ſi nunquam ſit proptereà doliturus: multas denique ad res ſtudium atque operam noſtram contulerimus, etiam ſi nullam uoluptatem ſint allaturæ, uerbi gratia, ad uidendum, memoria tenendum, ſciendum, ad uirtutes denique comparandas. Nec refert quòd his neceſſariò ſuccedunt uoluptates. hæc enim ſequeremur & expeteremus, etiam ſi nulla ex ijs proficiſceretur uoluptas. Non eſſe igitur bonum uoluptatem, neque

que omnem eſſe expetendam, eſſeq́; nonnullas per ſe expetendas, uel ſpecie, uel ijs rebus, ex quibus oriuntur, differentes, perſpicuum eſſe uidetur. Atque ea quidem quæ de uoluptate ac dolore dicuntur, ſatis à nobis expoſita ſint.

Quid ſit autem aut qualis, planius fieri poterit, ſi ab initio repetamus. Videtur enim aſpectus [20] *quouis tempore perfectus eſſe. Nam nihil deſiderat, quod cum poſteà contigerit, eius formam ſit abſoluturum. huic ſimilis eſt uoluptas. nanque totum quiddam eſt, atque integrum: neq; quiſquã uoluptatẽ ullo tẽpore ſumat, cuius ſi longius producatur, forma ſit perfectior futura. Itaque ne motus quidem eſt. Omnis enim motus in tempore uerſatur. & ad aliquem finẽ refertur: uerbi gratia, is qui in ædificando cõſumitur, tum perfectus eſt, cùm id quod deſiderat, effecerit. Aut igitur in toto tẽpore,* [21] *aut in hoc. In partibus autem temporis omnes ſunt imperfecti, ſpecieq́; & à toto, & ipſi inter ſe differunt. Lapidũ enim compoſitio & ſtructura alia eſt à colũnarum,* [22] *ad pares angulos collocatione: & hi motus alij ſunt à templi perfectione. Ac templi quidem motus perfectus eſt: nihil enim deſiderat ad id quod propoſitum fuerat. fundamenti autem & lacunaris* [23] *imperfectus: uterque enim partis eſt. ſpecie igitur differunt, neque in ullo tempore, qualecunque illud ſit, perfectus in ſuo genere motus ſumi poteſt, aut ſi maximè poteſt, in toto poteſt: ſimiliterq́; de inceſſu, & reliquis motibus ſentiendum. Si enim loci mutatio* [24] *motus eſt alicunde aliquò, huius quoque* [25] *formæ diſpares ac differentes, uolatus, inceſſus,* [26] *ſaltus, & cetera huiuſmodi, motus ſunt alicunde aliquò. Nec ſolùm ita ſe res habet in alijs loci mutationibus, uerùm etiã in ipſo inceſſu. Nam inceſſus*

alicunde aliquò non eſt idem in ſtadio, atque in eius parte: neque idem in una atque in alia: neque eadem loci mutatio eſt, qua hæc linea, & qua illa tranſitur. Non *enim hæc linea ſolùm tranſitur, uerùm etiam linea quæ in loco eſt: at hæc in alio loco, quàm illa eſt. ſubtiliter igitur & enucleatè de motu in alijs libris diſputatum à nobis eſt.* Videtur *autem non omni tempore perfectus eſſe, ſed pleriq; imperfecti, ſpecieq; differentes, ſiquidem termini alicunde aliquò motum* [27] *informant.* At *uoluptatis in quouis tempore perfecta forma eſt.* Per*ſpicuum* [28] *igitur eſt motum & uoluptatẽ inter ſe differre, uoluptatemq; totum quiddam & perfectum eſſe.* Quod quidem etiam ex eo intel*ligere licet, quòd fieri non poteſt, ut quis moueatur niſi in tempore: ſed ut uoluptate afficiatur, poteſt.* N*am quod in puncto temporis poſitum eſt, totum quiddam eſt.* A*tque ex his perſpicuum illud quoque eſt minus rectè ab his dici uoluptatem motum aut ortum eſſe.* Non *enim omnium rerum dicuntur eſſe motus & ortus, ſed earum duntaxat, quæ partitionem recipiunt, & quæ non ſunt tota. neque enim aſpectus, nec puncti, nec monadis ortus eſt: neque horũ* [29] *quicquam uel motus, uel ortus eſt. ergo neque* [30] *uoluptas.* E*ſt enim totum, atque integrum quiddã uoluptas.* I*ã uerò cùm ſenſus omnis in id quod ſub eũ ſenſum cadit, ſuo munere fungatur, & perfectè quidẽ fungatur is, qui benè affectus eſt, cum eorum, quæ ſub illo ſenſu poſita ſunt, pulcherrimo quoque comparatus (tale enim quiddam maximè uidetur eſſe perfecta muneris functio: atque utrùm ſenſum ſuo munere fungi dicamus, an id, in quo ſenſus ineſt, nihil interſit), in unoquoque igitur* [31] *genere optima eſt functio eius quod optimè affectum eſt, cum eorum, quæ ſub eũ*

ſen=

ſenſum cadunt, præſtantiſsimo quoque comparatum. Hæc *autem & perfectiſsima fuerit, & iucundiſsima. habet enim ſenſus ſuam quiſque uoluptatem, itemq; cogitatio & cognitio: atque ut quæq;* [32] *uoluptas eſt perfectiſsima, ita iucundiſsima eſt. eſt autem perfectiſsima eius, quod benè affectum eſt ad eorũ quæ ſub illum ſenſum aut cogitationem cadunt, optimum.* Perficit *autem muneris functionem uoluptas: ſed non ita* [33] *perficit, ut & res ſenſui ſubiecta, & ſenſus ipſe cum bona ſunt: quemadmodum bona ualetudo aliter cauſa eſt cur aliquis ualeat, aliter medicus.* Iam *perſpicuum illud profectò eſt in omni ſenſu uoluptatem exiſtere.* Dicimus *enim quædam, quæ cernuntur, & quæ audiuntur, eſſe iucunda: atque ea tum uidelicet iucundiſsima ſunt, cum & ſenſus eſt optimus, & in id quod tale ſit, ſuam actionem explicat, ſuoq; munere fungitur:* Quandiu *autem talia erunt & id, quod ſenſu percipitur, & id, quod ſentit, ſemper erit uoluptas, dummodo præſtò ſit, quod efficit, & quod patitur. perficit autem muneris functionem uoluptas non ut habitus penitus inſitus, ſed ut finis quidã ſubſequens, ueluti* [34] *eos qui florent ætate, formæ maturitas.* Quandiu *autẽ id, quod ſub ſenſum, uel intelligentiam cadit, tale fuerit, quale oportet eſſe: et quãdiu id, quod iudicat aut contemplatur, tale: tandiu in fũctione muneris futura eſt uoluptas.* Nam *cum ſimilia ſunt, cumq; eodem modo inter ſe affecta ſunt & id, quod ad accipiendum ſeu patiendum, aptum eſt, & id in quo efficiendi uis ineſt, eadem res ex illis exiſtere ſolet natura.* Qui *fit igitur ut nemo continẽter delectetur? an quòd defatigatur? nullæ enim res humanæ aſsiduã muneris functionem ferre poſſunt: ita neque perpetua uoluptas gigni poteſt.*

fun-

functionem muneris enim conſequitur . Nonnulla *autem delectant quandiu noua ſunt. Sed poſterius nō æquè, propter hanc cauſam.* Principio *enim* [35] *incūbit in ea cogitatio & contentè in ijs ſuo munere fungitur, ut qui defixis oculis rem aliquam intuentur: poſtea uerò talis in fūgendo munere diligentia non adhibetur, ſed negligenter adminiſtrantur. Quapropter uoluptas quoque obſcuratur.* Exiſtimare *autem poſsit aliquis omnes iccircò expetere uoluptatem, quia & uiuendi cupiditate omnes afficiuntur: uita autem muneris functio quædam eſt: & in ijs elaborat quiſque maximè, ſuoq; munere fungitur, quæ maximè adamat, ut muſicus auditu in ſonis & cantibus: diſciplinarum ſtudioſus agitatione mentis in cognitione rerum, & ita ceteri ſuo quiſque in ſtudio.* At *uoluptas functiones muneris perficit atque abſoluit, & uitam quoque, quam omnes expetunt.* Non *temerè igitur uoluptatem appetunt. uitam enim, quæ cuique optabilis eſt, perficit.* V*trùm autem propter uoluptatem uitæ retinendæ ſtudio ducamur, an uiuendi cauſa uoluptatem ſequamur, omittamus in præſenti diſputare.* V*identur enim hæc inter ſe eſſe copulata, neque alterum ab altero ſeiungi poſſe.* N*am neque ſine aliqua muneris functione paritur uoluptas, & omnem muneris functionem perficit uoluptas.* Q*uarè ſpecie quoq; differre uidētur uoluptates.* N*am quæ ſpecie differunt, ab ijs quæ ſpecie quoq; differūt, perfici exiſtimamus.* Hoc *enim uidemus & in rebus naturalibus, & in ijs, quæ arte conſtant, ita eſſe, ut in animalibus, arboribus, tabulis pictis, ſtatuis, domo, uaſis.* Eodem *igitur modo & muneris functione, quæ ſpecie differunt, ab ijs quæ ſpecie differunt, perfici.* At *differunt* [36] *ſpecie functiones cogitationis,*

tionis, ab ijs quæ conueniunt ſenſibus, & hæ inter ſe. Ergo & uoluptates eæ quæ illas perficiunt. Atque hoc ex eo cognoſci poterit, quòd ſuæ, quæque uoluptas muneris functioni, quam perficit, coniuncta eſt. Auget enim & amplificat muneris functionem ſua uoluptas. Nam diligentius quicque iudicant, accuratiusq́; perſequuntur, & adminiſtrant, qui cum uoluptate munere funguntur. uerbi gratia, geometriæ fiunt periti, qui geometriæ ſtudijs & actionibus delectantur, & ſunumquicque facilius ac planius intelligunt: itemq́; muſicæ & artis ædificandi ſtudioſi, & ceteri artifices magnos progreſſus in ſuo quiſq; ſtudio & munere faciunt, ſi eo delectentur. Augent igitur ſtudium & actionem uoluptates. At quicquid auget, hoc ei, quod auget, familiare & coniunctum eſt. Quæ autem ijs, quæ ſpecie differunt, accõmodata & coniuncta ſunt, ea quoq; ſpecie ſunt diuerſa. Præterea planius hoc ex eo fieri poterit, quòd eæ uoluptates, quæ ab alijs, ac diuerſis rebus proficiſcuntur, muneris functionibus impedimento ſunt. Nam qui tibiarum cantu delectantur, ſi aliquem, qui tibia canat, exaudierint, orationi quæ habetur, attendere animum non poſſunt, quoniam magis eos delectat tibiarũ cantus, quàm negocium, quod agitur. Ea igitur, quæ ex tibiarum ſonis percipitur uoluptas, muneris functionem eã, quæ in oratione expromitur, corrumpit: itemq́; in alijs hoc uſu uenit, cum quis ſimul duabus rebus operam dat. Quæ enim muneris functio iucundior eſt, ea depellit ac diſcutit alteram, eoq́; magis, quo illius maior ſit uoluptas, adeò ut in altera re ſuo munere fungi non poßit. Itaq; cùm re aliqua, quæcunq; illa ſit, uehementer delectamur, non ferè aliud facimus. contrà cùm aliquid aliud leuiter, modice-

diceq́; probamus, aliud agimus: cuiuſmodi eſt id, quod fit ab ijs, qui in theatris edunt bellaria. tunc enim uel maximè hoc faciunt, cum inepti[37] & mali ſunt equorum agitatores, aut hiſtriones. Quoniam autem propria uoluptas muneris functiones quodammodo limat, accuratioresq́; et diuturniores, meliores denique efficit: alienæ autem corrumpunt: perſpicuum eſt inter eas multùm intereſſe. Propemodùm enim idem quod proprij dolores, efficiunt alienæ uoluptates. Muneris enim functiones corrumpũt proprij dolores: uerbi gratia ſi cui ſcribere aut ratiocinari ſit iniucundum ac moleſtum, ille non ſcribit, hic non ratiocinatur, quia moleſta eſt huius muneris functio. Euenit[38] igitur muneris functionibus à proprijs uoluptatibus contrarium atque à proprijs doloribus efficitur. Sunt autem ij proprij dolores, propriæq́; uoluptates eæ quæ muneris functionem per ſe ſubſequuntur. Diximus autem alienas uoluptates ſimile quiddam dolori efficere. corrumpunt enim, ſed diſsimili modo. Iam cum functiones muneris bonitate & uitio inter ſe differant, aliæq́; ſint expetendæ, aliæ fugiendæ atque aſpernandæ, aliæ neutræ: ſimilis eſt ratio uoluptatum. ſua enim cuiuſque functionis uoluptas eſt. Atque ea quidem quæ bonæ propria eſt, bona eſt: quæ malæ, uitioſa. Cupiditates enim rerum honeſtarum ſunt laudabiles: turpium uituperabiles. Verùm muneris functionibus propinquiores & coniunctiores ſunt eæ, quæ in eis inſunt, uoluptates, quàm appetitiones. Hæ enim diſtinctæ ſunt & temporibus, & natura: illæ functionibus muneris ſunt proximæ & cohærent, itaq́; ſunt indiſtinctæ & confuſæ, ut controuerſia ſit, an idem ſit muneris functio, quod uoluptas. Non tamen[39] uidetur uoluptas, cogitationis aut

ſenſus

ſenſus eſſe functio. abſurdum enim fuerit: ſed propterea quòd non ſeparantur, idem eſſe nonnulli exiſtimant. Quẽadmodum igitur diuerſæ ſunt inter ſe muneris functiones, ſic & uoluptates. Differt *autem uidendi ſenſus à tactu ſinceritate, audituſq; et odoratus à guſtatu: ſimiliterq; differunt uoluptates, & ab his eæ quæ in cogitatione uerſantur, & utræque inter ſe.* Poſtremò *uidetur ſua cuiuſque animalis, ut & munus, eſſe uoluptas.* Eſt *enim functioni muneris conſentanea cuiuſque propria.* Quod *in ſingulis ſi quis ſpectare uoluerit, perſpicuum eſſe poterit.* Alia *enim equi uoluptas eſt, alia canis, alia hominis, quemadmodum ait* Heraclitus, *aſinis culmos & paleas auro eſſe optabiliores.* Iucundius *enim eſt aſinis pabulum, quàm aurum.* Eorum *igitur quæ ſpecie differunt, ſpecie quoque differũt uoluptates.* Eas *autem quæ ſunt eorundem, eaſdem probabile eſt.* Verùm *in hominibus magna eſt earum uarietas.* Eadem *enim alios offendunt, alios delectant: & his odioſa ac moleſta ſunt: illis amabilia & iucunda.* Atque *hoc in rebus dulcibus uſu uenit. non enim eadem ei qui æſtu, febriq; iactatur, & ualenti dulcia uidentur: nec idem calidum imbecillo, & ei, cui corpus firmum & benè conſtitutum eſt, ſimiliterq; hoc in alijs accidit.* Sed *in omnibus, quæ ſunt huiuſmodi, id eſſe re uera uidetur, quod uiro bono, uirtuteq; prædito uidetur.* Quòd *ſi hoc* [40] *rectè dici uidetur, & ſi uniuſcuiuſque rei menſura uirtus, & uir bonus eſt, quà talis eſt: erunt eæ profectò uoluptates, quæ huic uidentur uoluptates, & ea iucunda, quibus hic delectatur.* Neque *uerò mirum cuiquam eſſe debebit, ſi quæ huic ſunt aſpera & moleſta, eſſe alicui iucunda uideantur.* Multæ *enim* [41] *exoriuntur hominum peſtes & corrupte-*

læ.

læ. Non ſunt autem illa iucunda, ſed his, & ſic affectis. Eæ igitur, quæ ſine controuerſia ſunt inhoneſtæ uoluptates, non ſunt dicendæ uoluptates, niſi forte hominibus corruptis & deprauatis. Sed earum, quæ[42] *uidentur eſſe bonæ, qualis aut quæ nam hominis dicenda uoluptas eſt? an hoc declarabunt muneris functiones? has enim ſuæ cõſequuntur uoluptates. Siue igitur una,*[43] *ſiue plures ſunt perfecti & beati uiri functiones, eæ quæ has perficiunt, uoluptates, propriè dici poßũt hominis eſſe uoluptates: reliquæ autem ſecundo loco, & longo poſt interuallo, quẽadmodum & muneris functiones.* *Expoſitis ijs, quæ ad uirtutes, amicitias, & uoluptates pertinent: reliquum eſt ut de beatitudine, quoniam eam ultimum bonorum humanorum poſuimus, formam eius adũbrãtes, dißeramus. Itaque repetitis ijs, quæ ſuprà diximus, breuior erit oratio. diximus autem non eſſe habitum. nam ſi ita eſſet, eius compos eſſe poſſet is qui in omni uita nihil aliud, quàm dormiat, & ſtirpis uitam agat: & qui maximis calamitatibus afficiatur. Quòd ſi hæc non probantur, ſed in functione quadam muneris potius locanda eſt, quemadmodum ſuperioribus libris oſtendimus: & ſi muneris functiones aliæ ſunt neceſſariæ, & propter alia expetendæ, aliæ per ſe: perſpicuum eſt beatitudinem in earum numero, quæ per ſe ſunt expetendæ, non earum quæ propter aliud, habendam eſſe. Nullius enim rei beatitudo indiget: ſed ſuis bonis cõtenta eſt. Per ſe autem eæ ſunt optabiles, à quibus nihil præter ipſam functionem muneris requiritur, quales ſunt conſentaneæ uirtuti actiones. Nam in rebus honeſtis ac bonis agendis aßiduè uerſari, in rebus per ſe expetendis numeratur: & uerò ex ludis*[44] *ij qui remißionis animorũ,*

&

& oblectationis cauſa ſint inſtituti, per ſe ſunt expetendi. non enim propter aliud eos ſequuntur, cùm detrimento ab ijs afficiantur potius, quàm utilitatẽ capiant, nec corporũ, nec rerum quas poßident, curam habentes. Atque ad talem uiuendi conſuetudinem cõfugiunt plerique eorum qui habentur beati. Itaque apud reges & principes magno ſunt in honore & pretio, qui in huiuſmodi uitæ degendæ conſuetudine ſunt comes & urbani. Nam quæ illi expetunt, in his ſeſe præbent ſuaues & iucundos: quod genus hominum deſiderant. Hæc igitur ad uitam beatam iccircò uidẽtur pertinere, quia homines imperio ac poteſtate præditi in his totos dies occupati ſunt. Sed ex talium hominum uita fortaſſe huius rei argumentum ſumi non poteſt. Neque enim in principatu & potentia conſiſtit uirtus, neq; mens, à quibus probæ muneris functiones proficiſcuntur: neque ſi hi, quia puram & liberalem uoluptatem nunquam guſtauerunt, ad corporis uoluptates confugiunt, iccircò nos oportet exiſtimare has magis eſſe expetendas. Nam et pueri quæ apud ipſos in honore ſunt & pretio, arbitrantur eſſe optima. Probabile eſt igitur quemadmodum alia pueris, alia uiris, magni pretij eſſe uidentur: ſic alia uideri uitioſis hominibus, alia bonis uiris. Ea igitur, ut ſæpe à nobis dictum eſt, & magni pretij & iucunda ſunt, quæ uiro bono, uirtuteq; prædito talia ſunt. Sed cùm omnibus hominibus ea quæ cuiuſq; habitui conuenit, muneris functio, optabilißima ſit, tùm uiro bono, ea quæ uirtuti. Non igitur in ludo uita beata poſita eſt. Abſurdum ſit enim ultimum bonorum eſſe ludum & iocum, totamq; uitam in negotio conterere, plurimoſq; labores ac moleſtias ſuſcipere ludẽdi ac iocandi gratia. omnia enim ferè propter aliud ſequimur

mur & optamus, præterquàm uitam beatam. Ea enim omnium bonorum finis eſt. Serias autem res agere, & laborem ſufferre ac perpeti ludi cauſa, ſtultum uidetur, ualdeq́; puerile: ludere uerò ut res ſerias agas (ut ſentit Anacharſis) probandum eſt. Requieti enim ſimilis ludus eſt. Verùm quoniam perpetuum laborem ferre non poſſumus, laxamenti & requietis indigemus. non eſt igitur finis requies. fungendi enim muneris cauſa quieſcimus & ceſſamus. Prætereà uita beata uidetur eſſe ex uirtute. at quæ ex uirtute[45] uita degitur, in rebus grauibus et ſerijs, nõ in ludo neque in ioco poſita eſt. Iam uerò meliores eſſe res ſerias ridiculis, ijsq́; quæ cum ludo & ioco coniunctæ ſunt: & tum partis animi, tum hominis melioris functionem ſemper eſſe meliorem, & grauiorem dicimus. At quo quæq; res melior eſt, eo eius muneris functio eſt melior, atque ita demùm beatior. Prætereà corporis uoluptatibus poſtremi homines & mancipia non minus quàm optimi & præſtantiſsimi uiri potiantur: beatitudinem autem mancipio impertit nemo, niſi & uitam cum uirtute[46] coniunctam. Non enim in talibus uitæ degendæ generibus beatitudo poſita eſt, ſed in actionibus uirtuti conſentaneis, quemadmodum ſuprà diximus. Quòd ſi beatitudo muneris functio eſt uirtuti conſentanea, probabile eſt præſtantiſsimæ uirtuti eſſe conſentaneam. Atque hæc fuerit eius, quod in homine eſt optimum. Siue igitur hoc mens ſit, ſiue aliud quippiam, quod quidẽ uidetur imperare ac præeſſe debere natura, rerumq́; honeſtarum ac diuinarum in ſeſe notionem continere, ſiue diuinum ſit illud ipſum, ſiue eorũ, quæ in nobis ſunt, diuiniſsimum: huius muneris functio ex propria uirtute, perfecta & abſoluta erit beatitudo. Eſſe autem

tem in contemplatione rerum poſitam ſuprà diximus, quod quidem & ſuperioribus noſtris diſputationibus, & ueritati congruere uideatur. Præſtantiſsima enim hæc eſt muneris functio: (nam & eorum quæ ſunt in nobis, mens quiddam eſt optimum, & omnibus, quæ cognoſci poſſunt, ea quæ mente complectimur, longè antecellunt:) Prætereà uerò & maximè aſsidua. Nam & res aſsiduè contemplari magis quàm quiduis agere poſſumus: & cùm beatitudini admixtam & quaſi implicatam eſſe uoluptatem arbitremur: tùm omnium muneris functionum quæ uirtuti cõgruunt, eam quæ ex ſapientia eſt, iucundiſsimam eſſe omnes uno ore conſentiunt. Videtur itaque ſapientia [47] mirabiles quaſdam tùm ſinceritate, tùm ſtabilitate continere uoluptates. Probabile eſt autem eos qui ſciunt, quàm eos qui quærunt, uitam traducere iucundiorem. Iam uerò ea quæ appellatur copia bonis omnibus per ſe cumulata, nihilq; extrinſecus deſiderans, in ea beatitudine maximè, quæ in rerum contemplatione uerſatur, reperietur. Nam eorum ſanè, quæ ad cultum uitæ neceſſaria ſunt, & ſapiens, & iuſtus, & reliqui omnes indigent. Sed cùm hi talibus abundè fuerint inſtructi: uir iuſtus erga quos, & cum quibus iuſtas actiones obeat, itemq; temperans, & fortis, & ceteri deſiderabunt. At ſapiens etiam cum ſecum erit, res poterit contemplari, tantoq; magis, quanto ſapientior fuerit: fortaſſe uerò [48] melius, ſi quos habeat adiutores: Verùm tamen omnium maximè ſe ipſo contentus eſt. Videatur autem ea ſola beatitudo propter ſe diligi. nihil enim ex ea redit præter contemplationem. ex ijs autem rebus, quæ ſub actionem cadunt, aliquid præter actionem aut plus aut minus conſequimur. Prætereà beatitudo in otio uide-

tur eſſe ſita. Verſamur enim in rebus gerendis, ut in otio uiuamus: & bella gerimus, ut pace potiamur. Ac uirtutum quidem earum, quæ ad agendum ualent, functiones aut in ciuilibus, aut in bellicis rebus poſitæ ſunt: atque eæ quæ in his uerſantur, actiones negotioſæ eſſe uidentur. De bellicis igitur minimè dubium eſt, quin ſint omninò negotioſæ. Nemo enim [49] bellum gerendum neque apparandum ſuſcipit, ut bellum gerat. uideatur enim planè impurus quidam ſicarius ac ſceleratus, ſi cum amicis [50] inimicitias ſuſcipiat, ut pugnæ committantur & cædes fiant. Hominis quoque qui in rep. gerenda uerſatur, adminiſtratio negotioſa eſt, quæ, præter ipſam reip. adminiſtrandæ curam atque operam, potentiam & honores, aut beatitudinem tùm ei, tùm ciuibus comparat, à facultate ciuili [51] diuerſam ac differentem: quam etiam ut diuerſam uidelicet quærimus. Si igitur omnibus ijs, quæ uirtutibus conſentaneæ ſunt, actionibus ciuiles & bellicæ pulchritudine ac magnitudine antecellunt: hæ autem [52] ſunt negotioſæ, finemq; aliquem expetunt, neque propter ſe ſunt expetendæ: & ſi mentis functio grauitate & ſtudio rerum ſeriarum uidetur præſtare cùm in rerum contemplatione conſiſtat, & præter eam nullum alium finem expetere, propriãq; uoluptatẽ habere, (hæc aũt muneris functionẽ amplificat) relinquitur profectò, ut copia bonis omnibus cumulata, nihilq; prætereà deſiderans, & libera ceſſandi, otiandiq; facultas, & uita defatigationis expers, prout res humanæ ferunt, & quæcunque alia uiro beato tribuuntur, in hac functione muneris comparere uideantur. Perfecta igitur fuerit hæc hominis beatitudo, ſi perfectam uitæ longitudinem adepta ſit. Nihil enim eorum, quæ ſunt

beati-

beatitudinis, inchoatum & imperfectum eſt. Erit *autem hæc uita melior, quàm hominis natura ferat. non enim quà homo eſt, ita uiuet: ſed quà diuinum quiddam in eo ineſt. Quanto autem hæc particula toti, & concreto antecellit, tanto & eius functio ei functioni præſtat, quæ alij uirtuti conſentanea eſt.* Si *igitur mens cum homine comparata diuinum quiddam eſt: uita quoque menti conſentanea diuina ſit neceſſe eſt, ſi cum humana conferatur.* Neque *uerò nos oportet humana ſapere ac ſentire, ut quidam monent, cùm ſimus homines: neque mortalia, cùm mortales: ſed nos ipſos, quoad fieri poteſt à mortalitate uindicare, atque omnia facere ut ei noſtri parti, quæ in nobis eſt optima, conuenienter uiuamus.* N*am etſi mole parua eſt, poteſtate tamen & honoris gradu longè omnibus antecellit.* Atque *pars hæc eſſe quiſque uideatur, ſiquidem id quod principatum obtinet, etiam melius eſt.* Abſ*urdum igitur fuerit, ſi non ſuam, ſed alienam uitam expetat, & ſequatur.* Præ*tereà quod ante à nobis dictum eſt, etiam huic loco conueniet.* N*am quod cuiuſque proprium eſt natura, idem & optimum cuique eſt, & iucundiſſimum: ergo & homini optima ea uita eſt, quæ menti conuenienter traducitur, ſi quidem hæc pars homo eſt maximè.* Hæc *igitur uita & beatiſſima.* Secundo *loco ea, quæ alij uirtuti conſentanea eſt. muneris enim functiones ei conuenientes humanæ ſunt.* Iuſtitiæ *enim & fortitudinis, & aliarum uirtutum muneribus inter nos fungimur, in rebus contrahendis, in noſtris & aliorum neceſſarijs, ac difficilibus temporibus, & uarijs actionibus, denique in perturbationibus quod* [53] *decorum eſt, cuique conſeruantes.* Hæc *porrò omnia uidētur eſſe*

humana . Nonnulla autem & à corpore uidẽtur proficiſci, multisq́; in rebus uirtus morum cum perturbationibus eſſe coniuncta . Quin prudentia quoque cum uirtute morum, & hæc cum prudentia eſt copulata, ſiquidem prudentiæ principia ex uirtutibus morum conſtant, & quod recti in uirtutibus ineſt, prudentia moderatur . Cùm ſint autem hæ perturbationibus quoque implicatæ, in eo etiam quod ex animo & corpore conflatum eſt, inerunt. At eius, quod compoſitum & concretum eſt, uirtutes humanæ sũt: ergo & uita ei conſentanea & beatitudo. Mentis beatitudo autem ſeiuncta eſt: de ea enim hactenus dictum ſit. Nam ſubtilius & preßius de ea diſputare maioris negotij eſt, quàm id quod nobis propoſitum eſt, poſtulat. Videatur autem & externorum bonorum copia parum admodum egere, aut minus, quàm ea beatitudo, quæ moribus continetur . demus enim utrique rebus ad uictum neceßarijs, & æqualiter opus eſſe: (quanuis in corpore, & ceteris huius generis magis elaborat is qui ſe ad rẽp. adminiſtrandam contulit :) parùm enim referat : ſed ad muneris fũctiones multùm intererit. Liberali enim pecunia opus erit ad actiones liberales, & iuſto ad remunerationes, rerumq́; creditarum ſolutiones, (obſcuræ ſunt enim hominum uoluntates, multiq́; ſimulant ſe res iuſtas agere uelle, qui non ſunt iuſti :) uiro forti autem potentia, ſi quidem aliquid ſuæ uirtuti conſentaneum effecturus eſt: & tẽperanti [54] auctoritate & licentia. quî enim ſciri poterit ſit ne talis, an longè alius ? Quæritur autem utrùm in uirtute conſilium dominetur magis, an actiones, perinde quaſi uirtus in utriſq; conſiſtat . Minimè uerò illud obſcurum eſt in utriſque perfectionem eſſe ſitam . Ad actio-

nes

nes autem multa deſiderat, tantoq́; plura, quanto fuerint maiores & pulchriores. Ei *autem qui res animo cernit & contemplatur, ad muneris functionẽ nullis talibus opus eſt: immò uerò ea contemplationi rerum penè dicam impedimẽto ſunt.* Q*uà autem homo eſt, & cum pluribus uitæ conſuetudine coniungitur, ſtudet & exoptat ea, quæ uirtuti conſentanea ſunt, agere*. T*alibus igitur rebus egebit, ut cum hominibus uerſetur, & humaniter*[55] *uiuat*. P*erfectam autem beatitudinem, functionem quandam muneris eſſe in rerum contemplatione poſitam, etiam ex hoc perſpicere licet, quòd deos felicißimos ac beatißimos eſſe arbitramur*. A*ctiones autem quas eis tribuere nos oportet? iuſtas ne, an ridiculi uidebuntur contrahentes inter ſe, & depoſita reddentes et cetera id genus? at fortes, ut res formidoloſas ſubeant ac perferant & periculũ adeãt quia honeſtum ſit? an liberales? cui uerò donabunt? abſurdũ autem ſi apud eos erit nummus, aut aliquid tale*. I*am*[56] *uerò utrùm erunt temperantes, an odioſa, &*[57] *non ferenda laus illa deorum futura eſt, uitioſis cupiditatibus eos carere?* Q*uòd ſi omnia quæ in actionibus uerſantur, perſequamur, exigua ſanè*, D*ijsq́; indigna reperientur*. A*tqui nemo eſt qui non eos uiuere exiſtimet: ergo & aliquo munere fungi*. N*on enim eos oportet dormientes fingere, ut* Endymionem. *ei igitur qui uiuit, ſi actio, multoq́; magis, ſi effectio adimatur, quid præter contemplationem relinquitur?* Q*uocirca* D*ei muneris functio ea quæ beatitudine antecellit, in contemplatione cõſiſtere reperietur. ac proinde humanarum functionum ut quæque huic ſimilima eſt, ita ad beatam uitã conſtituendam plurimùm ualet, cui quidem rei argumento eſt, quòd cetera animalia, quæ*

 tali

tali muneris functione orbata ſunt, beatitudine quoq; excluduntur. Dijs enim immortalibus omnis uita beata eſt: hominibus autem, quatenus ſimulacrum aliquod talis functionis habent. Reliquorum uerò animalium beatum eſt nullũ, quoniã nulla eſt eis contẽplationis cõmunitas. Quàm longè igitur, lateq; funditur et pertinet contẽplatio, tàm longè & beatitudo: & in quibus maior ineſt contemplãdi aſsiduitas, ij ſunt & beatiores, neque id ex euentu, ſed ex contemplatione. Ea enim per ſe magni pretij eſt, magnoq; honore decoranda. Itaq; beatitudo erit cõtemplatio quædam. Verũ opus erit beato etiã proſperitate externa cùm ſit homo. Non enim ſuis ipſa bonis contenta natura eſt ad contemplandum, ſed & corpus ualeat, & uictus, reliquusq; uitæ cultus adſit oportet. Nec tamen ſi fieri nõ poteſt, ut quiſquam ſine bonis externis ſit beatus, iccircò exiſtimandum eſt multa et magna uirum beatũ deſideraturũ. Non enim copia bonis omnibus per ſe cumulata in nimio poſita eſt, neque huius [58] *rei iudicium, neque actio. Fieri autem poteſt ut etiam ij qui maris & terræ imperium non habent, res agant preclaras. nam poteſt quis bonis mediocribus inſtructus, quæ uirtuti conſentanea ſunt, adminiſtrare. Atque hoc perſpicuè cernere licet. Priuati enim homines nõ minus quàm dynaſtæ, res æquitati, omniq; uirtuti conſentaneas agere uidentur, atque adeo magis. ſatis eſt autem tantum ſuppetere, quantum poſtulent honeſtæ actiones. Erit.n. eius uita beata, qui muneribus fũgatur uirtuti cõſentaneis. Et fortaſſe Solon beatos non malè pronũtiabat eos, qui mediocriter bonis externis inſtructi ſunt, et qui res* [59] *q̃ potuerint, honeſtiſsimas geſſerũt, temperãterq; uixerunt. Fieri autem poteſt, ut ijs, qui mediocria bona tenent*

nēt ac poſſidēt, agāt ea quæ ſunt agēda. Anaxagoras *quoque non diuitem, neq; potentem aliquem uirū beatū exiſtimaſſe uidetur, quippe* [60] *qui dixerit mirum ſibi non futurum, ſi multitudini abſurdus & ineptus quidā eſſe uideatur.* Hæc *enim ex rebus externis iudicat, propterea quòd has tantùm ſenſu percipit.* Atq; *his rationibus ſapientū opiniones cōgruere uidētur.* Habent *igitur aliquid etiā talia, quod ad faciendā fidem ualeat.* Verùm *cum de ijs quæ ſub actionem cadunt, quæritur, ex factis & uita ueritas iudicatur.* In *his enim uis* [61] *actionū præcipua cōſiſtit.* Ita *igitur ea quæ ante dicta ſunt, ſpectare oportet, ut ad facta uitāq; referamus: & ſi cum factis conſentiant, probanda: ſin diſſentiant, & diſcrepēt, uerba ſunt habenda.* Qui *uerò muneribus fūgitur mēti cōſentaneis, et hāc colit, eſtq; optimè animo affectus: eum probabile eſt* Deo *cariſſimum eſſe.* Nam *ſi dij immortales curam habent rerum humanarum, quemadmodū ueriſimile eſt: illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optima, ſibiq; maximè cognata, delectari: (hæc autem mens eſt) ijsq; qui hanc maximè diligunt, & plurimi faciūt, præmia perſoluere, gratiamq; referre: utpote qui eorū, quæ ipſis cara ſunt, curam habeāt, rectasq; atq; honeſtas actiones obeant, atq; exerceant. hæc autē omnia in ſapiente ineſſe maximè, nō eſt obſcurum.* Eſt *igitur* Deo *cariſſimus, eūdēq; beatiſſimū eſſe ueriſimile eſt.* Itaq; *ſapiens hoc modo beatiſſimus eſt futurus.* Vtrùm *igitur ſi de his, et de uirtutibus et præterea de amicitia, et uoluptate ſatis copiosè à nobis dictū eſt, earumq; omniū forma quodammodo adumbrata eſt, cōſilium noſtræ diſputationis abſolutum eſſe exiſtimandum eſt? an quemadmodum dicitur, in ijs, quæ ſub actionem cadunt, finem non eſſe ani-*

mo cernere, & cognoſcere, ſed agere potius: ſic neque uirtutem perſpectam et cognitam habere ſatis eſt, ſed eam habere, eaq; uti conandum, aut ſi qua alia ratione boni euadere poßumus? Si igitur uerba per ſe ſatis ualerent ad bonitatem, uirtutemq; comparandam, Multa[62] *quidem et meritò præmia magna ferant: ut ait Theognis, eaq; perſoluere oporteret. Nunc uerò uidentur illa quidem ſatis magnã uim ad ingenuos adoleſcẽtes cohortandos habere, ingeniumq; generoſum & re uera honeſti ſtudioſum, docile ad uirtutem[63] reddere, atq; inflammare poſſe: multitudinem autem ad honeſtatẽ ac probitatẽ excitare nõ poſſe. Nõ enim illa pudore ſolet retineri natura, ſed metu potius coërceri: neq; ſe à rebus uitioſis propter turpitudinem abſtinere, ſed propter ſupplicium. Nam cum eius uitam perturbatio moderetur, tùm ſuas uoluptates, eaq; quibus hæ pariuntur, conſectatur: dolores ei contrarios fugit: honeſti autẽ, uereq; iucundi ne notionem quidẽ unquam animo depinxit, utpote quod nunquã deguſtauerit. Tales igitur homines quæ ratio corrigere, et à uitijs ac flagitiis ad uirtutem traducere queat? Nõ enim fieri poteſt, aut certè uix, ut quæ iam pridem moribus concepta ſunt, oratione deleantur: præclareq;[64] fortaſſe nobiſcum agatur, ſi cùm omnia nobis ſuppetant quibus boni fieri ſolemus, uirtutẽ adipiſci poßimus. Bonos autem fieri putant alij natura, alij cõſuetudine, alij doctrina. Quod igitur à natura tribuitur, in nobis minimè ſitum eſſe, ſed ab aliqua diuina cauſa profectum ineſſe in ijs qui re uera ſunt fortunati, perſpicuum eſt. Verendũ eſt aũt ne nõ peræquè in omnibus ratio et doctrina ualeant, ſed oporteat animum[65] auditoris, ut humũ, quæ ſeminis alendi facultatem habitura eſt, conſuetudine*

an-

antè ſubigi & excoli,ut rectè lætetur,rectèq; oderit. Nã *qui perturbatione uitam dirigit,is nunquã illum à quo deterreatur,atq; auocetur à uitio,patiẽter auditurus eſt, nũquã eius orationẽ intellecturus. At eũ qui ita ſit affectus, quo nam modo*[66] *oratione de ſua ſententia demouere poßis?* Omninò *perturbatio non uidetur orationi cedere,ſed ui eſſe cogenda.*Mores *igitur ante quodãmodo inſint oportet ad uirtutẽ accõmodati qui honeſtũ amplectãtur, turpitudine offendãtur.*A *puero aũt directã ad uirtutem inſtitutionẽ conſequi difficile eſt,niſi qui in talibus legibus fuerit educatus.*Tẽ*peranter.n. et patienter uiuere cùm uulgo ſit iniucũdũ,tùm iuuenibus maximè.*Itaq; *educationẽ,ſtudiaq; et exercitationes legibus eſſe deſcriptas neceſſe eſt.*Nõ*.n. moleſtæ eæ res futuræ ſunt cõſuetudine adhibita.* Fortaſſe *aũt non ſatis eſt pueros & adoleſcẽtes quandiu in ea ætate ſunt,benè educari,diligenterq; inſtitui : ſed quoniam corroboratis iam ætatibus ea quæ didicerunt,ſtudioſe tractare & perſequi,ijsq; aſſuefieri oportet : etiam in his nobis fuerit legibus opus, & omninò in omni uita traducenda.* Magna *enim pars hominum neceßitati potius,quàm rationi paret,et pœnis magis,quàm honeſto commouetur. itaq; exiſtimant nonnulli eos,qui leges ferunt,ad uirtutẽ cohortari & excitare honeſti cauſa oportere,perinde quaſi*[67] *uiri boni in primis conſuetudine adhibita ſint obtẽperaturi: in eos autem qui nõ parebunt,quiq; ad uirtutẽ, et officium inepti ſunt natura,eſſe animaduertendũ et ſupplicia cõſtituenda: poſtremò inſanabiles exterminandos ac de rep.tollendos.nã uirum bonũ, eumq; qui honeſti regula uitam ſuã dirigit,orationi obtemperaturum:uitioſum autem atq; improbum, quando uoluptatem uehementer expetit, dolore*

et plagis,ut iumentum,caſtigandũ & coërcendũ eſſe. Atq; *ob hanc cauſam eos inuri dolores dicũt oportere maximè, qui uoluptatibus iјs,quas illi adamant,aduerſentur.* Quòd *ſi eũ qui uir bonus futurus eſt,quemadmodum diximus,primùm oportet benè eſſe educatũ, et honeſtis officiis aſſuefactũ:deinde rectis uitæ ſtudijs atq; inſtitutis uitã traducere, poſtremò neq; inuitũ,neq; ſua uoluntate res turpes ac flagitioſas admittere:hæc autem contingere iјs poſſunt maximè,qui mentẽ aliquã ſequuntur uitæ ſuæ ducem,rectumq́; ordinem ab ea præſcriptum,uiribus inſtructum:in paterno iuſſo quidem nulla ſatis magna uis aut neceßitas ineſt, neq; omninò in unius uiri iuſſo,niſi ſit rex, aut regi ſimilis:lex autem uim habet ad cogendum ualentẽ,cùm ſit ratio ab aliqua prudentia,menteq́; profecta.* Atq; *eos quidem homines in odio eſſe uidemus,qui malorum cupiditatibus et appetionibus aduerſantur, etiam ſi id rectè faciant.* At *lex ea quæ æquum & bonum præſcribit,minimè grauis aut moleſta eſt.* In *ſola autem* L*acedæmoniorum ciuitate cum paucis alijs,lator legũ educationis & ſtudiorum curã habuiſſe uidetur:* In *plurimis hæc neglecta ſunt, uiuitq́; ſuo quiſque arbitratu* Cyclopum [68] *more* Vxorem & *natos priuata lege gubernans.* Optimum *igitur eſt ciuium inſtitutionem communiter ab ominibus & rectè procurari, idq́; efficere poſſe:* Quòd *ſi hæc cõmuniter & publicè negligantur,unicuique conuenire uideatur ſuis liberis & amicis ad uirtutem comparãdam, operam nauare,aut certè hoc animo & conſilio eſſe,ut nauare operam uelit.* Ex *iis autem,quæ diximus,hoc efficere poſſe uideatur maximè, ſi legum ferendarum ſcientiam fuerit conſecutus.* Nã *cùm publicarum diſciplinarum procuratio uidelicet contineatur*

tur legibus, tùm ea bona eſt, quæ bonis. quæ utrùm ſcriptæ ſint, an non ſcriptæ, nihil referre uideatur. Neq; uerò refert utrùm his legibus unus, an plures inſtituantur: quēadmodum neque in muſica, & arte corporum exercendorum, ceteris deniq; [69] *inſtitutionibus. Nā ut in ciuitatibus leges & inſtituta, ſic et in familiis priuatis oratio paterna et mores ualent, multoq; adeò magis, propter generis cōmunitatem, et beneficia. Filii enim multo antè parētes diligunt, ſuntq; ad* [70] *parendum faciles, flexibilesq; natura. Præterea uerò ſingulares & priuatæ inſtitutiones, à communibus et publicis differunt: quemadmodum euēit in medicina. Vniuersè enim ei, qui febri afflictatur, inedia & quies utilis eſt: Alicui autem fortaſſe inutilis. Et is pugil qui docendi facultatem habet, fortaſſe non in eodem pugnæ genere diſcipulos omnes exercet. Videatur autem ille ſubtilius ac limatius rei ſingularis naturam perſecuturus, ſi propria ac priuata diligentia adhibeatur. Ita enim* [71] *quod ſibi opportunum, atq; utile eſt, unus quiſque magis conſequetur atq; obtinebit. Sed & medicus & exercendorum corporum magiſter, et quiuis alius optimè uniuſcuiusq; curam rationēq; habuerit, qui genus uniuersū cognouerit: uerbi gratia uel omnibus, uel talibus eſſe utile: rerum enim cōmunium atq; uniuerſarum & dicuntur & ſunt ſcientiæ. Veruntamen nihil fortaſſe prohibet quo minus etiam is qui ſit inſcius, uni alicui pulchrè conſulat, dūmodo experiēdo, quæ cuiq; accidāt, accuratè perſpexerit, quemadmodum & nonnullos* [72] *ipſos ſibi medicos eſſe optimos uidemus, cùm alteri ſubuenire atque opitulari non poßint. Nihilominus autem ei quidem qui bonus artifex, & ad res percipiendas & contemplandas idoneus effici uelit,*

uelit, ad genus uniuerſū ſit progrediendum atq; in illo cognoſcendo quo ad eius fieri poßit, elaborandū. In hoc enim ſcientias poſitas eſſe diximus. Et fortaſſe ei qui uel multos uel paucos cura et ſtudio uelit efficere meliores, opera dāda ſit, ut legū ferēdarū[73] *ſciētia præſtet, ſi ineſt hæc uis in legibus ut eis boni fieri poßimus. Non. n. cuiuslibet hominis*[74] *eſt quenuis, & eum qui propoſitus & traditus fuerit erudiendus, rectè cōformare, ſed ſi cuius eſt, profectò ſcientis eſt: quemadmodum in medicina et ceteris artibus, quarum aliquod ſtudium, prudentiaq; aliqua eſt, cernere licet. Non ne igitur deinceps uidendum eſt unde & quonā modo quis legibus ferendis idoneus eſſe poßit? an, ut fit in ceteris artibus, ab iis qui in rep. gerenda uerſantur, hanc facultatem cōparaturus eſt? (ciuilis enim prudentiæ pars eſſe uidebatur legum ferendarum facultas) an uerò aliter ſe res habet in ratione reip. gerendæ, atq; in reliquis tum ſcientiis tum facultatibus? In ceteris enim eoſdem uidemus artem, facultatemq; agendi tradere, & facultatis munere fungi: ut medicos et pictores. At rerump. adminiſtrādarum ſcientiā docere ac tradere ſe profitētur ſophiſtæ: eorum tamen adminiſtrat remp. nemo, ſed ij qui in rep. gerenda uerſantur: qui quidem ui & poteſtate quadam freti, uſuq; potius, quàm mentis agitatione hoc agere uideātur. nam neq; eos ſcribere, neq; dicere de talibus rebus (atqui præclarius hoc erat fortaſſe, quàm orationes iudiciales, aut conciones ſcribere) neq; uel filios ſuos, uel ullos alios ex amicis ſuis ad remp. gerendam aptos effeciſſe uidemus. quod quidem probabile & conſentaneum erat eos fuiſſe facturos, ſi id ulla ratione cōſequi potuißēt. Nā neq; quicquam ciuitatibus melius reliquißēt, neq; aut ſibi, aut amiciſsi=*

ciſsimis quicquam hac facultate præſtātius exoptare poſ=ſent. Veruntamen non parum uſus & exercitatio uidentur ualere. Alioqui uſu reip. gerēdæ & conſuetudine homines ad remp. gerendam compoſitiores & aptiores non efficerentur. Quamobrem qui aliquid de republica gerenda ſcire cupiunt, credibile eſt ijs uſu opus eſſe. Iam uerò ſophiſtæ qui hanc facultatem ſe traditu ros profitentur, ab eo longiſsimè uidētur abeſſe, ut docere poſsint. Omninò.n. neq; quid ea ſit, neq; in quibus uerſetur, ſciunt. Nō enim ſi ſcirent, uel eandem eſſe atq; artem dicendi, uel deteriorē ſtatuerent: neque ferre leges eſſe facile putarent ei qui leges omnium iudicio comprobatas collegiſſet, quoniam (inquiunt) præſtantiſsimas eligere licet: quaſi uerò delectus non ſit intelligentiæ: aut quaſi non ſit maximum rectè iudicare, quemadmodum in ijs quæ ad muſicam pertinēt. Nam qui cuiuſq; rei uſu periti ſunt, cùm de artis operibus rectè iudicent, tùm quibus rebus, aut quo modo ea, quæ par eſt effici, perficiantur, & quæ quibus congruant et concināt, ſciunt: Imperiti uerò præclarè ſecum agi putant, ſi non ignorent rectène an perperàm opus effectum ſit: quēadmodū fit in pictura. Leges autem opera ciuilia uidentur eſſe. Quonā igitur pacto quis aut ad leges ferēdas aptus his effici, ut quæ ſint optimæ, iudicare poſsit? Nam ne medicinæ quidem ſatis periti fieri uidentur ex commentariorū lectione. Atqui cōmemorare & tradere conantur illi non ſolum curationū genera, ſed et quibus remedijs ægros ſint curaturi, & quemadmodum medicinam facere oporteat, de cuiuſq; habitudine corporis diſtinctè ac diſtributè differentes. ſed hæc uſu peritis & exercitatis prodeſſe poſſe credibile eſt: imperitis autē atq; inſcijs nequaquam. Fortaſſe igitur

*gitur & legum,rerumq́; publicarũ genera collecta eis qui animo cernere & iudicare poſſunt,quid benè,quid contrà conſtitutum ſit,& quæ quibus apta ſint,uſui eſſe poterunt: Ii autem qui hæc ſine habitu perſecuti fuerint, rectè iudicandi facultatem quidem ſibi nunquàm comparabunt, niſi fortè temerè & aliquo caſu:*Intelligẽtiores *autem fortaße in his poterunt eſſe.*Cùm *igitur ſuperiores illi legum ferendarum rationem exquirere atq; inueſtigare omiſerint, operæ pretium fortaſſe faciemus,ſi nos ipſi de ea,et omninò de omni reip. ſtatu commentemur, ut quantum in nobis eſt, tota quæ ad res humanas pertinet, philoſophia perfecta ſit.*Primùm *igitur ſiquid præclarè à ueteribus ſingillatim literis proditũ eſt,id perſequi conemur:deinde ex rerum publicarũ formis undiq; collectis, quæ res ciuitatibus et ſingulis rebus pub.interitum afferant,et quibus de cauſis aliæ benè,aliæ ſecus adminiſtrentur, uideamus.* His e*nim perſpectis et cognitis fortaſſe & qui ſit optimus reip. ſtatus, & quibus unanquanque remp. inſtitutis, quibusq́; legibus ac moribus temperari conueniat,ut ſit optima,planum fiet.* Exordiamur *igitur dicere.*

M. ANTONIVS MVRETVS

PVRIORIS AC POLITIORIS PHILOSOPHIAE STVDIOSIS. S. D.

QVANTA gratia, quantaq́; laus Dionyſio Lambino, homini omnium bonarum artium ſcientia inſtructiſsimo debeatur, cupio à vobis omnibus mea opera intelligi. qui cum, decem Ariſtotelis de moribus libros & reconditioris cuiuſdam doctrinæ, & eiuſmodi præceptionum, quarum ſingularis vtilitas ad omnes vitæ partes pertineret ac permanaret, refertos eſſe, cognoſceret, quicquid obſtare atque officere illorum, qui eos peruolutare cuperent, intelligentiæ videretur, id omne vt remoueret ac tolleret, nullum ſibi laborem detrectandum putauit. cumq́ue eorum, qui ſe ad philoſophiæ ſtudia conferunt, alij Græcæ linguæ gnari, Græce ſcriptos Ariſtotelis libros manibus terant: alij, quibus ad eam linguam perdiſcendam vel tempus, vel magiſter, vel animus defuit, interpretum operam neceſſariò deſiderent: vtriſque opem haudquaquam exiguam tulit. quippe cùm Græcorum exemplarium ſcripturam multis admodum locis ſeu librariorum oſcitans incufri, eua quæ alia fatalis calamitas deprauaſſet: con-

quiſitis vndique quàm potuit plurimis perbonis, perque veteribus libris, non paucos, eorum auxilio, locos emendauit: nonnullos etiam acumine ingenii, & naturali quadam εὐστοχίᾳ feliciſsime reſtituit: poſtremo quoſcunque amicorum in his libris inſignioris operæ aliquid aliquando poſuiſſe acceperat, eos ſibi adiutores ad tam præclari operis perfectionem comparauit. Hoc labore perfunctus, animum adiecit ad eoſdem libros, omni adhibita diligentia, latine interpretandos. videbat enim, qui hactenus interpretes extitiſſent, eorum partim, omni orationis ornatu, omni flore neglecto, id modo ſtudentes, vt cuiuſquemodi verbis philoſophi ſententiam exprimerent, horridum quoddam & agreſte dicendi ſectatos genus: alios, ſatis alioqui concinnos non inelegantium vocularum ſtructores, dum id agunt vnum, ne quod verbum ponant, quod non è Cicerone decerpſerint, ſæpenumero longiſsime ab Ariſtotelis ſententia aberraſſe: itaque alteros à multis, propter orationis aſperitatem, non attingi: alteros à doctis & intelligentibus, propter ſententiarū deprauationem, repudiari. Harum ipſe reprehenſionum vt in neutram incideret, magno ſtudio eniſus eſt: ac, quantum ego quidem iudicare poſſum, vel omnino, vel ex maxima parte, id quod voluit, conſecutus. Erit autem hic labor vtilis & fructuoſus non modo rudibus Græcarum literarum, (quanquam iis quidem plurimum) verum etiam eruditis. non enim parum ſæpe contingit, ut quod, Græce dictum, vel

opti-

optime intelligimus, id tamē latine exprimere nequeamus. cui difficultati vix vlla res melius, quàm accurata & diligēs huius generis librorum lectio, medeatur. Iam, cum hæc ſcriberem, facile proſpiciebam animo, tam laudabilibus amiciſsimi hominis vigiliis duo parata genera reprehenſorum fore: vnum, eorum, quibus philoſophiam polite eleganterq́; tractari non placet: quiq́; hac comendæ orationis cura, detrahi aliquid de illius dignitate opinantur. in quibus illud primum eſt, quod admirer: ſi ad rerum pulchritudinem verborum quoque ſplendor accedat, cui tandem id incommodo arbitrentur fore: aut in ſordibus & illuuie orationis quam tandem ipſi reperiant dignitatem. Nam Ariſtoteles profecto ipſe, & illius magiſter Plato, & qui ei ſucceſsit in ſchola, Theophraſtus, & ceteri deinceps, cum plurimum operæ ac ſtudii in rerum perueſtigatione poſuiſſent: illud quoq; ſtuduerunt, vt quæ ſcientia comprehendiſſent, ea optimo & ornatiſsimo dicendi genere explicarēt. Quin hoc liquido affirmare poſſe videor, multo magis ſolicitos in retinenda vocabulorum proprietate, quàm vllos alios ſcriptores, fuiſſe. Id ſi in Græca lingua factū eſt, cur in Latina fieri, quantum quidem ipſius inopia fert, non debeat, equidem non video. Nam illud quidem nihil ad hanc rem pertinet, quod ipſi mihi ſæpenumero obiectum eſt, cum aduerſus iſtos diſputarem: multos ſuperiori ætate egregios ac præſtantes philoſophos ſine vllis orationis pigmentis fuiſſe, multos

 etiam

etiam hodie viuere: multos contra noſtris temporibus exortos eſſe, qui philoſophiam ſe exornaturos profeſsi, ſummam ſuam rerum philoſophicarum inſcientiam prodiderunt. Equidem, ſi alterutrum deſerendum ſit, multo malim ſine orationis nitore cognitionem rerum, quàm ſine rerum intelligentia volubilitatem linguæ: neq; vnquam ita amens ſim, vt non aut diuini hominis Thomæ Aquinatis, aut Alberti Magni indiſertam Sapientiam ineruditæ multorum loquacitati infinitis partibus anteponam. Sed ſi quis hæc vtraque coniungere conetur, & ijs ipſis quæ ſanctiſsimi illi & eruditiſsimi homines horride & inculte, temporum magis, quàm ſuo vitio, tradiderunt, ornatum aliquem adhibere ſtudeat, quis vſque eò iniquus futurus eſt, vt eius induſtriam contemnendam potius, quàm commendandam putet? Alterum fortaſſe genus erit eorum, qui cauſſam nullam fuiſſe dicent, cur, poſt Ioachimum Perionium, quiſquam præterea his libris in Latinum ſermonem conuertendis admoueret manus. his ego reſpondere nolo. Scholia, quæ tum alijs, tum hac quoque de cauſſa, hiſce libris Lambinus adiecit, ea pro auctore ſuo reſpondeant, volo. quibus quidẽ in ſcholiis ſi ſummo ipſe iure cum Perionio agere voluiſſet, verendum erat, ne ſuſpicioſis hominibus, & omnia ad deteriorẽ partem accipientibus, non tam probandæ induſtriæ ſuæ, quàm alienæ vituperandæ ſtudio ad ea conſcribenda adductus videretur. Modum igitur tenuit, aut potius intra modum

dum conſtitit: & propoſitis paucis, de ceteris lectores voluit ſuſpicari: neque ſibi maiorem eruditionis & diligentiæ, quàm pudoris, & modeſtiæ rationem habendam eſſe duxit. Quare cum Lambinus ipſe omni laude, atque omni prædicatione dignus eſt: tum FRANCISCVS TVRNONIVS ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis ampliſsimus, cuius benignitate Lambini ſtudia fouentur, longe digniſsimus, pro cuius ſalute & incolumitate, quicunque hæc ſtudia colimus, aſsidue vota faciamus. Quòd vtinam & ceteri temporibus noſtris principes viri exemplum illius in alendis honeſtarum artium hominibus imitarentur: & qui eorum opibus fouentur, ocium ſuum huius exẽplo ad ſtudia laudandarum artium, pro ſua quiſque parte, adiuuanda conferrent. Valete. No. Mar. CIↃIↃLVIII. Patauio.

DIONYSII LAMBINI
SCHOLIA,
In Librum primum.

ET [1] CONSILIVM] ſtuduj ego in his libris vertendis ad vnam rem ſignificãdam, vna & eadem voce perpetuò ferè vti, præſertim quæ ad hanc diſputationem de moribus pertineret, & vel in definitione, diuiſioneque ac diſtinctione aliqua rerum diſſimilium adhiberetur, vel ipſa definiretur, atque ab alijs diſtingueretur: idque eo conſilio feci, vt & planior eſſet oratio, & ne cõturbaretur lector variarum vocum pro re eadem multitudine. *Προαίρεσις* igitur quid ſit apud Græcos ſciunt ij qui Græcas literas vel ſummis digitis attigerunt: quæ vox Latina huic græcæ reſpondeat, id verò obſcurum eſt. neque deſunt qui vllam eſſe in tota lingua latina negẽt: atque in hac ſententia P. Victorium virum doctiſs. eſſe audio: qui cùm hos libros Florentiæ explicaret, græco vocabulo *προαίρεσις*, cùm latinè loqueretur, ſemper vtebatur. Iam quòd nonnulli propoſitum vertunt, in quibus eſt Perionius, id faciunt minus rectè. propoſitum enim vel finis eſt, vel de fine dicitur, vt ex M. Tullio multis locis cognoſcere licet. epiſt. lib. 1. cùm omnibus nobis propoſitum eſſe debeat id, quod à me ſæpiſſimè dictum eſt, cum dignitate otium. & ibid. neq; mihi in omni vita tam erit res vlla propoſita, quàm vt quotidie vehementius te de me optimè meritum eſſe lætère. lib. 4. de finib. ſi congruunt ipſa ſibi, & à propoſito non aberrant. & lib. 5. omnem naturam eſſe conſeruatricem ſui, idq; habere propoſitum quaſi finem & extremum, ſe vt cuſtodiat in quàm optimo ſui generis ſtatu. At Ariſtot. lib. 3. *τὴν προαίρεσιν* vult eſſe eorum, quæ ad finem pertinent. Neque verò delectus eſt. Eſt enim nomen hoc anguſtius, quàm vt huic loco atque ei rei, quæ græco vocabulo notatur, ſignificandæ aptum ſit: vt cum dicebat

Cæſar

Cæſar verborum delectum originem eſſe eloquentiæ: delectus hîc electionem huius vel illius rei ſimpliciter ſignificat. at προαίρεσις eſt pluribus rebus, quæ ſub actionem cadunt, propoſitis, vnius, quam agamus & ſequamur, cum diu, multumque deliberauerimus, electio. Ne conſilium quidem eſt, ſi pro eo, quod Græci συνέδριον, id eſt conſeſſum, vel pro eo quod συμβουλὴν dicunt, accipias. Eſt enim conſilium vox πολύσημος, ſignificatque & conſeſſum, vt diximus: (atque ita M. Tullius ſenatum orbis terrarum conſilium, & alio loco ſapiens conſilium nominat) & συμβουλὴν id eſt rationem quandam rei agendæ vel non agendæ ab altero excogitatam, & alteri datam, nondum deciſam tamen neque fixam: (eſſet enim tum προαίρεσις) & ſuaſionem: de quibus in his libris non diſputat Ariſtot. Inſtitutum autem latius patet, neque in hac re, quæ græco vocabulo ſignificatur, locum habet. Denique eorum vocabulorum, quibus ad eãdem rem vtitur, multitudo, argumento eſt illum non habuiſſe conſtitutum, quo potiſſimùm vteretur. At ſanè præſtabat vno aliquo ſemper vti, quàm tot nominibus vnã rem ſignificantibus lectoris docilitatem, memoriamque conturbare. Ego igitur & προαίρεσιν conſilium appellaui & προαιρεῖσθαι conſilium capere latinè reddidi. ac de hoc quidẽ ſuo loco dicemus, ſimulque cur ita verterim, rationem afferemus. conſilium autem idem valere interdum apud latinos quod apud græcos προαίρεσις, id eſt ratio rei agendæ, vel non agendæ explicata, fixa, & conſtituta, declarant exempla ex Plauto & M. Tullio. Plautus igitur, in Aulularia.

Narraui amicis multis conſilium meum de conditione hac:
Euclionis filiam laudãt, ſapienter factum, & conſilio bono.

M. Tull. in Lucullo. Nec verò ſatis conſtituere poſſum quod ſit eorum conſilium, aut quid velint. Idem Philip. XI. nonne eo conſilio ex Italia profectus eſt, vt prohiberet Syria Dolabellam? & lib. v. de finib. Nam voluptatis cauſa facere omnia oportere cum etiam ſi nihil conſequamur, tamen illud ipſum conſilium ita faciendi per ſe expetẽdum & honeſtum & ſolum bonum ſit, nemo dicit. & off. I. Qui igitur ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus, conſilium vitæ omne contulerit, is conſtantiam teneat. & de finibus 3.

Quis eſt qui virorum fortium, atque omni virtute præſtantium facta, dicta, conſilia cognoſcens nulla omnino aſſciatur voluptate? quibus locis & conſilium προαίρεσις & conſilia προαιρέσεις græco nomine dici poſſunt.

2 Bonum aliquod appetere videtur] ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ. Perionius ſic. ad bonum aliquod refertur. non mihi videtur Perionius (pace eius dixerim) ſatis aptè hæc verba vertiſſe. Primum enim ἐφίεσθαι idem eſt quod ὀρέγεσθαι, quod valet appetere aut deſiderare. ſic idem Ariſtot. lib. 4. τῶν δ' ἀλλοτρίων οὐκ ἐφίενται aliena non appetunt: deinde non video cur fugere debuerit hoc loquendi genus, appetere bonum, quo & M. Tullius vtitur in lib. 2. de finibus, quo loco definit bonum, ut hîc Ariſtoteles. M. Tullij verba ſunt. Bonum ipſum etiam quid eſſet fortaſſe, ſi opus fuiſſet, definiſſes: aut quod eſſet natura appetendum, aut quod prodeſſet. & paulo poſt. ſimulatq; natum animal eſt, gaudet voluptate, & eam appetit, vt bonum. Neque eſt quod mihi dicat quiſquam, quod quidam nuper obiecit, cùm hæc legeret, bonum id eſſe, quod omnia appetunt. dicebat autem ille inanima non poſſe dici appetere latinè. acutum verò hominem. cur magis Ariſtoteles aut Græcus alius ita loquetur πάντα τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεται quàm latinus omnia bonum appetunt? Atqui etiam apud M. Tullium, ſi exemplum quæritur, res inanima dicitur appetere, quamuis impropriè. ſic enim ille in Rullum. In hac partitione ornatus non plus victoria Marcelli populo Romano appetiuit, quàm humanitas. & Tuſcul. 1. ſic hæ duæ partes vna ignea, altera animalis rectis lineis in cœleſtem locum ſubuolent, ſiue ipſa natura ſuperiora appetentes, ſiue quòd à grauioribus leuiora natura repellantur. Poſtremò aliud eſt ad aliquid referri, aliud aliquid appetere. quanuis enim finis & bonum re ſint eadem, aliter tamen (ſi proprias definitiones, & exquiſitas adhibere volumus) bonum definimus, aliter finem. nam finem id eſſe dicimus, ad quod cetera referuntur, vel cuius cauſa aguntur: bonum autem id quod omnia appetunt, ut hoc loco teſtatur Ariſtoteles à veteribus eſſe definitum.

3 Muneris functiones] ſic ἐνεργείας Latinè reddidi, vt quem-

quemadmodum Ariſtot. duobus græcis nominibus vtitur, *πρᾶξις* & *ἐνέργεια*, ſic & nos duobus latinis vteremur actio & functio muneris. Nam *ἐνεργεῖν* commodè latinè fungi munere verti poſſe, ex bonis linguæ latinæ auctoribus intelligere licet. Cæſar lib. 7. hunc ex proximis vnus iacentem tranſgreſſus eodem illo munere fungebatur. M. Tull. de diuinat. lib. 2. poſſunt aliquando oculi non fungi ſuo munere. & Tuſcul. 1. nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ functus eſt munere. ibidem. conturbatus oculus non eſt probè affectus ad ſuum munus fungendum. Itaque *κατ' ἀρετὴν ἐνεργεῖν* virtutis munere fungi latinè reddere ſolemus, & *ἐνέργειαν* functionem muneris. nam & M. Tullius ſic laborem definit lib. ſecundo Tuſcul. functionem quandã grauioris operis ac muneris.

4 Vni alicui facultati] ſecutus ſum libros quoſdam veteres in quibus ita ſcriptum eſt, *ὑπὸ μίαν τινὰ δύναμιν*: atque hanc ſcripturam confirmat Euſtrat. Alij libri quos ſecutus eſt vetus interpres, habent *ἀρετὴν*. quæ vox ſine dubio, ſi demus eam eſſe veram lectionem, valet hoc loco *δύναμιν*.

5 Optabiliores] ſcio optabile id eſſe propriè & vſitatius, quod Græci dicunt *εὐκτὸν*. & optare *εὔχεσθαι*, aliudque eſſe *αἱρεῖσθαι* & *αἱρετὸν*, quàm *εὔχεσθαι* & *εὐκτὸν*. Veruntamen in hac linguæ latinæ inopia cùm videam Græco vocabulo *αἱρετὸν* nullum aliud Latinum reſpõdere, quàm eligibile, quod vſus improbat, ac reſpuit, peto vt mihi ignoſcãt ij homines quibus aures ſunt teretes ac purgatæ, ſi optabile interdum pro eo, quod Græci dicunt *αἱρετὸν*, vſurpo, præſertim cum M. Tull. lib. 2. de finib. ea ipſa voce latina videatur Græcam *αἱρετὸν* reddidiſſe his verbis. Quæ honeſta & recta ſunt, ipſa per ſe eſſe optabilia. & offi. 1. hoc erat tertium quod de interitu Hippolyti iratus optauit: & de claris oratoribus. Quando autem dubium fuiſſet apud patres noſtros, eligendi cui patroni daretur optio, quin Antonium, optaret, aut Craſſum? & Virgil. æneid. 1. Pars optare locũ tecto: vbi notat Seruius optare valere *αἱρεῖσθαι* id eſt eligere.

6 Facilius id quod expetere] *μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος*. Perion. ſic. facilius decorum aſſequemur. aliud eſt *τὸ δέον* quod ducitur à verbo *δεῖν* oportere: aliud *τὸ πρέ-*

πον quod M. Tullius decorum appellat.

7 Vt eius formam adumbremus] Ariſto. τύπῳ γε περιλαβεῖν. quid ſit τύπῳ καὶ ἐντύπῳ nemini obſcurum eſt. Sed qui hos libros verterunt, non ſatis aptè Latinè reddiderũt. Alij enim craſſa & pingui Minerua, alij craſſiore doctrina. ego τύπον rudem formam aut imaginem commodè Latinè reddi poſſe arbitror. Iam formam rei adumbrare, aut rem informare ex M. Tullio ſumpſimus. ſic ille orat. perf. excellentis eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrabimus. & ibidem. informabo qualis fortaſſe nunquàm fuit.

8 Nam etſi idem] Ariſtot. εἰ γὰρ καὶ: mendosè Perionius. Etenim ſi &c.

9 Ciuitatis tamen bonum & conſequi] τὸ τῆς πόλεως καὶ λαβεῖν καὶ σώζειν. Perion. remp. capeſſere. nihil ad ſententiam Ariſtotelis. non enim hîc quæritur, de capeſſenda rep. ſed de ciuitatis bono inueniendo ac tenendo. Quis Græcorum autem ita locutus eſt, λαβεῖν τὸ τῆς πόλεως ἀγαθὸν, pro eo quod latini capeſſere remp. dicunt? λαβεῖν hoc loco mihi poni videtur pro reperire, vel intelligere, vel conſequi. ſic idem Ariſt. lib. 1. περὶ ζώων γενέσεως, λάβοι δ' ἄν τις ἐκ τούτων καὶ τὸ ἄρρεν πῶς συμβάλλεται εἰς γένεσιν. i. Ex his intelligere licet quomodo mas ad animal gignendum adiuuet. & primo lib. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ de Empedocle. λάβοι δ' ἄν τις αὐτὸ θεωρῶν ἐκ τῶν ἐπῶν. id eſt. id autem ex eius verſibus ſi quis inſpicere velit, intelligere licet. & infrà lib. nono. Εἰ δὴ λάβοιμεν τὸ φίλαυτον πῶς ἑκάτεροι λέγουσι, τάχ' ἂν γένοιτο δῆλον, & lib. 3. περὶ δ' ἂν φρονήσεως οὕτως ἂν λάβοιμεν. & ῥητορ. primo. μέγιστον δὲ καὶ κυριώτατον ἁπάντων πρὸς τὸ δύνασθαι πείθειν, καὶ καλῶς συμβουλεύειν, τὰς πολιτείας ἁπάσας λαβεῖν. & horum lib. 2. ληπτέον οὖν ταῦτα ἐκ τῆς διαγραφῆς.

10 Docendi ſubtilitas] τὸ ἀκριβές. ille limatum accuratumque dicendi genus. non quæritur hic de tribus illis dicendi generibus, quæ M. Tull. exponit in orat. perf. ſed negat Ariſtoteles ſubtilitatem illam limatam docendi peræquè in omni diſputatione ac ſermone deſiderari.

11 Quemadmodum nec] Ariſt. ὥσπερ οὐδ' ἐν τοῖς. Perionius omiſit negationem quæ tamen reperitur in omnibus codi-

codicibus emendatis.

12 Vt lege tantummodo, non natura conſtare] hac de re plura dicemus in commentariis noſtris in Horatium ad illum locum. Atque ipſa vtilitas iuſti prope mater & æqui.

13 Aliis fortitudo exitio] non erat quòd quicquàm ad hunc locum annotarem, niſi quidam doctiſſimi viri, cũ quibus hos libros contuli, vereri ſe mihi dixiſſent, ne non ſatis aptum eſſet huic loco fortitudinis nomen, propterea quòd ſignificaret hîc Ariſtoteles non habitum animi cum ratione coniunctum &cet. ſed robur corporis potius. Quibus cum reſponderem mihi æquè fortitudinis nomine ad vtrunque ſignificandum vti licere, vt Ariſtoteles nomine *ἀνδρίας* ad vtrunque vſus eſſet, quærebant exempla. ego autem M. Tullium ſtatim protuli, cuius hæc verba ſunt offi. 1. in feris ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, vt in equis, in leonibus: iuſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. quo loco perſpicuè fortitudinis nomen pro corporis robore vſurpat. Quemadmodum igitur græcum *ἀνδρία* impropriè ad corpus quoque accommodatur, ſic & latinum fortitudo. Simile eſt id quod de virtutis nomine infrà dicemus. quæ & ipſa in equo, verbo, opere, & alijs dicitur.

14 Probabilibus rationibus] Ariſt. *πιθανολογοῦντος*. nõ rectè Perionius. Vtrùm mathematicum ſuadentem probes: non enim hîc quæritur de ſuaſione aut diſſuaſione, ſed hoc ait, quemadmodum non eſt audiendus mathematicus, qui rationibus probabilibus & dialecticis vtatur, ſic non eſſe ab oratore demonſtrationes ideſt argumentationes neceſſarias flagitandas.

15 Et horum bonus eſt iudex] *καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής*. Perio. æquus æſtimator. mallem dixiſſet exiſtimator, tolerabiliusque fuiſſet. exiſtimare enim interdum iudicare, aut certè opinari eſt. Cic. de orat. lib. 2. nullius rei quæ quidẽ eſſet in his artibus, de quibus aliquid exiſtimare poſſem, rudem aut ignarum eſſe viſum. ibid. non ſtultus alieni artificii exiſtimator. Brutus Ciceroni. Quanta ſim lætitia affectus cognitis rebus Bruti noſtri & conſulum, facilius eſt tibi exiſtimare, quàm mihi ſcribere. & de claris oratoribus tantum detraxit, quantum non quiuis vnus è populo, ſed exi-

ſtima-

ſtimator doctus,& intelligens poſſet cognoſcere. Idem in top. ſed vulgi opinio mutari vix poteſt, ad eamque omnia dirigunt,& qui iudicant, & qui exiſtimant. Et partit. cũ aut augendi alterius, aut minuendi ſui cauſa alia dici ab oratore, alia exiſtimari videntur. Aeſtimator autem & æſtimare plane hoc loco inepta ſunt. Sed negat ille eleganter atque adeo latinè dici bonus iudex, cum M. Tull. ita loquatur tamen. ſic enim verr. 6. Eſt boni iudicis paruis ex rebus, coniecturam facere vniuſcuiuſque & cupiditatis & incontinentiæ. & ſeptima. Iudex bonus eſſe nemo poteſt qui ſuſpicione certa nõ mouetur.ſed quid religioſius quàm quod idem alibi non eſt auſus dicere boni citharœdi, ſed clari? quaſi verò clarus citharœdus idem ſit latinè quod apud Græcos σπουδαῖος κιθαρῳδὸς.

16 Vt & incontinentibus] τοῖς ἀκρατέσι. lege hac de re ſcholia numeri 66.hoc lib. ἐγκρατῆ & ἐγκράτειαν continentem & continentiam. ἀκρατῆ καὶ ἀκράτειαν. incontinentem & incontinentiam multorum virorum doctorum exemplo latinè reddidi,eiſdemq; vocibus ſemper vſus ſum. neque putaui mihi fugienda nomina incontinens & incontinentia,quorum altero Plautum, Terentium, Horatium, altero etiam M. Tullium vſos eſſe ſcio. Prætereà quanuis ſciam impotentem eum eſſe qui ſeſe continere, ſibique imperare non poſſit, quæ vis eſt vocabuli græci ἀκρατὴς, incontinens tamen & incontinentia proptereà quòd oppoſitionem habent ad continentem & continẽtiam propiorem ac faciliorem,magis mihi probata ſunt.

17 Sed hoc ignorare non debemus] μὴ λανθανέτω δ' ἡμᾶς. Perio. Sed hoc obliuiſci non debemus. Aliud eſt λανθάνειν, aliud ἐπιλανθάνεσθαι. illud eſt latere, obſcurum & incognitum eſſe: hoc obliuiſci & immemorem eſſe.

18 Principium enim eſt rẽ ita eſſe] Ariſt. τὸ ὅτι. id eſt τὸ εἰδέναι ὅτι ἐστὶ. Docet autem ille lib. 2. ἀναλυτ. ὑστέρων totidem eſſe ea quæ quæruntur, quot ea quæ ſcimus. Scimus porrò quatuor, rem eſſe, quid ſit res, talem rei effectum eſſe, ſeu ita rem ſe habere, cur ita res ſe habeat. quibus totidem reſpondent quæſtiones an ſit, quid ſit, an ita ſit, cur ita ſit. Verba Ariſt. hæc ſunt ordine commutato. τὰ ζητούμενα

μένα ἐστιν ἴσα τὸν ἀριθμὸν, ὅσαπερ ἐπιστάμεθα. ζητοῦμεν δὲ τέτταρα, τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστι. i. totidem ſunt ea quæ quæruntur, quot ſunt ea, quæ ſciuntur. quærimus autem quatuor, an ita ſit, cur ita ſit, an ſit, quid ſit. malè igitur Perio. qui vertit τὸ ὅτι rem eſſe. ſcire enim τὸ ὅτι non eſt ſcire rem eſſe, ſed ita rem ſe habere. verbi gratia ſolem deficere, mundũ æternum eſſe.ſcire autẽ rem eſſe, reſpõdet q̃ſtioni εἰ ἔστι.i.an res ſit ſimpliciter:quæ lõgè alia eſt à quæſtione ὅτι. Iam hæc loquendi forma quærere ὅτι, vel quæſtio ὅτι, nata eſt à Græcorum loquendi conſuetudine. cum enim ſignificabant ſe ſcire rei alicuius effectum, verbi cauſa lunam deficere, dicebant ſe ſcire ὅτι ἐστὶ .i. rem ita ſe habere, quod latini philoſophi barbarè loquentes verterunt, ſcire quia eſt, vel quòd eſt. Itaque quærere τὸ ὅτι, quod vulgò appellant in ſcholis quærere quia, eſt quærere de effectu rei. Iccircò dixit Ariſt. primo lib. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, vel, vt eruditiores appellant, περὶ σοφίας, τοὺς ἐμπείρους τὸ ὅτι μὲν εἰδέναι, διότι δ᾽ οὐκ εἰδέναι. id eſt vſu peritos ſcire τὸ ὅτι: exempli cauſa ſcire hanc radicem eſſe ad hoc vulnus ſanandum vtilem: cur ſit vtilis autem, neſcire. Ait igitur hoc loco Ariſtot. benè moratum eum eſſe oportere qui intelligere cupiat diſputationem de virtutibus, & omnino de rebus ciuilibus: vultque hoc eſſe omnibus perſuaſum tanquã principium quoddam: cur ita ſit, non admodum eſſe quærendum. Sic infrà cùm poſuiſſet humanum bonum eſſe muneris animi functionem cuiuſdammodi ex virtute &c. ſtatim ſubijcit ſatis eſſe hoc indicaſſe, neque quærendum eſſe quamobrem ita ſit. M. Tullius orat. perſ. poſteà quàm oſtẽdit etiam in oratione numeros locum habere, ſic loquitur. Eſſe igitur numerum quendam in oratione non eſt difficile cognoſcere. iudicat enim ſenſus, in quo iniquum eſt, quod accidit, non agnoſcere, ſi cur accidat, reperire nequeamus. Ariſtoteles in eo libro, quem modo commemoraui περὶ σοφίας, ſcribit ſenſus nulla de re, cur ita ſit, iudicare, verbi cauſa, cur ſit ignis calidus: ſed tantùm effectum rerum ſentire; verbi cauſa, ignem eſſe calidum, aquam eſſe frigidam. Verba Ariſtot. hæc ſunt, ἀλλ᾽ οὐ λέγουσι τὸ διὰ τί περὶ οὐδενὸς, οἷον διὰ τί θερμὸν τὸ πῦρ, ἀλλὰ μόνον ὅτι θερμόν.

19 Optimus ille quidem] *οὗτος μὲν πανάριστος.* Verſus ſunt Heſiodi omnibus noti. Perionius Virgilij verſum vnum atque alterum duobus primis Heſiodi oppoſuit. Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas &c. ſed quorſum, cùm aliud Heſiodus loquatur, aliud Virgilius? ſcilicet vt Ciceronis verba, & ſententias integras inculcat, etiam ſi nihil ad Ariſtotelis ſententiam pertineant, ita Virgilij verſibus, qui ei viſi ſunt elegantes & ornati, vt reuera ſunt, Heſiodum nobis interpretari voluit, eò fortaſſe quòd aliquid de felicitate loqui videbantur. Hanc Heſiodi ſententiam ad uerbum ferè T. Liuius exprimit lib. xxxII. ſub Minutij perſona. ſæpe ego audiui milites eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quod in rem ſit: ſecundum eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenii eſſe. eandem uſurpat M. Tull. in Cluentiana. Sapientiſſimum eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius benè inuentis obtēperet. & Sophocles in Antigone. *φημ᾽ ἔγωγε πρεσβεύειν πολὺ Φῦσαι τὸν ἄνδρα πάντ᾽ ἐπιστήμης πλέω Εἰ δ᾽ οὖν, φιλεῖ γὰρ τοῦτο καὶ ταύτῃ ῥέπειν, Καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν.*

20 Et odioſiſſimi] *φορτικώτατοι* Perion. importuniſſimi, non ſatis mihi probatur. *φορτίον* eſt onus. *φορτικὸς* igitur latinè puto commodè verti poſſe odioſus, inſolens, non ferendus, vel vt placet Adriano Turnebo viro Galliæ noſtræ doctiſs. cuius ſententiam in his libris vertendis ſtudioſè exquiſiui, cuiusque iudicium multis locis ſecutus ſum, in eptus. Cicero quidem de orat. lib. I. videtur inſolentē pro eo quem græci *φορτικὸν* nominant, poſuiſſe. ne in re nota multus & inſolens ſim; & in orat. perf. idem ſignificaſſe videtur duobus nominibus. Nihil inſolens atque ineptum. vtitur autem hac voce *φορτικὸς* in his libris ſæpius Ariſt. locos proponemus omnes ob oculos, vt quiuis intelligere queat, græco vocabulo hæc latina ferè æqualiter reſpondere. lib. quarto igitur vbi de magnanimo loquitur, *ἐν ἐκείνοις μὲν σεμνύνεσθαι οὐκ ἀγεννές, ἐν δὲ τοῖς ταπεινοῖς φορτικόν.* id eſt inter illos gloriari, generoſi hominis eſt: inter humiles autem & infimos, odioſum, vixque tolerabile. & eod.

lib.de ridiculis. οἱ μὲν οὖν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες, βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι, καὶ φορτικοὶ γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου. quæ ſic vertimus. Atque ij quidem qui riſu mouendo vltra modum prodeunt, ſcurræ videntur eſſe odioſique homines ac non ferendi, qui omne ſuum ſtudium in ridicula conferunt. & lib. decimo. οἱ δὲ σώφρονες τί ἂν εἶεν, ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος ὅτι οὐκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας. Iam verò vtrum Deos dicemus eſſe temperantes? an odioſa, minimeque ferenda deorum laus futura eſt, ſi dicamus eos vitioſis cupiditatibus carere? & primo φυσικῆς ἀκροάς. μᾶλλον δὲ ὁ Μελίσσου λόγος φορτικὸς, καὶ οὐκ ἔχων ἀπορίαν. id eſt odioſior autem Meliſſi ratio eſt, minusque ferenda & quæ dubitationem non habet. Aelianus autem in ſecundo ποικίλ. ἱστορ. πολυτελῆ δεῖπνα καὶ φορτικὰ appellat cœnas ſumptuoſas, & graues ijs, qui eis delectentur.

21 Politi verò homines] οἱ δὲ χαρίεντες. ſic M. Tull. academic. 2. Propter id quod docetur à politioribus phyſicis, ſingularum rerum ſingulas proprietates eſſe. χαρίεντας dici puto à græcis quos lepidos, feſtiuos, atque humanitate politos appellamus.

22 Sed videtur eo quem quærimus, exilior] φαίνεται δ' ἐπιπολαιότερον εἶναι τοῦ ζητουμένου. ſcio ἐπιπόλαια ea eſſe quæ extant, quæ eminent, quæ ſunt denique in ſumma terræ vel aquæ extremitate. ſed ſignificat Ariſtoteles hunc finem firmum, ſtabilem, diuturnum, ſolidum nõ eſſe, quemadmodum nec ea ſolent eſſe fixa, nec diuturna, quæ non ſunt altius in terram defixa, aut defoſſa. Tertio rhetoricorum autem ἐπιπόλαια nominat τὰ παντὶ δῆλα καὶ ἃ μηδὲν δεῖ ζητῆσαι.

23 Vt credant ſe ipſos bonos eſſe] ἵνα πιστεύωσιν ἑαυτοὺς ἀγαθοὺς εἶναι. Perionius mendosè vertit. vt opinionem alijs afferant ſe eſſe probos. ſententia Ariſtotelis hæc eſt. honorem expetunt nonnulli, vt credant ipſi alijs ſe bonos eſſe. Multi enim ſunt qui aliorum de ſe iudicio, atque orationi maiorem fidem habent, quàm ſibi, ſuæque conſcientiæ. quod genus hominum reprehendit Horatius in epiſt. ad Quintium. Tu rectè viuis ſi curas eſſe quod audis: Iactamus iampridem omnis te Roma beatum: Sed vereor

ne

ne cui de te plus quàm tibi credas. ſed quis Ariſtotelis ſententiam melius, quàm ipſe Ariſtoteles explicare poteſt? hic ſic infrà loquitur lib. octauo. *οἱ δ᾽ ὑπὸ τῶν ἐπιεικῶν, καὶ εἰδότων ὀρεγόμενοι τιμῆς, βεβαιῶσαι τὴν οἰκείαν δόξαν περὶ αὑτῶν ἐφίενται. χαίρουσι δὴ ὅτι εἰσὶν ἀγαθοὶ πιστεύοντες τῇ τῶν λεγόντων κρίσει*. Lætantur (inquit) tales homines, eorum qui id dicant, iudicio credentes. idem *ῥητορ. καὶ τιμὴ καὶ εὐδοξία τῶν ἡδίστων, διὰ τὸ γίγνεσθαι φαντασίαν ἑκάστῳ, ὅτι τοιοῦτος καὶ σπουδαῖος, καὶ μᾶλλον ὅταν φῶσιν, οὓς οἴεται ἀληθεύειν*. i. honos & bona fama in rebus iucundiſſimis numeranda ſunt, quia ſe quiſque cogitatione talem, & virum bonum depingit, multoque adeo magis cum hoc dicunt ij, quos vera loqui arbitratur. In eundem ſcopulum offendit Strebæus, qui ita vertit, vt fidem faciant ſe bonos eſſe. Atqui quis neſcit *πιστεύειν* eſſe fidem habere & credere? fidem facere autem, & perſuadere, dici à græcis *πείθειν*? nec me cõmouet quòd *πίστεις* apud græcos probationes appellantur. ex quo quidam Græcorum interpretes *πιστεύειν* volunt eſſe probare & confirmare lib. 2. *ἀναλυτ. προτέρων*, quod nihil ad ad hunc locum pertinet. Stultum igitur & ridiculum mehercule hoc hominum genus eſt, qui cum ſibi ipſi pulchrè noti ſint, ſciantque nullam ineſſe in ſe virtutem, nihil denique ſe laude dignum vel à natura, vel à diſciplina habere, laudari tamen ab alijs virtutis nomine volunt, atque hac inani & falſa aliorum de ſe prædicatione paſcuntur, ac delectãtur.

24 Propoſitum admirabile] *θέσιν*. ſcio ab Ariſtot. *θέσιν* ſic definiri lib. topicorum 1. *θέσις ἐστὶν ὑπόληψις παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς κατὰ φιλοσοφίαν, οἷον ὅτι οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης. ἢ ὅτι πάντα κινεῖται*. Sed cum videam *θέσιν* propoſitum à M. Tullio nominari, ſintque theſes opinationes admirabiles, & præter omnium ferè opinionem, vt vult Ariſtot. mihi viſus ſum hoc loco ſic theſin rectè appellare poſſe. poteram & exiſtimationẽ ſeu opinationem admirabilem nominare.

25 In ijs libris dictum eſt] Quoſnam libros fuiſſe dicemus *ἐγκύκλια*? an qui omnium artium doctrinam, & quaſi orbem diſciplinarum continerent? an potius qui quæſtiones quotidianas & peruagatas, & quæ quotidianorum miniſteriorum

niſteriorum inſtar in orbem redeunt, cõplecterentur? Cum hos libros iam pridem à me in Gallia in latinum ſermonẽ verſos, anno ſuperiore in Vmbria recognoſcerem ac veluti recuderem, accuratiusq; mecum cogitarem, qui fuiſſent hi libri, neq; mihi quicquàm in mẽtẽ veniret, in quo acquieſcerẽ, viſum eſt mihi ad Guliel. Sirletum virum doctiſs. olim Pontificis Maximi Marcelli ſecundi, nũc Pauli IIII itidem familiarem ac domeſticum, ſcribere, ab eoq; petere, vt mihi ſuã ſententiã hac de re per literas exponeret. ille autẽ vt eſt cùm in omnes humaniſſimus, tùm mihi peramicus, ſic reſcripſit. Sirletus Lambino S. Peto abs te mi Lambine vt des veniam, ſi tuis literis tam ſerò reſpondeo. ſum enim tot ac tantis occupationibus diſtrictus, vt vix calamum in manum ſumere queam. ignoſces igitur occupationibus meis. Quod quæris quoſnam fuiſſe putem libros illos, quos Ariſtoteles ἐγκύκλια nominat, ego exiſtimo ſic ab illo philoſopho nominari libros eos, qui non de vna aliqua certa materia, ſed de quæſtionibus omnium diſciplinarũ ſcripti ſint, vt προβλήματα & res huiuſmodi. Εγκύκλια enim ſcimus apud auctores dici ea quæ non ad vnam rem, ſed ad vniuerſas pertinent, vt Plutarch. ἐν τῷ περὶ παιδῶν ἀγωγῆς, ἐγκύκλια παιδεύματα appellat, quæ orbem diſciplinarum comprehendunt. ſic & apud nonnullos ſcriptores animaduerti ἐγκυκλίους ἐπιστολὰς nominari, quæ non ad aliquem certum hominem, ſed ad omnes prouincias mittebantur. hæc habui quæ tibi hac de re ſcriberem. ſi quid præterea occurret, ſcribam poſteà. nunc te rogo vt me ames, vt facis. Vale Romæ quarto nonas Ianuar. 1557.

26 Lubrica ſanè atque ardua) Ariſt. προσαντεῖς τῆς τοιαύτης γενομένης ζητήσεως. Non dicit Ariſtoteles hanc quæſtionem eſſe difficilem aut obſcuram, aut vix explicabilem, ſed προσάντη idest arduam, vixque tractabilem. quemadmodum Salluſtius ait in primis arduum ſibi videri res geſtas ſcribere. non enim arduum (inquit Gellius) pro difficili tantum, ſed pro eo quoque ponit, quod græci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant: quod eſt moleſtum quoque & incommodum & intractabile.

27 Ipſum quicque] αὐτοέκαστον. Vide Platonem lib.

6. de rep. quo loco ſic appellat vniuſcuiuſque rei formam ſeu ideam.

28 Nam quà homo ſit] ᾗ ἄνθρωπος. Perion.quia homo ſit.à quo magnopere diſſentio, quanuis oſtendere conetur M. Tullium ita hanc particulam ᾗ vertere ſolere. ſed errat mea quidem ſententia. Nam in illis omnibus exemplis, quę profert ex M. Tullio, illud quia, reſpondet uoci græcæ ὅτι, non ᾗ. quà autem, quo uocabulo ſæpe vtitur M. Tullius, aptiſſimum mihi ad hanc particulam ᾗ latine reddendam videtur eſſe. ſic Paulus Iuriſconſ. ad legem falcid. ſed nec ille, qui filium alienum poſſidet, tantum habet, quanti eum patri vendere poteſt, ſed in præſentia non quà filius alicuius, ſed quâ homo, æſtimatur. quâ valet qua ratione. ſic Catull. ad ſeipſum. Difficile eſt, verùm hoc quâlibet efficias. i. qualibet ratione: et idẽ ad Rauidum. Quid vis? quâlibet eſſe notus optas?

29 In bonorum ordine] conſtituebant Pythagorei duplicem ordinem: vnum bonorum, alterum malorum, hoc modo.

συστοιχία id eſt coniunctio & ſocietas ordinis.

ordo bonorum	ordo malorum
vnum	multitudo
mas	fœmina
finis, ſeu finitum	infinitum
dexterum	læuum
quieſcens ſeu immotum	quod mouetur
rectum	curuum
lux	tenebræ
impar	par.
quadrangulum	altera parte lõgius
mens ſeu intelligentia	opinio.
addunt quidam æquale	inæquale

30 An nihil aliud erit bonum præter ideam?] hæc ſunt legenda cum interrogatione, ita tamen vt membrum ſuperius proximum interpoſitionis nota includatur. alioqui ſic erũt

erunt vertenda,& enuntiando pronuntianda. hoc modo.aut nihil aliud erit per ſe bonũ. 31 Scilicet,vt in corpore] Ariſt.lib. de ſapientia 4.quatuor genera exponit eorũ quæ unum ſunt. alia .n. unum eſſe numero, alia vnũ ſpecie, alia vnum genere. alia vnum proportione. dicuntur autem vnum proportione, quæ inter ſe comparãtur vt aliud ad aliud. ſic Ariſt. κατ' ἀναλογίαν δὲ ὅσα ἔχει ὡς ἄλλο πρὸς ἄλλο. idem topicorum primo, ſimilitudinem eſſe quærendam in diſparibus generibus, ὡσ ἕτερον πρὸς ἕτερόν τι: οὕτως ἄλλο πρὸς ἄλλο: οἷον ὡς ἐπιστήμη πρὸς ἐπιστητὸν, οὕτως αἴσθησις πρὸς αἰσθητὸν, καὶ ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ τινὶ, οὕτως ἄλλο ἐν ἄλλῳ, οἷον ὡς ὄψις ἐν σώματι οὕτω νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ. illud γὰρ aũt qđ ẽ hoc loco ὡς γὰρ ἐν σώματι ὄψις. reddidi ſcilicet, & itellige hæc ſic ab Ariſ. dici quaſi ab eo qui probabilia loquatur, neq; audeat liquidò ita eſſe affirmare. ſolet enim Ariſtot. quærendo, & interrogãdo, quod ſibi uideatur, exponere, nõ enuntiãdo, in problematis maximè, & in diſputationibus ciuilibus ac moralib. vtpotè in quibus rationes nõ admodũ exquiſitæ neq; tenuiter limatæ adhibeantur.

32 Quæ nobis bona ſunt] τὰ ἡμῖν ἀγαθὰ. Perionius. ſalutaria: quaſi vero hîc de ſalute cuiuſquàm quæratur, aut quaſi ſalutaria & bona idem ſint.

33 Quodnam igitur cuiq;?] Ariſt. τί οὖν ἑκάστῃ τἀγαθὸν. ἑκάστῃ ſubau. πράξει καὶ τέχνῃ. non rectè igitur Perionius, Quid eſt igitur quod ſibi quiſq; bonum ſtatuit? debuerat ita vertere potius. quid eſt igitur quod ſibi quæq; ars & actio ſummum bonum proponit?

34 Sed dum huc & illuc labitur] Ariſt. μεταβαίνων δ' ὁ λόγος εἰς τὸ αὐτὸ ἀφῖκται. ſic Perionius. mutata enim tamẽ eodem ſpectat definitio. Quid ſibi hæc verba velint, non video. ea quidem ſcio ab Ariſtotelis ſententia plurimùm diſcrepare.

35 Mentem ſanam ac vegetam] καὶ νοῦν. dixiſſem intelligentiam vt ſæpe M.Tull. ſed cum infrà hoc nomine σύνεσιν appellem, ne eiuſdem nominis duas res ſignificantis errore conturbaretur lector, νοῦν interdum mentem ſimpliciter, interdum mentem ſanam ac vegetam Latinè reddidi, rarò intelligentiam.

36 Ex ea copia] *ἐκ τῆς αὐταρκείας*, pluribus verbis hæc vox *αὐτάρκεια*, cui nulla vna reſpondet latina, fuit declaranda. Eſt autem *αὐταρκὴς* is qui ſuis bonis contentus, ſatiſque copioſè inſtructus eſt, quiq; nullas externas opes deſiderat. Videtur mihi Lucret. lib. 1. vim huius nominis græci expreſſiſſe. ſic ille de natura diuina. Nam priuata dolore omni, priuata periclis Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri. & Horat. de natura humana. Diues opis natura ſuæ.

37 effici videtur] *συμβαίνειν*. Apud Ariſtot. *συμβαίνειν* multis locis eſt ex enuntiationibus antegreſſis conſequi, & concludi. atq; ita accipiunt hoc loco græci interpretes, quos ſecutus ſum. ſic *ῥητορ. α. τὸ δὲ τινῶν ὄντων ἕτερόν τι διὰ ταῦτα συμβαίνειν παρὰ ταῦτα, τῷ ταῦτα εἶναι ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἐκεῖ μὲν συλλογισμὸς, ἐν ταῦθα δὲ ἐνθύμημα καλεῖται.* & primo lib. priorum analyt. *συλλογισμὸς δ' ἐςὶ λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι.*

38 Eius propria] id eſt hominis. ſic enim Ariſt. *τοῦ λόγον ἔχοντος*. At Perionius ab Ariſtotelis ſentētia longè aberrat. ſic eni m ille, quæque ab ea parte animi proficiſcitur, quæ rationis eſt particeps.

39 Sed cum hæc vita &c.] duobus modis dicitur vita ad agendum apta. vno cum vſu & functione muneris, quid poſſit ac valeat, declarat, ideſt cum agit, & munere ſuo fungitur, altero cum agendi poteſtate non vtitur, neque vim ſuam experitur, ſed otioſa ac feriata eſt: exempli cauſa hominis liberalis vita ad agendum apta eſt, ſed hoc duobus modis: vno cum vi ac poteſtate tantum, cum habitu tamen, liberalis eſt, nihilque benignitatis aut beneficii confert in alterum, forte quia ei non ſuppetunt facultates: altero cum re liberalis eſt, viroſq; bonos egentes ſubleuat, beneficiiſq; afficit, & cumulat.

40 Idem autem genere] non minus latinè dici poſſe putaui idem genere, quàm id quod à M. Tullio dictum eſt in perfecto orat. ſpecie diſpar.

41 bonum] hæc eſt ſummi boni humani definitio quam commemorat M. Tullius lib. 2. de finibus, his verbis. Ariſto-

teles

teles virtutis vſum cum vitæ perfectæ proſperitate coniunxit.

42 Quam bonam actionem] εὐπραξίαν nominat Ariſtoteles.

43 Cuius quiſque rei nomine ac ratione] πρὸς ὃ λέγεται φιλοτοιοῦτος. hãc tam aptam nominum compoſitionem lingua latina non poteſt imitari, nedum aſſequi. φιλοτοιοῦτος autem is eſt qui rem aliquam quæcunque illa tandem ſit, amat. vt φίλιππος qui equos amat, φιλοθέωρος qui ſpectaculorum ſtudio ducitur.

44 Nefas eſt enim] ἀδύνατον. ſic M. Tullius in Timæo vertit ἀδύνατον. Atque illum quidem quaſi parentem huius vniuerſitatis inuenire difficile eſt, & cum iam inueneris, indicare in vulgus, nefas. ſic & Horat. ode XXIIII. libro I. Durum, ſed leuius fit patientia, Quicquid corrigere eſt nefas. & idem alibi. Tu ne quæſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi Finem Di dederint, quanuis non omnes hoc loco ſic accipiant.

45 Quaſi manci ac debiles] conatus ſum exprimere vim vocabuli græci πεπηρωμένοις id eſt debilibus aut debilitatis. debiles autem ſunt apud Latinos (vt ſciunt qui latini ſermonis vſum tenent) ii quibus aliquod membrum imminutum, fractum, aut corruptum eſt, quos græci ἀναπήρους appellant: infirmi verò & imbecilli alij ſunt ab illis. πεπηρωμένους autem ad virtutem nominat Ariſtoteles per tranſlationem eos, quibus ita vel natura, vel fortuna inimica eſt, vt virtutem adipiſci nullo modo poſſint.

46 Cuiuſdammodi] ποιάτις. ſic M. Tullius lib. v. de finib. Iam verò animus non eſſe ſolùm, ſed etiam cuiuſdammodi debet eſſe.

47 Certo quodammodo affectos] ποίους τινάς. poterã & ſic vertere, cuiuſdammodi. vt ſuprà.

48 Solonis ſententia] hac de re Herod. libro primo. Atque hanc eandem ſic expreſſit Sophocl. in Trachin. ſub perſona Deianiræ.

Λόγος μὲν ἔς ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανεὶς,
Ὡς οὐκ ἂν αἰῶν᾽ ἐκμάθοι βροτῶν, πρὶν ἂν
Θάνῃ τις, οὔτ᾽ εἰ χρηστὸς, οὔτ᾽ εἴτῳ κακός. &c.

49 Infortuniorum] δυϛυχημάτων. infortunium vocabulum eſt Plauto & Terentio vſitatum, ne quis forte minus exercitatus in lingua latina ſecus exiſtimet.

50 Et qui ſupremum uitæ diem conuenienter] Ariſtot. τελδυτήσαντι κατὰ λόγον. Perion. migraueritque conuenienter rationi. mendosè. verba enim illa κατὰ λόγον, præcisè poſita ſunt. plena autem eſſet oratio ſi ita dixiſſet, κατὰ λόγον τοῦ βίου uel τῶν βεβιωμένων. i. pro ratione vitæ ſuperioris, ſeu ætatis antè actæ. & ita loquitur infrà.

51 Atque hoc perſpicuum eſt] hunc locum ſatis (vt opinor) apertè vertimus. Veruntamen ſi quis forte huius rei exemplum quærit: finge parentes locupletes, honeſtos, magnificos, lenes, iuſtos fuiſſe: euenire poteſt longo interuallo vt eorum liberi ac poſteri alij egentes, alij turpes & infames, alij ſordidi ac præparci, alij iracundi, alij iniuſti, multisque alijs vitijs affecti, & fortunæ caſibus conflictati multùm ſint & illis, & inter ſe diſſimiles. Adrianus Turnebus vir doctiſs. has diſſimilitudines ad commutationes, varietateſq; fortunæ tantum referebat.

52 Beatitudinis dominæ ſunt] κύριαί εἰσι τῆς εὐδαιμονίας. ſic ſæpe loquitur M. Tullius. ſignificat autem in actionibus virtuti conſentaneis beatitudinis dominatum eſſe poſitum.

53 Omnium maximè] Ariſt. μάλιϛα πάντων. ſic habent boni codices non μάλιϛα πάντως. quam poſteriorem ſcripturam ſecutus eſſe videtur Perion.

54 Et culpa ſine quadratus] καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου. principium eſt verſus heroici neſcio cuius poëtæ. idem Ariſt. lib. ῥητορ. γ. ait virum bonũ quadratum appellari per tranſlationem quia vterque perfectus eſt.

55 Beatos autem, vt homines] ſic habent ſcripti codices, confirmatque hanc lectionem vetus interpres, μακαρίους δ' ὡς ἀνθρώπους. ſæpe autem hoc modo loquitur M. Tullius, veluti in Bruto. quorum vtriuſque orationes ſunt in primis, vt Aſiatico in genere laudabiles: ibid. orationes autem eius, ut illis temporibus, valdè laudo. & off. 3. Tùm Pythius, vt argentarius, qui eſſet apud omnes ordines gratioſus. & Tuſcul. v. At Diogenes liberius ut Cynicus. &c. & in

in Catone maiore,multę etiã vt in homine Romano literæ.

56 Ac veluti rudi imagine adumbrare] καὶ τύπῳ. ſuprà de hoc vocabulo ſatis multa diximus. Perion. Summatim & populariter. Summatim græci dicunt ἐν κεφαλαίῳ. populariter addidit de ſuo. eſt autem tralatio ducta à picturis primùm obſcurius adumbratis, deinde poſteà illuſtrius expreſſis.M. Tull.ad Att.lib. 4. τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς, ne iſtuc hoſpes planè veniam. ideſt præſentem reipublicæ ſtatum mitte ad me rudi quadam forma adumbratam. &cet.

57 immo verò de hoc quærendum.] μᾶλλον δ' ἴσως τὸ διαπορεῖσθαι. ego hunc locum aliquantum corruptum ita reſtituendum puto, μᾶλλον δ' ἴσως τόδε δεῖ διαπορεῖσθαι. Argyropylus quidem & vetus interpres horum verborum ſententiam expreſſerunt.

58 Sin aliter, at certè tantillum.] ſic. Ariſt. εἰ δὲ μή, τοσοῦτόν γε καὶ τοιοῦτον ὥστε μὴ ποιεῖν εὐδαίμονας &c.quam lectionem retinẽt codices Florent. Pariſ. Ven. ſequitur Argyropylus.ſed vetus interpres ſic videtur legiſſe. εἰ δὲ, μὴ τοσοῦτόν γε καὶ τοιοῦτον ὥστε ποιεῖν εὐδαίμονας τοὺς μὴ ὄντας. cuius ſcripturæ hæc erit ſententia. ſin aliquid valeat, at non tantum certè neque tale eſſe,vt vel eos qui non ſint, beatos efficiat, vel ijs qui ſint, beatitudinem eripiat.

59 Non numerari in poteſtatibus] τῶν δυνάμεων οὐκ ἔστι. Quia quærere cœperat vtrùm beatitudo bonum eſſet laudabile, an honore afficiendum, poteſtas autem ſeu facultas neque laudabilis, neque honore afficienda eſt, negat ſtatim beatitudinem in poteſtatibus eſſe habendam. δύναμιν autem quam appellant græci,ego interdum vim, interdum poteſtatem & facultatem latinè reddo, neque veritus ſum,ne hæc appellationum varietas lectorem conturbaret, cùm hæc nomina ſint Latinis pro græco δύναμις,vſitata. Quanuis autem vir quidam omni doctrina præſtantiſſimus malit δύναμιν poteſtatem, quàm facultatem latinè nominari, Quintilianus tamen oſtendit ea tria,quæ dixi, latina, vſu eſſe recepta. Quintiliani verba ſunt hæc. Quod ego vim appello,plerique poteſtatem,nonnulli facultatem vocant.

quæ res ne quid ambiguitatis afferat, vim dico τὴν δύναμιν.

60 Ridiculæ enim videntur] γελοῖοι γὰρ φαίνονται πρὸς ἡμᾶς ἀναφερόμενοι. nomen γελοῖοι puto referri ad proximum ſuperius ἐπαίνων quanuis vetus interpres, & Argyropylus ad nomen θεοὺς retulerint. Verùm hanc rationem ſecutus ſum, quia hoc loco idem propemodum ſignificari ab Ariſtotele putaui, quod docet lib. decimo, vbi ita ſcriptum eſt. ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος ὅτι οὐκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας; an potius odioſa ſeu (vt alij verti malunt) inepta Deorum laus futura eſt, ſiquis eos ita laudet quòd malis cupiditatibus careant?

61 Nam virtuti quidem laus. ſic rhet. 1. Ἔστι δ' ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς. i. laus eſt oratio quæ virtutis magnitudinem oſtendit ac declarat.

62 Encomia autem factorum] hoc idem docet eodem loco Ariſt. τὸ δ' ἐγκώμιον ἔργων ἐστι.

63 Sed quoniam beatitudo.] Ab hoc loco principium ducit, occaſionemque & cauſam arripit Ariſt. de virtutib. diſputandi.

64 Quos quoniam populariter] libri Ariſtotelis alij dicuntur ἐξωτερικοὶ fuiſſe appellati, alij ἀκροαματικοὶ, de quibus ſic M. Tull. lib. v. de finibus. De ſummo autem bono, quia duo genera librorum ſunt, vnum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, alterum limatius, quod in commentarijs reliquerunt. &c. quam librorum diuiſioné quanuis ſciam a Sepulueda, & alijs viris doctis improbari, malo tamen Ciceroni qui propius ab illis temporibus aberat, vel ſine ratione credere, quàm eorum qui aliter ſentiunt, rationibus, quanuis probabilibus & ſpecioſis aſſentiri: neque me pudebit errare cum Cicerone, Gellio, Budæo, ſi forte errabo. Quanquàm non eſt nobis contemnendus Plutarchus qui diſertè in Alexandro libros περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως ἀκροαματικοὺς nominat.

65 Viſa ſunt meliora.] ſic appellat M. Tullius τὰ φαντάσματα, tùm alijs locis, tum lib. 2. Acad. quæſt. & φαντασίαν viſionem: quam diſtinctionem nos in his libris perpetuò ſeruauimus. Nam M. Tullius quidem φαντασίαν núc viſum, nunc viſionem nominat. Verba eius ſunt lib. 2. Academ.

demi. Quæritur qualis viſio fuerit aut furentium, aut ſomniantium tum cum commouebantur. idem lib.1.quam ille *φαντασίαν*, nos viſum appellemus licet, & teneamus hoc verbum quidem. erit enim vtendum in reliquo ſermone ſæpius.

66 Recta enim illa eſt] *ὀρθὸς γὰρ*. ſubaud. *λόγος*. Perio. ſic.inuitat enim ratio bene ſanos ad iuſtitiam,mendoſè omnino & perperàm.putauit ſcilicet legendum *ὀρθοῦς γὰρ*. eaq; verba coniunxit cum ijs quæ deinceps ſequuntur.Strebæus autem ſic.quippe quæ rectè adhortetur: ex quibus verbis ui detur legiſſe *ὀρθῶς*.neuter igitur Ariſtotelis ſententiam expreſſit. ſignificat enim Ariſtoteles continentis & incontinentis rationem rectam eſſe. ac de continente quidem res in promptu eſt: de incontinente autem libro ſeptimo, vbi docet quid interſit inter incontinentem & intemperãtem, ſcribit rationem ac mentem intemperantis eſſe corruptam vtpote cui ſit perſuaſum turpes atque immoderatas volupta tes omni ſtudio eſſe perſequendas. contrà incontinentis ra tionem alioqui rectam,à perturbatione eatenus affici & ſuperari,vt de ſententia deducatur, nec agat quod monet ac præſcribit ratio: nunquam tamen tantùm in eum valere perturbationem aut cupiditatem, vt ſibi perſuadeat impudenter eſſe conſectandas tales voluptates. Incontinentia igitur non corrumpit in incontinente principium,ideſt mẽtem, ſed ea pars quæ rationis eſt expers, non obtemperat rectæ rationi: in intemperante autem ratio corrupta ac deprauata eſt. atque iccirco inſanabilis eſt intemperans:ſanabilis incontinens.

67 Sed in corporibus id,quod peruersè] *τὸ παραφερόμενον*. Strebæus vertit.quod præter voluntatem fertur. *παραφέρεσθαι* non eſt præter voluntatem ferri, ſed peruersè & perperàm ferri. quanuis qui peruersè mouentur, plerunque præter uoluntatem moueantur. Perionius multo deterius hoc modo. ſed in corporibus id quod rapit ac diſtrahit. *τὸ παραφερόμενον*, & id quod diſtrahit non cohærent.

68 A ratione ſit aliud.]*ἕτερον*.ſic alibi Ariſtot, *φίλος ἕτερος τοῦ κόλακος* id eſt amicus alius eſt ab aſſentatore. Plato

in

in Menone. Σκόπει δὴ τούτων ἄττα σοι δοκεῖ μὴ ἐπιστήμη εἶναι, ἀλλ᾽ ἄλλο ἐπιστήμης. ideſt: ſed aliud à ſcientia. ſic enim loquuntur boni latini ſermonis auctores. M. Brut. Ciceroni lib. IX. epiſt. nos ab initio ſpectaſſe otium, nec quicquàm aliud à libertate communi quæſiſſe, exitus declarat. & Horat. epiſt. ad Quint. libr. I. Néue putes alium ſapiente bonoque beatum. & Satyra 3. lib. 2. Qui ſpecies alias veris, ſceleriſque tumultu Permiſtas capiet, commotus habebitur. ſic enim legendum eſſe docuimus in commentarijs noſtris in Horat. quos propediem edituri ſumus, non vt olim veri ſceleriſque &c. Sunt autem ſpecies aliæ veris, vel aliæ à veris, differentes a veris & penè dicam falſæ, vt dicam ἐν παρόδῳ.

69 Dicere ſolemus nos] οὕτω δὴ καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν φίλων φαμὲν ἔχειν λόγον &c. Perionius ſic vertit, atqui eam dicimus compotem quidem, & parentis, & amicorum, non tanquàm mathematicorum, quæ verba cùm ab Ariſtotelis ſententia ſint remotiſſima, tùm inſignem Perion. in his libris vertendis negligentiam indicant. hunc igitur locum ſic explico. Quemadmodum (inquit) cum dicimus nos habere patris & amicorum rationem, non ſignificamus rationem patris & amicorum in nobis ineſſe, aut cur pater & amici aliquid agant, rationem nos afferre poſſe, ſed hoc oſtendimus nos patris & amicorum voluntatem ſpectare, ad eamq; noſtra ſtudia, conſilia, voluntates denique accommodare ac flectere: mathematicorum autem rationem tum dicimur habere, cùm perceptorum (ſic θεωρήματα nomino) mathematicorum cauſas animo & intelligentia comprehenſas habemus. ſic vna animi pars eſt rationis expers illa quidem, ſed rationi tamen obtemperans, qualis eſt appetitio continentis: altera ita rationis eſt particeps, vt rationem in ſeſe contineat. Eſt autem hæc pars ea quam Græci λογικὸν μέρος appellant.

In

In librum ſecundum.

1 Perficiamur autem,perpoliamurque more &c.] τελει-ουμένοις διὰ τοῦ ἔθους. Perion. & efficiendas conſuetudine: non dicit Ariſtot. virtutes effici conſuetudine, ſed nos natura factos ad ſuſcipiendas virtutes, conſuetudine perfici. ſed quis nō uidet hoc τελειουμένοις coniungendum eſſe cum illo ἡμῖν?

2 Poteſtates] ſic interdum appello δυνάμεις. aliquādo facultates quod quidam malunt.

3 Qui leges ferunt] Perion. qui leges imponunt. ſcio leges imponere latinè dici, ſed in aliam ſententiam, quàm ferre leges. Eſt enim imponere leges, ferre leges pernicioſas, duras, atque intolerabiles, vt Cic. de oratore. nimis mihi duras leges imponitis. & Philipp. leges ciuitati per vim impoſuit. & pro Cornel. Balbo, nobis iniquiſſimæ leges impoſitæ ſunt. ſic enim dicimus imponere leges, vt imponere onus, vim, neceſſitatem, vulnus, iniuriam.

4 Certo quodammodo conformemus.] Ariſt. ποιάς ἀποδιδόναι. ſic M. Tull. de finibus. vna pars philoſophiæ eſt qua mores conformemus. & pro Arch. poeta. Quod ſi hæc vox huius hortatu, præceptisq; cōformata. quod igitur Ariſtoteles dicit ποῖον ἀποδιδόναι, non ineptè verti poſſe puto certo quodammodo, afficere, & conformare, vel vt ſuprà, cuiuſdammodi efficere.

5 Et poſitum ſit] omnes boni codices habent ὑποκείσθω præter Florentinum, in quo ſcriptum eſt ὑπερκείσθω, ſed mendoſè. illam autem confirmat vetus interpres, & Aſpaſius.

6 Ab eo quod parum,&c.] τὴν ἔνδειαν aut τὴν ἔλλειψιν ſemper in his libris,parum,reddidimus: ὑπερβολὴν, nimium. ſic M. Tull. perſ. orat. magis offendit nimium, quàm parum Idem Phil. IX. in illius viri conſiliis atq; factis nec nimium, nec parum vnquam fuit.

7 Quales autem ſint habitus] his conſentiunt & concinunt ea quæ ſtatim in principio lib. decim. ſcribit his verbis, Iam ad virtutem morum plurimùm valere videtur iis

rebus

rebus delectari, quæ delectare debent, & eas odiſſe, quæ ſunt odio dignæ.

8 Quæ doloribus inferendis] Ariſt. *αἱ κολάσεις γινόμεναι διὰ τούτων*. ſubaud. *λυπῶν*. Perion. ſic. ſupplicia quæ ob eas conſtituta ſunt. quaſi vero ſignificet Ariſtoteles ſupplicia conſtitui ob uoluptates. quod longè aliter eſt. ſignificat enim quemadmodum nos expreſſimus, caſtigari maleficos doloribus. ſed quis neſcit *διὰ* cum patrio caſu iunctum aut nunquam aut raró admodũ, ob, ſeu propter, ſignificare, ſed cum accuſandi caſu, tunc coniungi ſolere ?

9 Aut quot modis alijs] vt ſi quis ſequatur & expetat voluptates lege aut inſtitutis prohibitas, verbi gratia ex adulterio, ex inceſtu, ex alio denique nefario concubitu: ſi honeſtam & legitimam quidem illam, ſed incommodo valetudinis, & contra officium. Item ſi quis fugiat dolores honeſtos, pro patria, pro liberis, pro religione, pro libertate.

10 Vacuitates quaſdam] *ἀπαθείας τινὰς καὶ ἠρεμίας*: de quorum ſententia Stoici ſapientem eſſe *ἀπαθῆ* quendã, *ἀνάλγητον, ἀτάραχον*. i. ab omni perturbatione, dolore, trepidatione & tumultu animi vacuum volunt.

11 Offendat] offendendi verbum pro peccare interdũ poni declarant exempla ex M. Tull. vt epiſt. ad Varr. lib. IX. Quis eſt tam Lynceus qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat ? de orat. lib. I. nihil tam ad diuturnitatẽ memoriæ ſtabile, quàm id, in quo aliquid offenderis. in Cluentiana. quia in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent, ſe ad præmia legis venire oportere. & Lucius Ciceroni in extrema epiſtola: ex quibus aut in altero mihi velim ſi potes, obtemperes: aut in altero non offendas.

12 In hoc enim melior] maioris enim artis eſt è lignis ſcabris, nodoſis, tortuoſis ſigna fabricari, quàm ex læuibus, rectis, ac politis: & medici melioris eſt morbum difficilem ac periculoſum depellere, quàm reduuiam curare. Quòd autem ſic locuti ſumus: ars & virtus in eo quod eſt difficilimum, occupata eſt, in eo M. Tullium ducem ſecuti ſumus. ſic enim ille de finibus lib. 4. omne animal in ſe conſeruando eſſe occupatum. & ibid. munus ſapientiæ in hominis cul

tu

tu eſſe occupatum. Verùm non eſt omittendum hanc ſententiam Ariſtotelis, quam verbis illis expreſſimus: In hoc enim melior &c. multo aliter accepiſſe Perionium: ſic enim ille. Quod enim vndique perfectum, abſolutumque eſt, id ibi maiorem obtinet & ſplendorem & dignitatem. Verba ſpecioſa, ſed à ſententia Ariſtotelis longè remota. ſunt enim eius hæc verba *καὶ γὰρ τὸ εὖ βέλτιον ἐν τούτῳ*. non dicit Ariſtoteles *τὸ εὖ πεποιημένον*, ſed *τὸ εὖ*. id tale eſt quaſi dicas ipſum bene, quod Latinè reddidimus, bonitas effectionis & actionis: præſtantiam quoque appelles licet, & perfectionẽ, ut alibi fecimus. non ſignificat igitur Ariſtoteles id quod benè fit, in eo quod ſit difficile, melius eſſe, ſed eã ipſam bonitatẽ, ac præſtantiam rei præclarè factæ, atque omnibus ſuis numeris abſolutæ, in eo quod ſit difficile, poſitam eſſe meliorem.

13 Si conſilio capto] Ariſt. *προαιρούμενος*. Perionius. ſi volens & ultro, quæ non ſunt à Gruchio emendata, vt nec alia plurima. quaſi *ἑκὼν* & *προαιρούμενος* ſint idem, ac non maximè differant, ut infrà docebit Ariſtot. Præterea longè aliud eſt ultrò, quàm uolens aut *ἑκὼν*, vt uel pueris notum eſt. Cur autem *προαιρεῖσθαι* conſilium capere reddiderimus latinè, rationem ſuo loco afferemus.

14 Poteſtates] *δυνάμεις*. ſic maluimus hoc loco *δυνάμεις* appellare, quàm facultates. dicuntur enim hoc loco *δυνάμεις, παθητικαὶ ποιότητες* id eſt qualitates, in quibus uis quædam ineſt afficiendi ac perturbandi, quæ ex motibus animorum turbidis inueteratis, atque vſitatis principium duxerunt. de quibus ſic Ariſto. in categoriis. *ὁμοίως δὲ τούτοις καὶ κατὰ ψυχὴν παθητικαὶ ποιότητες καὶ πάθη λέγονται. ὅσα τε γὰρ ἐν τῇ γενέσει εὐθὺς ἀπό τινων παθῶν δυσκινήτων γεγένηται, ποιότητες λέγονται καὶ αὗται, οἷον ἥ τε μανικὴ ἔκστασις, καὶ ἡ ὀργὴ, καὶ τὰ τοιαῦτα. ποιοὶ γὰρ καὶ κατ' αὐτὰς λέγονται, ὀργίλοι τε, καὶ μανικοί.*

15 Cupiditatem, iram] *ἐπιθυμίαν, ὀργὴν*. hæc verba in quibuſdam codicibus impreſſis ſequitur vox *θυμὸν*. quæ abeſt à meliorib. atq; adeò à ſcriptis. & certè mihi videtur inanis eſſe. iccircò ego eam prætermiſi.

16 Inuidentiam] *φθόνον*. inuidentiam potius, quàm inuidiam latinè reddidimus M. Tullio auctore ac magiſtro.

Cu-

Cuius hæc ſunt uerba lib.3. Tuſcul. ſi ſapiens in ægritudinē incidere poſſet, poſſet etiam in miſericordiam: poſſet in inuidentiam. non dixi in inuidiam, quæ tum eſt, cùm inuidetur: ab inuidendo autem inuidentia rectè dici poteſt, vt effugiamus ambiguum nomen inuidiæ. & paulo infrà. Vt ægritudini ſubiicitur inuidentia (vtendum eſt enim verbo minus vſitato, quoniam inuidia non in eo qui inuidet ſolùm, dicitur, ſed etiam in eo cui inuidetur.) &c.

17 Simpliciter iraſcitur] ἁπλῶς, non video cur fugiamus uocabulum ſimpliciter: quo toties utitur M. Tull. ad idem ſignificandum, quod uox græca ſignificat. nam quòd Perion. uertit omninò, probare non poſſum.

18 Virtus oculi] ἡ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετὴ. exiſtimaui æquè latinè dici uirtus oculi, ut uirtus narrationis, arboris, equi, uerbi. quorum extant exempla apud M. Tull. ſic enim ille ſecundo de oratore. narrationis uirtus eſt ut iucunda ſit & ad perſuadendum accommodata. idem in Planciana. Quo quidem etiam magis ſum non dicam miſer (natura quidem abhorret à uirtute uerbi) ſed certè exercitus. idem lib. 1. de legib. Nam nec arboris, nec equi uirtus, quæ dicitur, (in quo abutimur nomine,) in opinione ſita eſt, ſed in natura. ſic Ariſt. lib. 3. ῥητορ. Virtutem uerbi dicit eſſe perſpicuitatem. uerba eius hæc ſunt. λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι. σημεῖον γὰρ ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. id eſt. uerbi ſeu vocabuli uirtus eſt, ut ſit dilucidum. cui rei argumento eſt, quòd oratio, ſi non declaret, ſuo munere non fungetur. & infra lib. quarto. μεγαλοπρέπειαν ἐν μεγέθει dicit eſſe ἀρετὴν ἔργου. i. operis uirtutem. Quòd ſi uirtus nihil aliud eſt, quàm in ſe perfecta & ad ſummum perducta natura, ut definit M. Tull. lib. 1. de legibus, uel, ut Ariſtot. lib. 2. ἠθικῶν ad Eudemum, optima affectio, aut optimus habitus, aut optima facultas ſingulorum, quorum aliquis uſus, uel opus aliquod eſt: non debeat profecto abſurdum uideri, ſi quis ita loquatur, equi, arboris, operis, uocis & talium rerū uirtus, cum eo nomine nihil aliud ſignificetur, quàm earum rerum præſtantiſſima natura, uel præſtantiſſima affectio, uis ac poteſtas.

19 Medium porrò ad nos] non ſum ueritus ita loqui, cum

cum ſciam,ad,in comparationibus adhiberi interdum ſolere.Terē. nihil ad noſtram hanc & Cic.de finib.2.quid ad utilitatem tantæ pecuniæ?

20 Alipta] ἀλείπτης. hac uoce uſus eſt M.Tull. cum latinè loqueretur in epiſt.ad Lentulum lib.1. At Perionius qui nobis ſcripſit librum de optimo genere interpretandi, ἀλείπτην ludi magiſtrum uertit,cum ἀλείπτης & ludi magiſter nimiùm quantùm inter ſe differant ac diſcrepent.

21 Ei qui nunc primùm incipit exerceri.] Ariſtot. τῷ ἀρχομένῳ γυμνασίων. Perion. tironi. quàm benè, iudicent eruditi. ſed hoc leue eſt.

22 Sciens omnis] πᾶς ἐπιστήμων. Perion. artifices omnes.non probo.

23 Medium ueluti collineando petat neceſſe eſt.] Ariſt. τοῦ μέσου ἂν εἴη στοχαστική. στοχάζεσθαι eſt ſcopum propoſitum petere aut ferire. collineandi autem uerbo eo libentius uſi ſumus, quòd à M.Tull. uſurpatum eſt libro 11. de diuinat. Quis eſt enim qui totum diem iaculans non aliquando collineet? Eſt autem collineare haſtam ueluti recta linea ad ſignum propoſitum dirigere: neque mihi placet eo loco legi collimare à limis oculis,ut quidam uolunt. Nam qui ſcopum ferire ſtudent,non limis oculis, ſed altero oculo clauſo potius,alteroque aperto atque directo ſignum intuentur. Præterea cùm uerbum limandi à lima, non à limis oculis deducatur,non ſit mihi uerisimile collimare ad hanc rem ſignificandam latinum uerbum eſse.

24 Vno nanque boni, multi modisq; mali.] ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί. Verſus eſt pentameter, quem totidem penè uerbis pentametrum latinum fecimus. multi modis autem antiquo more diximus Plautum, Terentium,Lucretium ſecuti.

25 Ad conſilium agendi capiendum] προαιρετική. προαιρεῖσθαι, conſilium capere latinè reddidi. cuius mei facti rationem, ne quis in lingua latina parùm exercitatus, uel miretur, uel tacitè reprehendat, reddere non recuſo. dico igitur conſilium capere eſse non conſultare,ut uulgus exiſtimat,ſed duobus aut pluribus, quæ in conſultationē ueniant, & de quibus quæratur,utrum,uel quod eorum agere aut ſequi

qui præſtet, unum aliquod potiſſimum ſuſcipere. exempli cauſa L. Arunculeius Cotta & Titurius Sabinus Cæſaris legati cōſultant utrùm prętet magna Gallorum multitudine aduentante caſtra defendere, neque iniuſſu Cæſaris ex hibernis diſcedere, an priuſquàm hoſtes veniant, ſaluti fuga conſulere. Illi igitur diſputatione ad multam noctē producta (vt ſcribit Cæſar lib. quinto) conſentiunt tandem & pronuntiari iubent, prima luce ituros. In ea autem diſputatione ſic loquitur Cotta. Poſtremò quid eſſe leuius, quàm auctore hoſte de ſummis rebus capere conſilium? nemo opinor dicet, hoc loco capere conſilium eſſe conſultare, ſed de ſummis rebus conſultantes unū aliquid, quod agamus, ſumere, ſeu unum conſilium ceteris anteferre. Paulo poſt ita Titurius Sabinus loquitur, Cæſarem ſe arbitrari profectum in Italiam, neque aliter Carnutes interficiendi Taſgetii conſilium fuiſſe capturos. Idem Cæſ. lib. 7. Omnia experti Galli, quòd res nulla ſucceſſerat, poſtero die conſilium ceperunt ex oppido profugere. eod. lib. Vercingetorix priuſquàm munitiones à Romanis perficiantur, conſilium capit à ſe equitatum noctu dimittere. M. Tull. in Orat. pro Quint. Qua tibi uadimonium non ſit obitum, eadem te hora conſilium cepiſſe hominis propinqui fortunas funditus euertere. & Verr. 4. de Heraclio. capit conſilium de amicorum & propinquorum ſententia non adeſſe ad iudicium: & epiſt. ad Atticum lib. XIIII. nec alia cauſa profectionis mihi ulla fuit cùm conſilium cepi legari à Cæſare. & lib. VII. ſubitò conſilium cepi ut antequàm luceret, exirem. & offic. 3. cùm autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationē ſuperbi, nomenque Tarquiniorum & memoriam regni eſſe tollendam. & pro Roſc. Amer. conſilium ceperunt plenū ſceleris & audaciæ vt nomen huius de parricidio deferrent. & pro Cluent. capit hoc conſilium vt pecuniam quibuſdam iudicibus polliceatur. Plaut. Mercat.

Neq; is cū roget, quid loquar, cogitatum eſt mihi.
Ita animi decem pectore incerti certant, nec quid corde nunc
Conſilii capere poſſim ſcio, tantus cum cura meo eſt
Error animo. Terent. in Andr. Quid ais? cum

intellexeras

intellexeras id conſili capere, cur non dixti ex templo Pamphilo? & in heautontimorum. Et ſi hoc conſilium quod cepit, rectum eſſe, & tutum ſcio. In illis locis omnibus conſilium capere, eſſe προαιρεῖσθαι id eſt ex duobus aut pluribus conſiliis vnum, quod ſequaris, ſumere, non autem (vt alii putant) conſultare, planius eſt, quàm ut id pluribus verbis docere debeamus. idem eſſe porrò conſilium capere, & cōſilium ſuſcipere, intelligere licet tùm ex alijs locis, tùm ex offic. I. vbi ſic de Catone. cùm ſemper in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet.

26 Alia vitia deſerunt] τὰς μὲν ἐλλείπειν. deſerere modum ſeu mediocritatem, pro græco ἐλλείπειν ferè perpetuò poſuimus, vt ſuperare modum pro ὑπερβάλλειν. Nam deſerendi verbum non ſolum derelinquere ac deſtituere (quod omnibus notum eſt) ſignificat, vt cum ait M. Tullius, me amici partim deſeruerunt, partim prodiderunt, ſed verbo quoque ſuperandi, atque antecedendi opponitur. Vt apud eundem offic. I. efficiendum autem eſt, vt appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, neque propter pigritiam, aut ignauiam deſerant: ſic Horat. od. 2. lib. 3. Rarò antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo. eſt autem in his exemplis deſerere id, quod Græci alijs verbis dicunt ἀπολείπεσθαι καὶ ὑστερεῖν.

27 Seu (ſi eo verbo vti licet,) medietas] Ariſt. μεσότης. ſic M. Tull. in Timæo. vt in ſingulis eſſent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant: ſed quaſi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius.

28 Cum qua & quo tempore &c.] Ariſtot. ἣν δεῖ &c. ſequitur verbum μοιχεύειν, id eſt quam adulterare oporteat. ſcio legi in quibuſdam codicib. ᾗ δεῖ, ſed mendosè. Perion. neque ἣν, neque ᾗ expreſſit, ſed præterijt, vt particulam otioſam. Verbum δεῖ autem vertit opus eſt, non oportet, quaſi hoc ſit minus latinum: cùm aliud ſit oportere, aliud opus eſſe, vt ſciunt Latinè docti.

29 Propterea quòd medium quodammodo eſt] διὰ τὸ τὸ μέσον εἶναι πως ἄκρον. Strebæus ſic vertit. propterea quòd medium ſit quodammodo extremorum. videtur codi-

cem ſecutus eſſe deprauatum, in quo ſcriptum eſſet *ἄκρων*. ſed iterat Ariſtoteles id,quod paulo antè dixerat,virtutem, ſi definitionem eius ſpectes, eſſe mediocritatem: ſi præſtantiam & perfectionem,ſummum.

30 Aliquanto ſunt inaniores] ſcripti codices ferè omnes, & ij qui Florentiæ, Venetijs, Lutetiæ ſunt excuſi, habent *οἱ μὲν καθόλου κενώτεροί εἰσι*: nonnulli tamen *κοινότεροι*. Ego vtranque lectionem initio ſecutus eram, quòd & hæc ſententiam continebat non ineptam, & illa optimorũ librorum fide atque auctoritate nitebatur: ſed poſteà illud *κοινότεροι* reieci, tùm mea ſponte propter vocem *ἀληθινώτεροι* proximè ſequentem,tùm de M. Antonij Mureti ſententia viri doctiſs. cum quo nuper hos libros Venetijs recognoui, vt duobus ab hinc annis cum Adriano Turnebo Lutetiæ: anno ſuperiore, cum Ludouico Corrado Mantuano Piſauri contuleram.

31 Effuſio & illiberalitas] *ἀσωτία καὶ ἀνελευθερία*. prodigalitatis nomine vti fuit nobis religio, præſertim cùm ſuppeteret nobis aliud & magis lectum, & Ciceroni vſitatum. ſic enim Cicero in partitionibus: liberalitatem imitatur effuſio. iam effuſionis nomini geminum eſt profuſio. itaque hoc quoque interdum vſi ſumus.

32 Enucleatius ac ſubtilius] *ἀκριβέστερον*. ſic M. Tull. ad Q. fratr. de aqua nihil prætermiſi, in quadam epiſtola, quin enucleatè ad te ſcriberem. idem in Bruto. Subtiliter, preſsè,enucleatè. quæ tria vni reſpondent græco *ἀκριβῶσ*.

33 Nimium] *ἀπειροκαλία*. *ἀπειροκαλίαν* elegantiæ inſcitiam nominaui. cuius mei facti hanc rationem affero. Elegantes homines laudabiliores aliquanto ſunt, & ſplendidiores parcis: minus ſplendidi,quàm qui magnifici appellantur. Poteſt hoc intelligi ex M. Tullio in oratore perf. quo loco de eo,quem Atticum oratorem dicunt,ideſt ſubtilem ac limatum,diſputat his verbis. Nam ſic,vt in epularum apparatu à magnificentia recedens non ſe parcum ſolùm, ſed etiam elegantem videri volet. Idem ad Attic. lib. XIII. Nam lautiores,eleganter accepti. idem de finib. Vir mundus & elegans. mundũ autem collocat Horatius inter ſordidum & profuſum,ſatyr. 2. lib. 2. Mundus erit qui non offen-

det

det ſordibus, atque

In neutram partem cultus miſer.

Corn. Nepos. de Attico. elegans non magnificus: ſplendidus non ſumptuoſus: omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. Cùm igitur ἀπειροκαλία nomen ſit ex duobus ἄπειρος & καλὸν compoſitum, non ineptè latinè elegantiæ inſcitiam reddi poſſe exiſtimaui. imperitiam dixiſſem, ſi mihi videretur vſitatum. alterum autem illud quod Ariſtot. pro eodem ponit, βαναυσίαν, operariam in ſumptu faciendo inſolentiam nominaui. inſolentiam enim video de ſumptuoſis cænis, ædificiis, alijsque rebus à M. Tullio dici, vt epiſt. lib. ix. ad Pap. Pætum. In Epicuri nos aduerſarij noſtri caſtra coniecimus: nec tamen ad hanc inſolentiam, ſed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cũ in ſumptus habebas. & Philipp. ix. cum paulo antè dixiſſet M. Tullius gratiorem Ser. Sulpitio in legatione mortuo fore æneã ſtatuam pedeſtrem, quàm inauratam equeſtrem: hanc rationem ſubijcit. miriſicè enim Ser. Sulpitius maiorũ continentiam diligebat, huius ſeculi inſolentiam vituperabat. operariam autem addidi propterea quòd βάναυσοι nominãtur à Græcis artifices illiberales, ſordidi, operarij, & βάναυσοι aut βαναυσικαὶ τέχναι, artes ignobiles, humiles, & quæ ab operarijs hominibus exercentur. Imperiti igitur elegantiæ dicuntur, qui dum magnifici videri volunt, ſumptus magnos illi quidem faciunt, ſed ſine munditia atque elegantia, aut non ſuo tempore, neque ſuo loco: qualis erat Næuius ille apud Horat. qui vnctam conuiuis præbebat aquã: aut qui ſumptus illos in rem paruam & contemptam, & indignam denique conferunt. Iccircò ab Ariſtot. βάναυσοι appellantur id eſt operariorum in morem in ſumptu faciendo inſolentes. & βαναυσία eorum vitium nominatur: quam nos latinè reddidimus operariam in ſumptu faciendo inſolentiam.

34 Parum μικροπρέπεια id eſt] μικροπρέπεια nomen eſt compoſitum ex duobus ſimplicibus μικρὸν & πρέπειν, id eſt paruum & decere: quibus duobus reſpondere videtur parſimonia indecora. addidimus, in ſumptu faciendo, maioris perſpicuitatis gratia M. Tullium imitati, qui lib. 3. de

finibus,ait ſe ſolere, ſi aliter non poſſit, quod vno græci,idē pluribus verbis exponere.

35 Superbia in animis extollendis.] ſic M. Tull. partit.his verbis.magnitudinem animi imitatur ſuperbia in animis extollendis.

36 Contemptor honoris.] ἀφιλότιμος. ſic maluimus ἀφιλότιμον latinè nominare, quàm vt Perion. vacuum ab honore: dixiſſet potius vacuum ab honoris ſtudio,ſeu cupiditate.

37 Eo quo cœpimus modo] κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον. Perionius, noſtro more. non rectè. ſignificat Ariſt. ſe rationem docendi ac diſputandi inſtitutam,in reliqua diſputatione ſecuturum. Eſt enim ὑφηγημένον idem quod προηγημένον, eoque verbo crebrò vtitur Ariſt. non longè abieris.tertio περὶ ζώων γενέσεως, his verbis. περὶ δὲ τῶν ἐντόμων, καὶ τῶν ὀστρακοδέρμων λεκτέον κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον. & lib. de repub. primo. ὅλως δὲ περὶ πάσης κτήσεως καὶ χρηματιστικῆς θεωρήσωμεν κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον.

38 Lentus quidam,& uit.] ἀόργητός τις, ἡ δ' ἔλλειψις ἀοργησία. ſic videtur M. Tull. ἀόργητον appellare de orat. 2. his verbis. In quo ego non quo libenter malè audiam, ſed quia ego cauſam non libenter relinquo, nimiùm patiens,& lentus exiſtimor. ibid. Neq; enim facile eſt perficere vt iraſcatur,cui tu velis, iudex,ſi tu id lentè ferre videare.ad Q.fr. epiſt. 1. vbi de lingua continenda loquitur. Quæ quidem mihi virtus nō interdum mihi minor videtur, quàm omninò non iraſci.Nam illud non ſolùm eſt grauitatis, ſed nonnunquàm etiam lentitudinis.

39 Placendi ſtudioſus ſeu] ἄρεσκος. M. Antonius Muretus vir doctiſs. mihi etiam antequàm eum vidiſſem, propter ingenij atque eloquentiæ famam notiſſimus: nunc autem poſteà quàm hoc anno Venetijs & conuêni,& loquētem tùm ex æquo, tum è ſuperiore loco audiui, propter eximiam doctrinam pari humanitate,modeſtia,comitate, probitate ornatam, cariſſimus, in commentarijs ſuis doctiſſimis, ac probatiſsimis in Catullum,ſcribit bellos homines eos eſſe, quos Ariſtot. ἀρέσκους lib. 3. de moribus appellat.

Qua

Qua in re cum eo non magnopere pugnabo. Verùm tamen aliquanto mihi videtur aptius huic rei, quæ græco vocabulo ἄρεσκος ſignificatur, latinum blandus. Nam cùm aliud nihil interſit inter ἄρεσκον & κόλακα, niſi quòd hic vtilitatis cauſa: ille nulla ſperata vtilitate ad voluntatem loquitur, ſibique imperauit omnia omnibus aſſentiri: (ſic autem apud Terentium in Eunucho legendum, non aſſentari) non video cur ἄρεσκος bellus potius, quàm blandus latinè ſit nominandus: fac vno aut altero loco belli nomen ad hanc ſignificationem trahi poſſe, vt epiſt. ad Attic. lib. 1. durius accipere hoc mihi viſus eſt, quàm vellem, & quàm homines belli ſolent, quod tamen non dabo: blandus quidem is ferè ſemper intelligi videtur, quem græci ἄρεσκον dicunt. Terent. in Hecyra: At tu æcaſtor morem antiquum atq; ingenium obtines, vt vnus hominum homo te viuat nunquam quiſquam blandior. Idem Adelph.

Age age nunc experiamur contrà, ecquid ego poſsiem
Blandè dicere, benignè facere.

Cic. in Cluentiana: tùm appellat hilari vultu hominem Balbus ut blandiſſimè poteſt. Ad Attic. Scis me minimè eſſe blandum: itaque minus aliquanto dico, quàm ſentio. ſed quid tot exemplis opus eſt? hoc vnum arbitror contrà dici poſſe, eum à Græcis ἄρεσκον dici, qui alterius orationem gratiæ cauſa probet, neque refellat, etiam ſi aliter ſentiat, eò quòd vereatur offendere: blandum autem à Latinis appellari eum, qui ſuam orationem ita comparet & componat, vt ab altero inire gratiam poſſit, quiúe ſermone dulci ac placido alterum ſibi conciliare, atque in ſuam ſententiã adducere conetur. Ego ingenuè fateor haud facilè eſſe vna voce Latina græcam ἄρεσκον interpretari. Puto tamen ſi qua reperiri poſſit, blandum, quàm bellum aptius latinè reddi poſſe. Neque verò Budæi noſtri contemnenda auctoritas eſt, qui in ſuis commentarijs linguæ græcæ ἄρεσκον blãdum interpretatur. Quòd ſi cui nihilominus placebit bellũ nominari, huic ego cedere atque aſſentiri, quàm pertinaciter repugnare malo.

40 Indignatio] in tanta linguæ latinæ inopia, nobis hoc, opinor, vocabulo licebit vti ad ſignificandam eam, quã

Græci *νέμεσιν* nominant, quæ eſt ægritudo ſuſcepta ex alterius indigni rebus ſecundis, quæ maximè opponitur miſericordiæ, cùm ſit hæc ægritudo ex alterius rebus aduerſis iniuria laborantis. Itaque miror M. Tullium cum inuidiam & miſericordiam lib. 4. Tuſcul. in perturbationibus numeraſſet, ac definiſſet, hanc, quam dico *νέμεσιν*, ab eadem ingenij indole proficiſcentem, prætermiſiſſe. de qua ſic Ariſtot. lib. 2. rhetor. *Ἀντίκειται δὲ τῷ ἐλεεῖν μάλιστα μὲν ὃ καλοῦσι νεμεσᾶν. τὸ γὰρ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις κακοπραγίαις, ἀντικείμενόν ἐστι τρόπον τινὰ, καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἤθους τῷ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις, καὶ ἄμφω τὰ πάθη τρόπου χρηστοῦ.* & topicorum ſecundo. *νεμεσητικὸς δὲ ὁ λυπούμενος ἐπὶ ταῖς τῶν κακῶν εὐπραγίαις.*

41 At ea quæ plurimùm diſtant inter ſe] hæc eadem poſita ſunt in categorijs capite *περὶ ποσοῦ*, ijſdem penè verbis. *τὰ γὰρ πλεῖστον ἀπ᾽ ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν αὐτῷ γένει, ἐναντία ὁρίζονται.*

42 Immanitas illa in voluptatibus] ſic *ἀναισθησίαν* nominat M. Tull. in partit. temperantiam imitatur immanitas in voluptatibus aſpernandis. & lib. Tuſcul. 3. verba illa Crantoris quæ leguntur apud Plutarchum *ἐν τῷ παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλών. τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο, οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ. τεθηριῶσθαι γὰρ εἰκὸς ἐκεῖ μὲν σῶμα τοιοῦτον, ἐνταῦθα δὲ ψυχήν*, ſic interpretatur. nam iſtuc nihil dolere, non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore: quo loco perſpicuè immanitatem vocat duritiem immanẽ in contemnendo, ac non ſentiendo dolore.

43 Ad quæ progreſſio] ſic Ariſtot. *πρὸς ἃ ἡ ἐπίδοσις μᾶλλον γίνεται.* ſcio *ἐπίδοσιν* apud græcos incrementum, atque accretionem quandam ſignificare, idque per tranſlationem. ego tamen exiſtimo eam eſſe huius loci, quam expreſſi, ſententiam. Neque verò mihi etiam nunc diſplicet, quod aliquando arbitratus ſum, *ἐπίδοσιν* hîc deditionem non incrementum ſignificare à verbo *ἐπιδιδόναι*, quod apud græcos interdum valet dedere ſe, dare manus, vt ſit hæc ſententia: quibus homines magis dare manus ſolent. Quod ſi cui non placebit, ſciat is quibuſdam viris doctiſſimis tamẽ

probari. Atque vt ijs etiam ſatisfaciam, qui vulgatam huius loci interpretationem magis ampleƈtuntur, poteſt & hoc modo verti: quæ magis amplificantur in nobis.

44 Quæ quidem eſt cuiuſque] *ὅπερ ἐστὶ τὸ εὖ*. ſecutus ſum codicem Pariſienſem, Florentinum, Venetum, veterẽ interpretem, Argyropylum. nam mendoſi codices habent, *διόπερ ἐστὶ* &c. quos ſecutus eſt Perion.

45 Quemadmodum & ſuadebat Calypſo.] Sed non dicuntur hæc à Calypsône, vt hic memoria lapſus ait Ariſt. neque à Circe, vt item fallitur Euſtrat. immò verò ab Vliſſe gubernatorem hortante vt Charibdin vitet. Sunt autem verſus hi *ὀδυσ. μ.*

Σοὶ δὲ κυβερνῆθ᾽ ὧδ᾽ ἐπιτέλλομαι, ἀλλ᾽ ἐπὶ θυμῷ
Βάλλε, ἐπεὶ νηὸς γλαφυρῆς οἰήϊα νωμᾷς:
Τούτου γὰρ καπνοῦ, καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε
Νῆα, σὺ δὲ σκοπέλου ἐπιμαίεο.

46 Attamen & quamuis] verſus eſt *ἰλιά. γ.*

Ἀλλὰ καὶ ὡς τοίηπερ ἐοῦσ᾽ ἐν νηυσὶ νεέσθω.

Quem vt omnibus illo tempore notiſſimum, prætermiſit Ariſtot. ego nihil me à fidelis interpretis munere alienũ facturum putaui, ſi eum proferrem. Verba autem ſunt ſenũ illorum Troianorum, qui cum Priamo ſedebant belli muneribus propter ætatem vacantes. Ad eos cum veniſſet Helena Menelaum & Paridem ſingulare certamen inituros ſpeƈtatura, dicebant illi neque Græcis, neque Troianis eſſe vitio vertendum, ſi diu talem ob mulierem moleſtias & labores perferrent: Eam enim Deabus immortalibus forma & oris pulchritudine ſimilem eſſe: Veruntamen (inquiunt) etiam ſi talis ſit, in patriam reuertatur, Menelaoque reddatur, ne & nos & liberos noſtros in poſterum damnis & calamitatibus acerbiſſimis afficiat. 47 At qui paulum] *ἀλλ᾽ ὁ μὲν μικρὸν τοῦ εὖ παρεκβαίνων*. Perion. qui paulum aliquid decôrum egreditur. aliud eſt *τὸ εὖ*, aliud decôrum. *τὸ εὖ*, ipſa eſt bonitas & præſtantia aƈtionis ſeu effeƈtionis, ipſa denique reƈta abſolutio & perfeƈtio, & (vt ita dicam) ipſum benè, vt ſuprà annotauimus. Verba autem quæ deinceps ſequuntur, *οὔτ᾽ ἐπὶ τὸ μᾶλλον, οὔτ᾽ ἐπὶ τὸ ἧττον*, quæ Perion. omiſit tanquam otioſa, coniungenda ſunt cum parti-

cipio παρεκβαίνων, ne quis forte incautior exiſtimet ad verbum λέγεται pertinere.

48 Hoc igitur quòd hactenus] τὸ μὲν ἄρα τοσοῦτον, δηλοῖ ὅτι &c. ego hæc lego coniunctè τὸ μὲν τοσοῦτον. alij ſeparant hoc modo. τὸ μὲν ἄρα. i. hoc igitur, τοσοῦτον δηλοῖ. id tantum declarat. &c. à quibus diſſentio.

In librum tertium.

1 Quas ſponte noſtra ſuſcipimus] καὶ ἐν μὲν τοῖς ἑκουσίοις. Ceteri ferè omnes τὰ ἑκούσια voluntaria, aut voluntate ſuſcepta latinè reddiderunt. ego inſtitutum meum tenens, ne in his libris, vocabulorum confuſione lectoris animum turbarem, cùm Ariſtoteles infrà vbi oſtendit, quid interſit inter προαίρεσιν, & ἑκούσιον, dicat ἑκούσιον etiam in pueros & feras cadere poſſe: voluntas autem non ſit in feris: exiſtimaui ineptè tùm ad ſententiam Ariſtotelis, tùm ad docendi rationem ἑκούσιον voluntarium nominari. Itaque cùm ſint apud gręcos hęc tria βούλησις, προαίρεσις, ἑκούσιον, ea proprijs ac diſtinctis nominibus, quoad eius fieri potuit, appellaui. Ac priori quidem quodnam Latinum nomen reſpondeat, nemini obſcurum eſt: proximum autem προαίρεσιν, conſilium latinè reddidimus. ſed ἑκούσιον quod vno vocabulo Latino exprimi non poterat, ſponte factum, aut ſpõte ſuſceptum ſemper appellaui. Porrò nominibus græcis ἑκὼν & ἄκων latina ſponte & inuitus reſpondere exiſtimaui. Iam ἀκούσια quæ ſunt ἑκουσίοις contraria, inuitè facta, aut inuitè ſuſcepta, quæúe inuitè ſuſcipiuntur aut fiunt, nominaui. Nam qui ea inuoluntaria dixerunt, voce vſi ſunt minus latina: qui non voluntaria, in eam, quam tantopere vitauimus, confuſionem inciderunt. Ariſtoteles enim perſpicuè hæc tria diſtinguit ἑκὼν, ἄκων, οὐχ ἑκών. & ἑκούσια, ἀκούσια, οὐχ ἑκούσια. vt ſint ἑκούσια quæ ſponte fiunt, ἀκούσια, quæ inuitè, οὐχ ἑκούσια, quæ non ſponte fiunt. ſed quid hæc ab ijs, quæ fiunt inuitè, differũt? eo videlicet, quòd dicitur is egiſſe nõ ſpõte, qui inſciẽs egit quidem ille, ſed nulla moleſtia ex eo quod egit, afficitur: inuitè egit autem, qui

ex eo quod egit inſciens & coactus, dolore ac moleſtia afficitur. Neque eſt quòd quiſquàm mihi dicat,mea ſponte & ſua ſponte,non admodum eſſe vſitata, pro,mea & tua voluntate, ſed ſæpius habere locum in rebus inanimis,quàm animatis, vt cùm dicimus ignem ſua ſponte moueri: & vera & falſa ſua ſponte, non aliena iudicari: & cum Lucretius ait:

Si non fœcundis vertentes vomere glebas,
Terraiq; ſolum ſubigentes cimus ad ortus,
Sponte ſua nequeant liquidas exiſtere in auras.

Quòd ſi in ijs quoque, quæ ratione vtuntur, ſua ſponte dicatur: ne hîc quidem idem valere, quod ſua voluntate, ſed potius per ſe, ſuis opibus, ſuo Marte, vt cum homines agunt aliquid per ſe ac non rogati, neque admoniti, vel ſine aliorum auxilio, dici poſſe ſua ſponte agere, vt Cic. ad Marium: magnum quiddam ſpectauit, ne ſua quidem ſponte, ſed eorum auxilio &c. hæc (inquam) ſi quis mihi obijciat,nihil commoueat. dico enim,ſponte,locum habere tũ in rebus inanimis, tum in animatis. Atque in inanimis quidem, & animantibus rationis expertibus, ſponte ſua, idem valere quod per ſe, nulla vi coacta, aut nulla arte adhibita. in ijs autem quæ ratione ſunt prædita, interdum ſua vi, & per ſe, & non rogata, neque adiuta: interdum etiam ſua voluntate, vt Cic. partit. Qui ſua ſponte & voluntate aliquid faciunt.ad Attic. lib. xv.Gaudeo te id mihi ſuadere,quod ego mea ſponte pridiè feceram. & epiſt. lib.ix. ad Dolabel. quanquàm veriſſimè poſſum reſpondere te,quæ facias, tuo iudicio,& tua ſponte facere, nec cuiuſquàm egere conſilio. Hoc loco autem,tua ſponte,valere idem quod,tua voluntate, declarat locus ille in epiſt. ad Papyr. Pętum eod. lib.nõ poſſum ei non amicus eſſe, neque ſolùm tua commendatione, quæ apud me,vt debet, valet plurimùm,ſed etiam voluntate ac iudicio meo. Eadem enim vtrobique dicuntur alijs verbis. idem de orat. lib.2.Aut ſenatui parendum de ſalute reip. fuit: aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum. & Terent. Adelp. potius conſuefacere filium ſua ſpõte rectè facere,quàm alieno metu.Poſtremò hoc cõtendo philoſophiam latino ſermone explicari ab eo nõ poſſe, qui vſque adeò ſit religioſus, ut nullum in oratione ponere

nere nomen audeat, niſi Ciceronianum.

2 Aut per inſcientiam] ἢ δι᾽ ἄγνοιαν. Poteram dicere per imprudentiam. idque erant uſitatius, &, ſi quæris, magis Ciceronianum: ſed cùm videam apud græcos philoſophos nimium quantum intereſſe inter ἄγνοιαν, ideſt ignorantiã, ſeu inſcientiam, & ἀφροσύνην, id eſt imprudentiam: malui minus Ciceronianus haberi, dummodò diſtinctius & planius Ariſtotelis ſententiam explicarem, neque tamen prorſus inquinatè loquerer, quàm nimio Ciceronis imitandi ſtudio diſtrictus totam hanc diſputationem ab Ariſtotele pulcherrimè, diſtinctiſſimè, accuratiſſimè tractatam, obſcurare, atque adeò perturbare.

3 Ferè enim ea, quæ expectantur] alij aliter, ego veterem interpretem, & codicem manu ſcriptum ſecutus ſum: eſt autem illius codicis hæc ſcriptura, quam annotauit Adrianus Turnebus vir doctiſs. ὡσ γὰρ ἐπὶ τὸ πολύ, ἐστι τὰ μὲν προσδοκώμενα λυπηρὰ: τὰ δ᾽ ἀναγκαζόμενα, αἰσχρά. Vetus interpres uidetur legiſſe ἃ δ᾽ ἀναγκάζονται. Argyrop. εἰς ἃ δ᾽ ἀναγκάζονται. . quarum omnium lectionum vna & eadem ſententia eſt, atque ad hunc locum accommodata: Vulgata autem lectio ἀναγκάζοντα, à qua nihil diſcrepat Florẽtina, & inepta & corrupta eſt. τὰ ἀναγκάζοντα enim ſunt, ea quæ cogunt. Quæ expectantur porrò, & quæ cogunt, vnum ſunt, ſcilicet τὰ λυπηρὰ, qualia ſunt damna, ſeruitus, mors, cruciatus. At oportet duo eſſe, totidemque, ſi diligenter attendas, ponit Ariſtot. nempe & τὰ προσδοκώμενα .i. ea quæ expectantur, quæ ſunt moleſta, grauia, aſpera, horribilia, & ea, ad quæ impellimur à potentiore, quæ ſunt turpia, vt ſi quis tyrannus iubeat amicum prodere, vel patriam oppugnare, & niſi faciamus, proſcriptionem bonorum, pœnã, cruciatum minitetur, atque intentet. Amicum prodere igitur, eſt id ad quod impellimur à potentiore, quod Ariſtoteles nominat τὸ ἀναγκαζόμενον, vel εἰς ὃ ἀναγκάζονται, proſcriptio bonorum, cruciatus &c. τὰ λυπηρὰ, ſunt τὰ προσδοκώμενα. i. quæ expectantur.

4 Quod ſi quis dicat ea quæ iucunda] ſecutus ſum Aſpaſium, qui hoc modo legit hunc locum. εἰ δέ τις τὰ ἡδέα καὶ τὰ λυπηρὰ, βίαια εἶναι φαίη. libri Florentini, cum quibus alii

fere

ferè conſentiunt, habent, *τὰ ἡδέα καὶ τὰ καλὰ*. id eſt iucũda & honeſta. Vetus interpres videtur legiſſe *τὰ ἡδέα καὶ τὰ ἀγαθὰ* vel *σπουδαῖα*. ſic enim vertit iucunda & bona. Argyropylus autem neque vocem *λυπηρὰ*, neque *καλὰ*, neque *σπουδαῖα* habuit in ſuo libro, aut certè reiecit. Ego in tanta librorum, & interpretum diſſenſione, ſi mihi coniectura vti licet, arbitror ita ſcriptum eſſe ab Ariſtotele. *εἰ δέ τις τὰ ἡδέα, βίαια εἶναι φαίη*. Id vt credam, facit ea, quam dixi, librorum varietas, quam lectorum dubitatio peperit, alias atque alias voces pro ſuo cuiuſque ſenſu & arbitrio ad marginem libri aſcribentium: quam auxit poſteà librariorum inſcitiam ne dicam an audaciam? qui quæ aſcripta ad oras librorum repererant, in ordinem verborum Ariſtotelis retulerunt. Prætereà ea uerba quæ ſtatim ſequuntur, Et qui vi aliqua coacti atque inuiti agunt, moleſtè ferunt: qui iucundo ad agendum inuitantur, cum voluptate & iucundè agunt: hæc igitur verba eò pertinent vt refellat Ariſtoteles quod fuerat obiectum, nempe iucunda eſſe violenta. fieri nõ poteſt, (inquit) vt iucunda ſint violenta. Nam violenta dolorem ac moleſtiam afferunt: at iucunda, voluptatem. Quare vocem *τὰ λυπηρὰ* delendam cenſeo. Iam illa quæ ſequũtur, Et Rervm quidem honeſtarum in ſeipſum, turpium in iucunda, cauſam conferre, argumento ſunt, hoc nomen *καλὰ*, quod reperitur in libris Florẽtinis poſt vocem *τὰ ἡδέα*, etiam eſſe reiiciendum. ſignificant enim ſolere homines rerum honeſtarum cauſam ſibi attribuere. At ſi honeſta eſſent violenta, dici non poſſent homines honeſtarũ actionum auctores, cum violenta ſint extrà. mea igitur ſententia ſic legendus eſt hic locus. *Εἰ δέ τις τὰ ἡδέα, βίαια εἶναι φαίη*, id eſt. Quòd ſi quis dicat ea quæ iucunda ſunt, eſſe violenta &c.

5 Qui iucundo] *οἱ δὲ διὰ τὸ ἡδὺ*, (ſubaud. *πράττοντες*) *μεθ' ἡδονῆς*. in nonnullis libris corruptis ita ſcriptum eſt. *οἱ δὲ διὰ τὸ ἡδὺ, τὸ κακὸν μεθ' ἡδονῆς*. quos Perionius ſecutus eſt cũ ita vertat, ijs malum affert cum voluptate. in eundem ſcopulum offendit Gruchius, quanuis à Perionii interpretatione hoc loco diſcrepet. Verum eradendum eſt illud *κακὸν*. nam neque in vllis exemplaribus reperitur emendatis,

tis,neque Argyropylus, neque Aretinus habuerunt.

6 Quod autem fit per inſcientiam] Ariſtoteles hoc loco,vt ſuprà admonuimus, oſtendit quid interſit inter hæc tria ἑκούσιον, ἀκούσιον, οὐχ ἑκούσιον. quibus tribus græcis tria paria Latina (quantum quidem conſequi potuimus) reddidimus: quod ſponte fit, quod inuitè, quod non ſponte. Sunt & alia tria ἑκὼν, ἄκων, οὐχ ἑκὼν .i. qui ſponte agit, qui inuitus, qui non ſponte. Horum igitur trium quod ſit inter ſe diſcrimen,pulchrè explicat Ariſtoteles: quā diſtinctionem tamen mirè perturbauit Perionius. ſic igitur hæc diſtinguit Ariſtot. qui per inſcientiam aliquid egit, cuius eum poſtea non pœniteat, certè ſponte non egit. Nam qui ſponte agit, ſciens agit: ille autem egit inſciens. rurſus nō egit inuitus.nam qui agit inuitus, moleſtia ex eo afficitur, eumque facti poſtea pœnitet. at fingimus hunc ſine vlla moleſtia egiſſe,neque eum facti ſui pœnituiſſe. non igitur egit inuitus. colligitur cùm neque ſponte, neque inuitus egerit, tertium aliquod eſſe oportere. quod nam illud erit? dicatur (inquit,) egiſſe non ſponte. Tria igitur ſunt ſponte facere, inuitum ſeu inuitè facere, non ſponte facere.

7 Atqui ignorat ſanè] poſteaquàm oſtendit Ariſtoteles ebrium,ſi quid peccet, non per inſcientiam, ſed per vinum & ebrietatem peccare: docet,etiam ſi peccet inſciens, non tamen iccircò dicendum eſſe inuitè peccare: quoniam improbi omnes peccant inſcientes. Nam mala educatione vel conſuetudine deprauati,quid ſit agendum,neſciunt. id enim ſibi perſuaſerunt eſſe bonum, quod eſt malum, conſiliumq; ſuſceperunt minus rectum: quos tamen abſurdum ſit dicere inuitos peccare, propterea quòd ea inſcientia ex eo nata ſit, quòd principium in illis eſt corruptum,videlicet mens. Itaque hæc inſcientia non efficit,vt feciſſe dicantur inuiti, ſed vt ſint improbi. Prætereà neque inſcientia rerum vniuerſarum cauſa eſt cur aliquis inuitus agere dicatur. Nam qui res vniuerſas, & omnibus notas ignorant, vituperātur. at qui agunt inuiti, non vituperantur. Reſtat vt inſcientia ſola rerum ſingularium efficiat vt quis inuitus agere dicatur: quemadmodum ſi quis patrem, quem hoſtem eſſe exiſtimet, occîdat.

8 Actum autem ab inuito] Ariſto. *τὸ δὲ ἀκούσιον βούλεται λέγεσθαι*. ſi quis verbum de verbo exprimere velit, ita vertat: Actum autem ab inuito vult dici id eſt ſolet, vel debet dici. Locos aliquot collegi, in quibus ſimilis verbi *βούλεται* ſignificatio eſt. lib. 4. ī princ. *βούλεται γὰρ ἄσωτος εἶναι ὁ ἕν τι κακὸν ἔχων, τὸ φθεῖρον τὴν οὐσίαν*. id eſt Asôtus enim propriè is videtur eſſe, qui vno vitio affectus eſt, eo nimirū, quo res familiaris conſumitur. eod. libro. *βούλεται γὰρ ὁ πρᾶος ἀτάραχος εἶναι*. &c. id eſt. ea enim videtur eſſe mā ſueti & lenis hominis natura, vt & ab omni animi tumultu ſit liber, ac ſolutus. &c. lib. quinto. *ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον ἔμψυχόν τι δίκαιον*. id eſt nihil enim aliud videtur eſſe iudex, quàm ius quoddam animatum. ibid. de nummo. *ὅμως δὲ βούλεται μένειν μᾶλλον*. Veruntamen nummus manere firmus & ſtabilis magis ſolet natura. lib. 8. *πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασίλεια εἶναι*. ideſt ad patriam enim poteſtatem regnum proximè videtur accedere. ibi. *ἴσοι γὰρ οἱ πολῖται βούλονται καὶ ἐπιεικεῖς εἶναι*. & β. ῥητορ. *βούλεται ὁ κατηγορῶν βελτίων εἶναι τοῦ φεύγοντος*. & lib. β. φυσικ. *βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον, τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον*. id eſt non enim omne extremum finis dici debet, ſed id demū quod ſit optimum: quo loco D. Thomas præſtantiſs. alioqui philoſophus, & Ariſtotelis interpres acutiſs. græcæ linguæ inſcitia titubauit. Cùm enim Ariſtoteles poëtā quendam reprehenderet, qui dixerat eum, qui mortuus eſſet, finem, cuius gratia natus eſſet, conſecutum eſſe: videri enim non omne extremum eſſe finem, ſed id demùm extremum, quod eſſet optimum, D. Thomas illud *βούλεται* refert ad poetam hoc ſenſu: vult poeta non omne extremum eſſe finem. &c. cùm ſit coniungendum cum nomine *ἔσχατον*, vt diximus.

9 Aiunt ſibi ex ore] rectè annotat P. Victorius vir doctiſs. in lib. variar. lectionum *ἐκπίπτειν* idem eſſe quod ex ore excidere. ſed non emendat vocem *αὐτοὺς* hoc loco. quæ mea quidem ſententia corrupta eſt, putoque legendum *ἐκπεσεῖν αὐτοῖς*. alioqui *ἐκπεσεῖν* dicuntur actores tragœdiarum aut comœdiarum, qui non fuerunt à ſpectatoribus probati, qui non ſteterunt, qui eiecti & exploſi ſunt. nota

ſunt

ſunt illa ex orat. Demoſth. *περὶ στεφάνου. σὺ μὲν ἐξέπιπτες, ἐγὼ δὲ ἐσύριττον.* Ariſt. *περὶ ποιητικῆς. ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται, ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν, καὶ μὴ κατὰ μέρος.*

10 Aut cum oſtendere vellet] ſecutus ſum codicem Florentinum, veterem interpretem, Argyropyl. quanuis mihi non diſpliceat ea ſcriptura, quam ſe reperiſſe in quibuſdam veteribus codicibus, ait Adrianus Turnebus, *θίξαι* id eſt tangere.

11 Et haſtam eſſe ſphæræ in modum] *ἐσφαιρῶσθαι.* ridiculè vertit Perionius. & haſtam orbicularis eſſe figuræ, quæ ſit lanceæ in formam directa. quis enim mortalium vidit vnquam haſtam orbicularis figuræ? neſciuit ſcilicet *ἐσφαιρωμένα* dici ligna, quæ ita ſint obtuſa, vt eorum extremum ſphæræ in modum ſit rotundum. hîc omiſſus eſt numerus index, in verbis Ariſtot.

12 Præterea verò quamobrem] ſic arbitror hũc locum eſſe legendum apud Ariſtot. *ἔτι δὲ τί διαφέρει τῷ ἀκούσια εἶναι τῶν κατὰ λογισμὸν, τὰ κατὰ θυμὸν ἁμαρτηθέντα;* Vult oſtendere Ariſtoteles. neque ea quæ ab ira impulſi, neque quæ cupiditate inflammati agimus, inuitè agi. Probauit autem iam ſuperiore ratione, ea quæ cupiditate peccantur, dici non poſſe inuitè peccari, quia hæc moleſta sũt, illa iucunda. nunc docet neque ea quæ iræ impulſu admittũtur, inuitè peccari dicenda, hoc modo. dicunt nonnulli ea quæ quis adhibita ratione peccat, ab iis quæ iræ impulſu peccat, eo differre, quòd hæc inuitè admiſſa ſint, illa autem nequaquam. At ſi ita eſſet, hæc non eſſent fugiēda, illa eſſent. nunc autem vtraque ſunt fugienda, tum ea quæ ratione adhibita peccantur, tum ea, quæ iræ impulſu: ſi fugienda, ergo & mala. At quæ facta ſunt inuitè, non ſunt mala. Ergo quæ quis peccat iratus, non peccat inuitus, immò verò ſua ſponte ac voluntate.

13 Tum cupiditas & iucundi eſt] non dubitaui multorum codicum conſenſum improbare Florentini, Pariſienſis, Veneti, Germanici, in quibus ita ſcriptum eſt. *καὶ ἡ μὲν ἐπιθυμία ἡδέος καὶ ἐπιλύπου: ἡ προαίρεσις δ' οὔτε λυπηροῦ, οὔθ' ἡδέος.* Viſa eſt enim mihi longè concinnior, planeque in-

incorrupta ac germana ea ſcriptura quam P. Victorius in vno codice manuſcripto antiquo extare dicit. hoc modo: καὶ ἡ μὲν ἐπιθυμία ἡδέος, καὶ ἐπίλυπος, ἡ δὲ προαίρεσις οὔτε λυπηρὰ, οὔτε ἡδέος.

14 Neque dicimus, neque conuenit ita] προαιρούμεθα δὲ λέγειν οὐχ ἁρμόζει. Perion. præ nobis ferre non decet. multa vno loco peccata. primùm ἁρμόζειν non eſt decere: ſed conuenire potius: deinde quid ſibi hæc volunt præ nobis ferre? non enim hoc dicit Ariſtoteles indecorum eſſe, aut non decere fateri, atque adeò prædicare, propoſitum nobis eſſe vt beati ſimus. (id enim glorioſum & prædicandum eſt, cùm beatitudo ſit vltimum bonorum) ſed cùm oſtendere velit quid interſit inter βούλεσθαι & προαιρεῖσθαι, dicit nos propriè & aptè ita loqui, βούλομαι εὐδαιμονεῖν. id eſt volo beatus eſſe: ſed προαιροῦμαι εὐδαιμονεῖν id eſt conſilium capio, vt ſim beatus, ſi quis dicat, ineptè locuturum.

15 Quandam opinionem] opinionem quandam appellat Ariſtoteles eam, quæ verſatur in iis rebus, quæ noſtra opera effici poſſunt. Suprà autem proximè opinionem, vniuerſam accipe. Iccircò malim illud ὅλως id eſt omnino coniũgi cum nomine δόξῃ, hoc modo. Idem igitur quod omnino opinionem &c.

16 Cuiuſdammodi ſumus.] Ariſtot. ποῖοί τινες ἐσμὲν id eſt certo quodammodo affecti ſumus, nempe vel boni, vel mali, vt ſuprà admonuimus:

17 Quòd eius rei ſit] τῷ εἶναι ὃ δεῖ. Perion. eius rei quæ ſit honeſta. quanuis non admodum abſit ab Ariſtotelis ſententia, tamen arbitror non idem eſſe, honeſtum, atque id quód oportet.

18 Etenim rerum omnium] Ariſtoteles hîc quatuor omnium rerum cauſas enumerat. naturam, neceſſitatem, fortunam, mentem, & quicquid opera hominis agit. Perionius hunc locum ſic vertit. horum enim cauſa eſt natura, neceſſitas. &c. quorum? nempe eorum quæ in noſtra poteſtate sũt. eſt enim talis Perionij verborum ſententia. At hoc falſum eſt, neque vnquàm ab Ariſtotele cogitatum.

19 Et quicquid per hominem agit] Ariſt. καὶ πᾶν τὸ δι' ἀνθρώπου. Subaudiendum eſt πρᾶττον. Perionius autem ſic

quic-

quicquid ab homine geri poteſt. At quî fieri poteſt vt quicquàm ab homine geſtum cauſa ſit, cum ſit effectum ?

20 Ad artem pecuniæ] χρηματιστικὴν. Perion. artem nummulariam. mendoſè.

21 An ſanaturus ſit] Ariſt. εἰ ὑγιάσει. Perion. an curet. Primùm ὑγιάζειν non eſt curare, ſed ſanare, aut ſanum facere. Deinde ſanare latinum verbum atque etiam (ſi quæris) Ciceronianum eſt. ſic enim de natura Deorum 3. Vomica Phærei Iaſonis, quam medici ſanare non potuerunt. Idem officiorum 3. ſanum facere pro ſanandi verbo vſurpat. ſi eo medicamento ſanus factus fuerit. Poſtremò aliud eſt ſanare, aliud curare. curant enim multi qui non ſanant, curãtq; omnes vt ſanẽt: ſed quiſquis ſanat, curauit, neq; quiſquam ſanat, vt curet.

An bonas leges] εἰ δ' ευνομίαν ποιήσει. Perion. an legẽ cõdat. tolerabilius peccaiſet, ſi bonam addidiſſet.

23 Retexere veluti deſcriptionem] Ariſt. διάγραμμα. Perion. lineam ducere. Lineam ducere latinè dictum eſt, ſed non ſatis eſt eum qui græca in latinum conuertit, latinè loqui: oportet enim illum eadem loqui & ſentire, quæ loquitur is, quem interpretatur.

24 Aut ſit ne ita piſtus ut oportet] ἢ πέπεπται ὡς δεῖ. in quibuſdam libris impreſſis ſequuntur hæc, ἢ πεποίηται ὡς δεῖ, quæ abſunt à libris Florent. Venetis, Pariſienſib.

25 Cum principium ad ſeipſum] ὅταν εἰς αὑτὸν ἀναγάγῃ τὴν ἀρχὴν, καὶ αὑτοῦ εἰς τὸ ἡγούμενον. Perion. cùm principium ad rem quam vult aggredi, retulerit, atq; ad id ipſum, quod eſt ex eo conſequens. aliud loquitur Ariſtoteles, aliud Perionius. Ariſtoteles hoc dicit, quærendi tum quenque finem facere, cum actionis principium ad ſe, & ad eam ſui partem, quæ præeſt, nempe rationem ſeu mentem potius, reuocarit.

26 Hæc eſt enim quæ] τοῦτο γὰρ τὸ προαιρούμενον. alii ſic verterunt, hoc enim eſt quod eligitur. ſed non rectè. Itaque D. Thomas culpa veteris interpretis, hunc locum perperàm intellexit.

27 Atqui eorum orati one] hoc dicit Ariſtoteles. Quidam dicunt id quod ſub uoluntatem cadit, eſſe uerum bonũ: ſed

ſed reſponderi poteſt, non ita eſſe: alioqui eueniet vt quod quis velit, non ſit voluntati optabile, exempli cauſa, quod quis optat atque eligit non rectè, id malum eſt: at quod quiſque eligit, id vult: ergo quod is vult, qui eligit minus rectè, id non eſt voluntati optabile, ſeu vt planius dicam, ſub voluntatem non cadit. nam ſi ſub voluntatem caderet, eſſet bonum: at erat malum. ergo id quod volet quis, non erit voluntati optabile, quod eſt abſurdum.

28 Voluntati optabile] ſic βουλητὸν hoc loco appellaui. aliàs id quod ſub voluntatem cadit. ſed quia hoc mihi videbatur hîc productius ac longius, illo altero vti malui: Eſt autem ſic accipiendum hoc totum, voluntati optabile, quaſi vnum ſit nomen, ne quis forte mihi dicat me debuiſſe dicere, boni viri voluntati optabile. quod quidem ſi cui magis placeat, non repugnabo. Hoc tantum volebam, hæc duo, voluntati optabile, pro vno βουλητὸν haberi, quando nullum vnum in tota lingua latina reperitur. Peto autem vt mihi ignoſcant tum diſerti, tum philoſophico ſtudio dediti homines, ſi neque dum latinè loqui ſtudeo, verbis vtor interdum philoſophorum nationi ſatis tritis, neque dum philoſophicas diſputationes, ac diſtinctiones religioſius tracto & perſequor, verba vſurpo Ciceroni vſitata. Nam cum M. Tullius philoſophiam Peripateticam latinis literis uix libauerit, ac tantummodo commentarios quoſdam Stoicorum in Latinum ſermonem ſuo arbitratu conuerterit, non eſt dubium quin fieri non poſſit, vt quiſquam verbis Ciceronianis philoſophiam Peripateticam explicet. Præclarè verò nobiſcũ agatur, ſi tãta nobis Latinorũ verborũ copia ſuppetat quãuis nõ admodũ Ciceroni vſitatorũ, vt ijs Ariſt. latinè poſſimus interpretari. Eſt igitur βουλητὸν, id quod barbari voluntabile appellant. i. id quod quis velle poteſt aut debet.

Itaque ſi quid agere] ὡς εἰ τὸ πράττειν καλὸν ὄν] ſententia horum verborum non eſt illa quidem obſcura: veruntamen eam non ſunt aſſecuti neque Perionius, neqne Strebæus. Duo igitur proponuntur, agere, non agere. quod agere, eſt honeſtum, id non agere, turpe eſt: quod non agere, honeſtum eſt, id agere eſt turpe.

30 Sponte improbus nemo] οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄ-

κων μάκαρ. Verſus eſt trimeter, è quo nos octonarium latinum fecimus.

31 Vt ne vel caleamus] ſecutus ſum libros emendatiores in quibus ſic legitur. μὴ θερμαίνεσθαι. nam à quibuſdam, ijsque corruptis, abeſt negatio.

32 Nam ne æger quidem ſanus] οὐ δὲ γὰρ ὁ νοσῶν, ὑγιὴς.] Perion. ita. quoniam ne ægrotus quidem valens & incolumis ſit. nihil hîc de incolumitate quæritur. ſed non eſt auſus vti vocabulo ſanus. quo tamen vtitur M. Tull. pro eo quem græci ὑγιῆ nominant, & qui corpore valet, vt ſuprà annotauimus. Vtitur & Horat. elegantiſſimus latini ſermonis auctor. Ita dum fugit apta & propria nomina, vtitur alienis, minimeque ad rem accommodatis.

33 In manus ſumere ac iacere] Ariſt. λαβεῖν καὶ ῥῖψαι ſic libri Florentini, Pariſienſes, Veneti. ſic & manu ſcripti. ſic denique Argyropy. aliter autem vetus interpres. qui videtur legiſſe βαλεῖν καὶ ῥῖψαι, cum quo nonnulli codices conſentiunt.

34 Imbecillitatis, deformitatis] ὁμοίως δὲ καὶ περὶ ἀσθένειαν, καὶ αἶσχος. Videtur mihi vox αἶσχος, redundare hoc loco. nam cum paulo ante dixerit eos qui deformes ſunt natura, reprehendi non ſolere, quid opus eſt iterum eadē dedicere?

35 Viſionem] φαντασίαν. ſic eam M. Tull. nominat, vt ſuprà oſtendimus. quam Perionius æſtimationem dicit, nouo & barbaro nomine. Voluit exiſtimationem dicere: quæ tamen græco reſpondet ὑπόληψις, vt alio loco docebimus.

36 Sin autem maleficij admittendi.] longum eſt hyperbatum, quod vſque ad illum locum pertinet: εἰ δὴ ταῦτ' ἐστιν ἀληθῆ. itaque vſque eò ſuſpenditur ſententia. Quia verò ſolet hæc res obſcuritatem parere, memoriamque lectoris turbare, remedio vtitur vſitato, eorum videlicet verborum repetitione, ad quæ referuntur, & à quibus pendent ea quæ longo poſt interuallo ſequuntur, hoc modo; ſi igitur hæc vera ſunt, ſcilicet neminem ſibi ipſum, cur maleficium admittat, cauſam eſſe &c.

17 Et ſi appetitionem finis] ἡ δὲ τοῦ τέλους ἔφεσις οὐκ αὐθαί-

αὐθαίρετος. ſuſpenditur etiam nunc ſententia: Perionius ita vertit quaſi concludatur, & quod grauius eſt, totum hunc locum corrumpit, quippe qui *αὐθαίρετος* vertat propter ſe approbanda.

38 Adoptare poteſt] adoptare propriè valet eligere, ita M. Tullius dicit, adoptare ſibi patronum & defenſorem, & Plaut. adoptare ſocium, & adoptare tutorem.

39 Benè à natura informatus] *εὐφυὴς*, benè factus, beneque compoſitus natura. Quocircà *εὐφυΐαν* nos naturæ bonitatem latinè reddidimus.

40 Poſitus eſt] *κεῖται*. ſciendum eſt. *ἐν τοῖς πρακτοῖς* id eſt in iis quæ ſub actionem cadunt, finem eſſe tanquam principium, quoniam ex eo pendet & apta eſt eorum, quæ ad actionem pertinent, neceſſitas, ſi neceſſitas eſt appellanda. Itaque quemadmodum in mathematicis nonnulla ſunt, quæ non egent probatione, neque docenda aut demonſtranda ſunt, ſed ea oportet eſſe poſita & conceſſa, appellanturque principia: ſic *ἐν τοῖς πρακτοῖς*, finem poſitum, fixum, certum, clarum, minimeque obſcurum eſſe par eſt, tāquam principium.

41 Sed aliquid etiam eſt] *ἀλλά τι καὶ παῤ αὐτῷ ἐστι*. ſic habent boni codices. nonnulli *παῤ αὐτοῦ*. quæ quidem verterunt alii, extra ipſum, alii præter hoc, alii aliter. incidi in quendam librum Germanicum, in quo ſcriptum eſſet *παῤ αὐτοῦ*, quæ lectio non eſt reiicienda. ſententiam enim continet non abſurdam, hoc modo. ſed ſi quid etiam eſt ab ipſo, id eſt ipſius labore, induſtria, ſtudio partum, non à natura tātùm acceptum. Vetus interpres, & Argyropylus perſpicuè legerunt *παῤ αὐτῷ*, quam lectionem ſecuti ſumus, vt omniū optimam.

42 Aequè enim in homine malo] hunc locum quanto & melius & fidelius, quàm alii, verterim, docti iudicabunt. Ego quidem & optimos codices ſecutus ſum, & Ariſtotelis ſententiam ſummo ſtudio exquiſiui, atque expreſſi. Primùm igitur veram lectionem proponam: deinde eius lectionis ſententiam exponam. *ὁμοίως γὰρ καὶ τῷ κακῷ ὑπάρχει τὸ δι᾽ αὐτὸν ἐν ταῖς πράξεσι, καὶ εἰ μὴ ἐν τῷ τέλει*. horū verborum hanc ſententiam eſſe puto: fingamus (inquit A-

X 2 ri-

riſtoteles) finem vnicuique hunc vel illum videri, ac propoſitum eſſe natura: nihilo magis tamen viri boni, quàm improbi hominis actiones, quæ ad eum finem referuntur, eaq; quæ ei fini conſentanea ſunt, ab eius opera, & ſtudio proficiſcuntur. Vult autem oſtendere Ariſtot. vitium æquè vt virtutem, eſſe ἑκούσιον, id eſt voluntate contrahi, ſiue finem nobis ipſi per nos & noſtro Marte proponamus, ſiue cùm finis nobis propoſitus fuerit natura, noſtræ actiones à voluntate, & conſilio noſtro oriantur.

43 Et à quibus rebus] ὑφ' ὧν τε γίνονται, καὶ ὅτι τούτων πρακτικοί. hæc vno quaſi ſpiritu continentur, quæ tamen alii diſcerpſerunt.

44 Cum rerum ſingularium] εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστα. Perionius, quòd rerum ſingularium teneamus ſcientiam. falſum eſt nobis res ſingulares ſemper eſſe cognitas. Nam ſi ſemper eſſent cognitæ, nihil vnquàm ageremus inſcientes, nihil inuiti. Nunc autem accidere poteſt vt quis cum muliere aliqua rem habeat, quæ ſit mater aut filia: quam tamen alienam eſſe exiſtimet.

45 Solitudinem, vitamque ſine amicis.] ſic reddidimus latinè ἀφιλίαν M. Tullium imitati lib. 1. de finib. Nam cùm ſolitudo, & vita ſine amicis, inſidiarum & metus plena ſit, ratio ipſa monet amicitias comparare. Idem in Lælio videtur ἀφίλους, inopes amicorum dixiſſe, et βίον ἄφιλον, vitam incultam & deſertam ab amicis.

46 Et in pecunia amittenda fidenti] καὶ πρὸς χρημάτων ἀποβολὴν δ' ἀθαρσῶς ἔχουσι. Perion. ad largiendum ſunt paratiſſimi. multa in paucis verbis peccata. quæ mihi non libet amplificare dicendo. ipſa enim per ſe magna ſunt.

47 Quæ autem homini tolerabilia ſunt] τὰ δὲ κατ' ἄνθρωπον. Perionius: quæ homini accidere poſſunt: mendosè. multa enim homini accidere poſſunt, quæ nõ ſint κατ' ἄνθρωπον. i. quæ homo ferre non poſſit.

48 Imperterritus] ἀνέκπληκτος. Perion. reprehenſione caret. reprehenſione carere latinum, & ſi voles, etiã Ciceronianum. ſed quid tum poſtea? oportet interpreti eam linguam quam interpretatur, eſſe cognitam. ἐκπλήττειν eſt exterrere. Vnde ductum ἀνέκπληκτος, qui non exterretur.

ſed

ſed ille fortaſſe putauit legendum *ἀνεπίληπτος*.

49 Sed ita vt oportet,& vt ratio poſtulat,&c.] ſic Ariſ. *ὡς δεῖ δὲ, καὶ ὡς ὁ λόγος, ὑπομενεῖ, τοῦ καλοῦ ἕνεκα.* Perion. hæc verba *ὡς ὁ λόγος, ὑπομενεῖ,* coniunxit, & ita interpretatus eſt, vt ratio poſtulabit. Atqui ea ſunt ſeparatim legenda *ὡς ὁ λόγος* ſubaud. *λέγει. κελεύει.* vt infrà eadem pagella. & iterum *οὗ δ' ὡς ὁ λόγος. ὑπομένειν* autem valet ferre, perferre, ſubire, non, poſtulare, vt ille interpretatur.

50 Nam pro rei dignitate] *κατ' ἀξίαν γάρ*, ſcio Argyropylum legiſſe, *κατὰ τὴν ἕξιν*, id eſt ex habitu. Verùm ſecutus ſum veterem interpretem, & codicem Florentinũ, & ceteros vulgatos.

51 Omnis autem actionis finis eſt id quod] ſic Ariſtot. *τέλος δὲ πάσης ἐνεργείας ἐστὶ τὸ κατὰ τὴν ἕξιν.* alij ſic interpretantur. omnis actionis finis eſt is qui habitui conuenit. & ita vetus ĩterpres. ego mei facti proferre poſſum multos viros doctos approbatores, qui ſic hæc accipiunt. *τὸ κατὰ τὴν ἕξιν.* i. id quod habitui conuenit: non vt ſit *τὸ τέλος ὂν κατὰ τὴν ἕξιν.*

52 In ijſdem igitur rebus] ſcio ita legi in omnibus, quos quidem viderim, codicibus, *περὶ ταῦτα μὲν οὖν.* id eſt in his igitur. ſed placuit mihi M. Antonij Mureti coniectura, qui ſuſpicatur legendum *περὶ ταὐτά.* quam lectionem ſequitur Aretinus. Quanquàm vtrocunque modo legas, nihil de ſententia decedit.

53 Cogunt etiam ij qui in prima acie locant] omnes libri & impreſſi, & manu ſcripti, quos quidem viderim, habẽt *οἱ προστάττοντες*. ſed Amioto viro doctiſſimo, qui mihi olim affirmauit ſe ſcriptum reperiſſe in codice quodam Pontificio manu ſcripto *προτάττοντες*, ideſt in primo ordine locãtes, aſſentior, eamque ſcripturam, quia mihi ad hunc locum valdè accommodata videtur, non poſſum non probare. Vetus interpres quidẽ infrà proximè quo loco legitur in vulgatis *παρατάττοντες*, perſpicuè legit *προτάττοντες*.

54 Belli terrores inanes.] *δοκεῖ γὰρ εἶναι πολλὰ κενὰ τοῦ πολέμου.* ſcio in quibuſdam libris legi *καινά*, ſed mendoſè. notum eſt prouerbium *κενὰ πολλὰ τοῦ πολέμου.*

55 Hermæo] Hermæum locus fuit in vrbe Bœotiæ Co

rona fortaſſe à Mercurio ſic appellatus . in quo cum Coronæi & Bœotij milites auxilio eis miſſi aduerſus Oenomarchum, qui arcem vrbis ſibi proditam occuparat, confligerẽt, omnes ad vnum ciues, pugnantes occubuerunt: auxiliarij verò ſtatim ut audierunt ducem quendam ſuum in prælio cecidiſſe, in fugam verſi ſunt .

56 Maximũ enim ad adeunda] varia eſt huius loci lectio. aliàs enim ὁρμητικώτατον γὰρ ὁ θυμός. aliàs κινητικώτατον. al. ἰτητικώτατον. quarum quancunque ſecutus fueris, eadẽ ſententia manebit.

57 Eosque ira adiuuat.] ὁ δὲ θυμὸς συνεργεῖ αὐτοῖς. non rectè Perionius, eis ſubſidio eſt, quaſi verò ſubſidio eſſe idem ſit Latinis quod συνεργεῖν Græcis, qua de re infrà dicemus.

58 Nam ſi ſint in ſylua, aut palude] ſic omnes codices & manu ſcripti & impreſſi, ἐὰν γὰρ ἐν ὕλῃ ἢ ἐν ἕλει ᾖ. quanquàm P. Victorio viro de literis optime merito aſſentior, qui ſuſpicatur à librarijs indoctis cum vnum ex his tantùm ab Ariſtotele eſſet poſitum, à ſtudioſo autem aliquo ad libri marginem alterum adiectum, vtrunque eſſe inculcatum.

59 Non igitur eò fortes] locus hic aliquanto mendoſior eſt : quem ſic arbitror eſſe corrigendum, leuiterq; immutandum οὐδή ἐστιν ἀνδρεία τῷ διὰ ἀλγηδόνος καὶ θυμοῦ ἐξελαυνόμενα πρὸς τὸν κίνδυνον ὁρμᾶν. vel οὐδή ἐστιν ἀνδρεία διὰ τὸ ὑπ᾽ ἀλγηδόνος καὶ θυμοῦ, &c.

60 Pugnaces] μάχιμοι. Perion. non rectè bellicoſi.

61 Verùm ſimile quiddam habent] ſecutus ſum bonos codices cum quibus conſentiunt vetus interpres & Argyropylus. eſt autem hæc illorum ſcriptura. παραπλήσιον δ᾽ ἔχουσί τι. verba enim illa. οἱ κατ᾽ ἐλπίδα, quæ reperiuntur in quibuſdam Germanicis, ab aliquo imperito & audaci librario adiecta ſunt.

62 Niſi ex euentu] εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκός. Perionius uertit fortuitu. ſed hoc mihi videtur græco reſpondere κατὰ τύχην. euenta autem ea eſſe quæ Græci συμβεβηκότα, barbari accidentia nominant, ex Lucretio optimo Latini ſermonis auctore cognoſcere licet. lib. 1.

Ergo præter inane, & corpora, tertia per ſe

Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui,
Nec quæ ſub ſenſus cadat vllo tempore noſtros,
Nec ratione animi quam quiſquàm poſſit apiſci.
Nam quæcunque cluent, aut his coniuncta duabus
Rebus ea inuenies,aut horum euenta videbis. &c.

At M. Tullius lib. de natura Deor. 2. Sunt autem (inquit) qui omnia naturæ nomine appellent,vt Epicurus, qui ita diuidit, omnium quæ ſunt, naturam,eſſe corpora & inane, quæque his accidant. Quibus ex locis perſpicuum eſt quæ dicuntur à Lucretio corporis & inanis euēta,à M.Tul. dici ea quæ his accidunt.

63 Nec ceruo viſo] οὐδ' ἰδὼν ἢ ἀγρῶν ἔλαφον, alludit ad Homeri verſum.qui eſt ἰλιάδ.γ. Ευρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα.

64 Quapropter collum ſibi] ſecutus ſum codicem Florentinum,& Pariſienſem,quorum hæc eſt ſcriptura. διὸ καὶ ηὔξατό τις ὀψοφάγος ὤν. in aliis codicibus autem, quos ſecutus eſt vetus interpres & Argyropylus, ſic legitur: ηὔξατό τις φιλόξενος Ερύξιος. Ego hæc duo φιλόξενος Ερύξιος, puto ab aliquo lectore eſſe adiecta, quæ reperiuntur tamen in libris ad Eudemum. ſed admonendus eſt lector hunc philoxenum falsò Eryxium appellari mea quidem ſententia, atque vbicunque legitur Φιλόξενος Ερύξιος, legendum,Φιλόξενος ὁ Ερύξιδος. .i. Eryxidis filius. Cur ita credam,hæ ſunt cauſæ. primùm quòd Athenæus libro ſexto eum τὸν Ερύξιδος,non Ερυξιον nominat. Deinde quòd idem lib. octauo, eundem Κυθήριον appellat,ex quo perſpicuum eſt Philoxenum illum Κυθήριον à loco, τὸν Ερύξιδος, a patre eſſe appellatum. Præterea lib.3. de moribus ad Eudemnm diſertè Eryxidis filius ideſt ὁ Ἐρύξιδος nominatur. Poſtremò Hermolaus Barbarus, cuius plurimi facienda eſt auctoritas,in epiſtola ad Antonium Galatheum,quam præpoſuit Themiſtio in latinum ſermonem à ſe conuerſo,ſic loquitur. Philoxenum Eryxidis, & Gnatonem Siculum gulæ proceres &c.hæ me cauſę impulerũt,vt crederẽ libros eos oẽs eſſe corruptos in quibus hic Philoxenus Eryxius appellatur.

65 Omnes enim cum indigent] ὅταν ἐνδεεῖς ἦ.Perion. cum vacui ſunt. non placet.

66 Lectum iugalem] καὶ εὐνῆς. pars eſt vltima verſus Homeric.ἰλιάδος.ω. D.Thomas lectum putauit ſignificari ad quietem, cùm eo lecto ſignificet Ariſtoteles complexum & vſum rerum venerearum. nos lectumque iugalẽ vertimus, ſatis,opinor, verecundè,nec minus apertè.

67 Offendunt pauci] ἁμαρτάνουσι.i. peccant, vt aliàs admonuimus.

68 Cum huius vel illius rei amantes] φιλοτοιοῦτοι dicũtur à græcis,qui vnius alicuius rei ſtudio præcipuè ſunt dediti. vt φιλολόγοι. φιλάργυροι. φιλόψυχοι. φιλότιμοι. φίλοινοι. &c.

69 Vel quòd nimium delectentur] ſic Ariſt. ἢ τῷ μᾶλλον, ἢ ὡς οἱ πολλοί. doctus quidam ſic hæc verba accipit, vt vnum ſignificent hoc modo.aut quòd magis quàm vt multitudo. à quo diſſentio,primùm quòd delectari re aliqua vt vulgus, malum eſt ipſum per ſe, etiam ſi non inſit in eo nimium: deinde quòd infrà paucis poſt verſibus,ita loquitur. μᾶλλον ἢ δεῖ, καὶ ὡς οἱ πολλοὶ,χαίρουσι.i. magis quàm oportet,& ita vt vulgus, delectantur.

70 Quòd non quà parte debent] ἢ μὴ ᾧ δεῖ, omnes ferè interpretes hæc verba omiſerunt, vel quòd non intellexerunt,vel quod ſe intelligere diſſimularunt. ineſt enim in eis(vt quidem mihi videtur) obſcœnitas.

71 Et cum voluptatibus potiri non poteſt.] καὶ ἀποτυγχάνων. Perionius. & fruendo angitur. ſi dixiſſet nõ fruendo,non admodum malè vertiſſet.

72 Neque omnino quibus ex rebus] οὔτε οἷς μὴ δεῖ. repetendum hic verbum ἥδεται. quod proximè antecedit, itemque in ijs quæ ſtatim ſequuntur οὔτε σφόδρα τοιούτῳ οὐδενί.

73 Neque magis quàm debet.] οὐδὲ μᾶλλον ἢ δεῖ, repete verbum ſuperius ἐπιθυμεῖ. delenda eſt autem vox οὐδενὶ, quæ ſequitur in omnibus ferè codicibus etiam Florentinis, præterquàm in Pariſienſibus. ſic enim ſe reperiſſe ſcriptum in quodam codice manu ſcripto teſtatur Adrianus Turnebus οὐδὲ μᾶλλον ἢ δεῖ, οὐδ' ὅτε μὴ δεῖ, οὐδ' ὅλως τῶν τοιούτων οὐδενός. ſubaudi ἐπιθυμεῖ. neque eſt quòd quiſquàm mihi dicat in ea voce οὐδενὶ, quam tolli oportere dicimus, ſubaudi-

ri

ri poſſe verbum ἥδεται. Nam primùm obſtat verbum ἐπιθυμεῖ, quod eſt vicinius. deinde ſi ita eſſet, Ariſtoteles eodem prope tempore & loco, idem ridiculè & præter conſuetudinem ſuam bis diceret. modò enim dixit οὔτε σφόδρα τοι οὔτω οὐδενί. id eſt neque vehementer vlla re tali delectatur. veheméter auté delectari & magis quàm oportet, delectari, vnum & idem ſunt.

74 Ad errata puerilia transferimus.] ἐπὶ τὰς παιδικὰς ἁμαρτίας. Perion. ad errores. ille ſcilicet nihil intereſſe putat inter errorem & erratum, cùm errore duci, aut in errore verſari dicantur qui falluntur, aut qui falſum aliquid opinantur: erratum autem idem ſit quod peccatum: græci ἁμάρτημα aut ἁμαρτίαν nominant. Sciant autem ij qui græcas literas neſciunt, ἀκολασίαν dictam eſſe à verbo κολάζειν. quod valet caſtigare. Iccircò tralatione quadam pueri ferociores & contumaciores, dicuntur ἀκόλαστοι quaſi non caſtigati, vel qui caſtigationis indigent.

75 Nam etiam pueri cupiditatem tanquã vitæ ſuæ] κατ' ἐπιθυμίαν γὰρ ζῶσι καὶ τὰ παιδία. Perionius. libidinosè viuunt. non puto Latinè dici poſſe pueros libidinosè viuere. & quid dixi latinè? immò ne verè quidem. non cadit enim in eam ætatem ea, quam latini libidinem nominant, neque pueri libidinoſi dici ſolent, etiam ſi rebus iucundis delectentur. puerilibus enim rebus delectantur, non turpibus & flagitioſis, ex quibus libidinoſa vita nominatur.

In librum quartum.

1 Iam verò ea quæ appellatur à Græcis.] Huius loci hæc mihi videtur eſſe ſententia. Aſotia & illiberalitas (inquit Ariſtotel.) ſunt in pecunia nimium & parum. ſed aſotia, quam proprium eius vitii, quod illiberalitati opponitur, nomen eſſe volumus, latius patêre, atque ad alia vitia pertinere videtur. Eos enim qui pecuniam, & rem familiarem in libidinem & res venereas profundunt, aſotos appellamus. at nomen quærimus, quod opponatur illiberali. Nam asôtus eum propriè ſignificat, qui rem familiarem & bona ſua diſſipat ac profundit, ſimpliciter, etiam ſi ea ad libidinum

intemperantiam, & rerum venerearum vſum non conferat. appellatur enim asôtus παρὰ τὸ σώζειν, & à particula priuante α. id eſt ab eo quòd is ſeruari nō poſſit. Videtur enim ad interitum properare is qui ſuas facultates perdit, ac profundit. Intelligamus igitur hanc vim huic nomini ſubiectā eſſe, neque nunc aſotiam pro intemperantia & libidinoſa illa luxuria accipiamus. Hanc putamus eſſe Ariſtotelis ſententiam. Quòd autem aſotos hoc loco luxurioſos latinè nominamus, id M. Tullij exemplo facimus, cuius hæc verba ſunt lib. de finib. ſecundo. de Epicuri verbis ad verbum expreſſa: Si ea quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos deorum & mortis & doloris metu, docerentq; qui eſſent fines cupiditatum, nihil haberem quòd reprehenderem, cùm vndique complerentur voluptatibus, nec haberent vlla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum ideſt aut malum. Idem paulo poſt, quos hîc luxurioſos latino nomine appellauit, græco asôtos nominat his verbis. Quid ergo attinet dicere, nihil haberem, quòd reprehenderem, ſi finitas cupiditates haberēt? hoc ē dicere, non reprehenderē aſotos, ſi non eſſent aſoti. &c. Atque hoc planius ex Athenæo cognoſci poteſt, qui eam Epicuri ſententiam attingit his verbis. lib. ζ. οἴεται γὰρ οὗτος ὁ σοφὸς καὶ τῶν ἀσώτων βίον ἀνεπίληπτον εἶναι, εἴπερ αὐτῷ προσγένοιτο τὸ ἀδεὲς καὶ τὸ ἵλεων.

2 Nimirum eo quòd rem familiarem] τὸ φθείρειν τὴν οὐσίαν. P. Victorius notat, in codice antiquo legi. τὸ φθεῖρον: quam lectionem ſi probamus, quanuis nihil immutet eam ſententiam quam expoſui, ſic vertam. nimirū eo quod rem familiarem perdit & conſumit.

3 Omnium hominum qui] τῶν ἀπ' ἀρετῆς. puto ſubaudiri φιλουμένων.

4 Moleſtum autem minimè] ſecutus ſum codicem Florentinum, Pariſienſem, Germanicum, qui hanc lectionem continent. ἄλυπον, ἢ ἥκιστα λύπηρον. vetus interpres autē videtur legiſſe ἄλυπον ἢ ἥκιστα λύπηρον. id eſt moleſtiæ expers aut minimùm moleſtum. quæ quidem lectio aliquantùm differt à priore, quam ego expreſſi. illa enim omnino negat id quod ex virtute geratur, eſſe moleſtum: hæc fatetur ali-

aliquantulùm eſſe moleſtum. id eſt enim minimùm moleſtum. & ita D. Thomas explicat ab interprete in fraudē inductus.

5 Nec ad accipiendum ſit attentus, nec ad.] ſic latinè ληπτικὸν reddidi, vt φυλακτικὸν, ad cuſtodiendum pertinacem. Eſt enim pertinax valde tenax, vt ex Plauto intelligere licet.

6 Iccircò & vulgò] διὸ καὶ ἐγκαλεῖται ἡ τύχη. ſic enim legendum non τῇ τύχῃ. id eſt accuſari fortuna ſolet.

7 Aut ceteris id genus honeſti formulis] οὐδ' ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. Quemadmodum dicimus cauſarum, actionum, iudicii, fiduciæ, poſtulationum, teſtamentorum formulas: ſic hæc, dare quibus, quo tempore, quãtum, quo animo dare oportet, honeſti formulas appellaui.

8 Neque ei probatur Simonides.] Plutarchus in libello περὶ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένου, ſcribit Simonidem dicere ſolitum ioco, duas ſe capſas habere, vnam pecuniæ, alteram gratiarum, illam ſe ſemper plenam: hanc ſemper inanem reperire. Verba Plutarchi ſunt hæc: Σιμωνίδης ἔλεγε παίζων τὴν τοῦ ἀργυρίου κιβωτὸν εὑρίσκειν ἀεὶ πλήρη, τὴν δὲ τῶν χαρίτων, κενήν.

9 Non facilè copulari, neque vnà] οὐ πάνυ συνδυάζεται. ſic habet liber Florentiæ impreſſus. aliàs συνδοιάζεται. quod idem valet. quorum verborum hæc ſententia eſt. profuſionis propria ſunt hæc, multa donare: pauca accipere. dixit enim ſuprà prodigum dando & non accipiendo modum ſuperare: accipiendo modum deſerere. Hæc igitur duo multùm donare, parum accipere, non admodum vnà conſiſtere, nec cohærere poſſunt. non enim facile eſt eum qui à nemine accipiat, omnibus donare. quidam alij libri habent συναύξεται, & ita vetus interpres. quam lectionem ſi quis alteri anteponet, cum eo equidem non pugnabo. erit autem eius hæc ſententia: quæ ſunt profuſionis propria, non admodum amplificantur. non enim facile eſt eum, qui nihil aut parum accipiat, diu donare, diuque profundere. Nam (vt inquit ille) largitio fundum non habet.

10 Aliunde igitur quærere.] ἀναγκάζονται οὖν ἑτέρωθεν πορίζειν. Perſpicua huius loci ſententia eſt. Prodigi immo-

moderatò ſumptu ſuas facultates citò exhauriunt. itaque cùm ſumptum perpetuò facere velint, neque id aſſequi cóſumpto patrimonio, poſſint, coguntur aliunde rem facere. Quòd ſi honeſtis rationibus rem facerent, non eſſent reprehendendi: nunc autem tanto largiendi ſtudio ducuntur, vt dummodo largiendi facultatem habeant, quiduis facere & pati nihil penſi habeant. Perionius hæc verba ſic vertit. alienis bonis manus afferre coguntur: non ſatis rectè mea quidem ſententia, quantumuis clamet licet illa Ciceronis eſſe. Scio. ſed quid ſibi illa velint apud Ciceronem, quæſo videamus. hæc loquitur M. Tull. offi. 2. atque etiam ſequũtur largitionem rapinæ. cum enim dando egere cœperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. ita cum beneuolentiæ comparandæ cauſa benefici eſſe velint, non tanta ſtudia aſſequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. en hæc verba, EORVM quibus ademerunt, & illud ſuperius RAPINAE: declarant, manus afferre bonis alienis, eſſe aliena eripere. at *πορίζειν ἑτέρωθεν*, non eſt aliena eripere, neque hoc dicit Ariſtoteles, ſed prodigos patrimonio ſuo effuſo, cogi ad aliquam pecuniæ quærendæ rationem non ſatis honeſtam confugere: quod ita eſſe, ut dico, ex illis uerbis Ariſtotelis intelligi poteſt. *ἅμα καὶ διὰ τὸ μηδὲν τοῦ καλοῦ φροντίζειν.* &c

11 In hæc mala delabitur.] *εἰς ταῦται μεταβαίνει*. Perionius. in hac miſerias incidit. non probo.

12 Alij quidem tùm æquitate & bonitate quadam &c.] *οἱ μὲν διά τιν' ἐπιείκειαν, καὶ δ'λάβειαν τῶν αἰσχρῶν.* ſequitur *δοκοῦσι γὰρ ἔνιοι*, id eſt uidentur enim nonnulli. &c. quæ uerba interpoſitionis nota ſunt includenda uſque ad illa. *οἱ δ' αὖ διὰ φόβον*. id eſt alij autem metu deterriti. &c. Atque hoc membrum reſpondet illi ſuperiori, *οἱ μὲν διά τιν' ἐπιείκειαν*. Quod non uidens Perionius totum hunc locum indignis modis lacerauit, ac perturbauit, ſimulque in eo peccauit quòd *δ'λάβειαν τῶν αἰσχρῶν*, vertit, uoluptatum obſcœnarum fugam. Atqui non dicit Ariſtot. aliquos eſſe qui ob fugam turpium uoluptatum, aliena neque appetant, neque tangere uelint, ſed ob id quòd uereantur, ne quid in ſe turpitudinis admittant, ut mox ipſe declarat.

13 Et quibus exiguum lucrum magna mercede conſtat.] *καὶ οἱ τὰ μικρὰ ἐπὶ πολλῷ.* oratio eſt admodum præciſa. nā ſubaudiendum in illo *τὰ μικρὰ*, verbum aliquod. & in hoc *ἐπὶ πολλῷ*, nomen ſubintelligendum. Antequàm igitur meæ interpretationis rationem reddam, quàm variè hic locus explicari probabiliter poſſit, exponam. Ac primùm arbitrantur quidam ſubaudiri poſſe verbum *διδόντες*, hoc modo *οἱ τὰ μικρὰ διδόντες ἐπὶ πολλῷ*. in hoc autem *ἐπὶ πολλῷ*, neceſſario ſubintelligendum *τόκῳ* uel *μισθῷ*. & ita erit hæc ſententia, & qui parua dant magnam mercedem accepturi. Verùm huic interpretationi aduerſatur id quod proximè ſequitur. Nam propter quæſtum, eumque exiguum, turpitudinem ac dedecus ſubeunt. Itaque hanc interpretationem reieci. Alia eſt multum diuerſa, eaque propriè mea. in qua ſubaudio non *διδόντες*, ſed *λαμβάνοντες*, hoc modo, *καὶ οἱ τὰ μικρὰ λαμβάνοντες ἐπὶ πολλῷ μισθῷ*: quorum verborum ea, quam expreſſimus & ſecuti ſumus, ſententia eſt. Probatur autem mihi primùm propterea quia cum ijs & quæ ſequuntur, & quæ antecedunt, maximè concinit: Deinde quia video ſic Græcos & Latinos eſſe locutos, vt *μέγαν μισθὸν*, & magnam mercedem dicant in malum. Hom. *ιλ.δ. σὺν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν.* vbi interpres annotat *μεγάλῳ*. ſubaud. *τόκῳ ἢ χόλῳ*. ego *χόλῳ*, nullo modo probo, *τόκῳ* malim aut *μισθῷ*. Et Demoſth. *ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν χερρονήσῳ. Ἐκ δὲ τούτων περιγίνεται ἡμῖν μὲν ἡ σχολὴ, καὶ τὸ μηδὲν ἤδη ποιεῖν (ἃ δέδοιχ᾽ ὅπως μήποτε ἡγήσησθε ἐπὶ πολλῷ γεγενῆσθαι) τούτοις δὲ χάριτες*. id eſt ex his autē nobis quæritur & redit otium, nihilque iam agere. quæ vereor ne aliquando exiſtimetis vobis carè conſtare, vel magna mercede contigiſſe. Catull. Rufe mihi fruſtrà ac nequicquam credite amice: Fruſtrà? immo magno cum pretio atque malo. M. Tull. in epiſt. ad Lentulum. Tamen in moleſtia gaudeo te eandem fidem cognoſcere hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. non ita magna mercede, valet, non ita magna iactura, aut magno incommodo. Et Tuſcul. lib. 3. Tamen illuc nihil dolere, non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore, quæ ſunt expreſſa de Crātore

tore,vt ſuprà annotauimus. Cur autem participium λαμβάνοντες, potius quàm διδόντες ſubaudiamus, facit præter ea quæ diximus, verbum ipſum λαμβάνειν, quod antecedit. ibid. οἱ δ᾽ αὖ κατὰ τὴν λῆψιν ὑπερβάλλουσι τῷ παντόθεν λαμβάνειν, οἷον οἱ τὰς. &c. ſtructura ipſa verborum profectò poſtulat, vt ſubaudiatur λαμβάνοντες. immo repetatur potius ἀπὸ τοῦ κοινοῦ hoc modo, καὶ οἱ τὰ μικρὰ λαμβάνοντες. loquitur enim de iјs qui accipiendo modum ſuperant. Sed quæret aliquis, quomodo in accipiendo modum ſuperare poſſunt, ſi exiguum quæſtum magna mercede emunt? dico eos iccircò modum ſuperare in accipiendo dici, quòd totum in eam rem, ſtudium ſuum conferant, totique ſint in accipiendo occupati quantumuis ſit illud exiguum ac puſillum. magnam autem mercedem accipio, vt ex iјs exemplis, quæ ſuprà protulimus, perſpici poteſt, non magnam aliquã pecuniam, ſed dedecus potius, turpitudinem, atque infamiam, qua afficiuntur ex eo quòd his artibus rem faciant. Eleganter igitur tales homines paruum lucrum magna mercede, aut magno pretio emere dicuntur. Nam vel maximum lucrum cum infamia & turpitudine coniunctum, ſi cũ ea comparetur, paruum eſt: itemque ea ipſa infamia cum illo lucro comparata, verè magna merces appellatur.

14 Qui vrbes euertunt] πόλεις πορθοῦντας. Perionius. qui ciuitates oppugnant. Primùm non ciuitates, ſed vrbes oppugnantur potius: deinde πορθεῖν non eſt oppugnare, ſed expugnare, euertere, delere. ex quo Vlyſſes & aliј dicuntur ab Homero πτολίπορθοι.

15 Mendicoque vago dare ſæpe ſolebam.] Hom. ἰλ. ρ. καὶ πολλάκι δόσκον ἀλήτῃ.

16 Magnificus autem homini ſcienti ſimilis eſt.] ἐπιστήμονι ἔοικε. Perion. docto. non rectè. aliud eſt enim ἐπιστήμων, aliud πεπαιδευμένος.

17 Sed in his quicquid magni eſt. &c.] ſententia huius loci hæc eſt. magnificẽtia à liberalitate magnitudine differt duntaxat, operiſque in quo ſumptus collocatur, amplitudine. Cum igitur liberalis pecuniam impendit in rẽ magnam & præclaram, magnitudo illa magnifici propria eſt.

18 Nempe magnitudo atque amplitudo eius, quæ &c.] ſic

ſic Ariſt. οἷον μέγεθος περὶ ταῦτα τῆς ἐλευθεριότητος οὔσης.
Locus eſt aliquanto obſcurior. ego autem verba ſic connecto, οἷον μέγεθος τῆς ἐλευθεριότητος τῆς περὶ ταῦτα οὔσης. quorum verborum hanc ſententiam eſſe puto. coniunctis ijs quæ proximè antecedunt. In iis quæ agit liberalis, quicquid eſt magnum, magnifici eſt: vt magnitudo liberalitatis quæ in his verſatur: quod ſimile eſt, vt ſi diceret, magnificẽtiam eſſe quandam liberalitatis magnitudinem. quam ſententiam videtur probaſſe D. Thomas. eandemque expreſſiſſe Argyropylus. interpunctio autem, quæ adhibetur inter vocem μέγεθος, & præpoſitionem περὶ, tollenda erit, ſi hæc ſententia placebit. M. Antonius Muretus, homo iudicii limatiſſimi, ingenijque acerrimi, exiſtimat interpunctum illud eſſe retinendum: ea autem quæ ſtatim ſequuntur, mendo non vacare, atque adeò ſic eſſe corrigenda, περὶ ταυτὰ δὲ τῆς ἐλευθεριότητος οὔσης, καὶ ἀπὸ τῆς αὐτῆς δαπάνης τὸ ἔργον ποιήσει, &c. id eſt cùm in eiſdem autem verſetur liberalitas, in quibus magnificentia, tùm ab eodem ſumptu opus efficiet, &c. de qua cõiectura nihil pronuntio: hoc tantum dicam, lectionem receptam ac vulgatam ferri poſſe, eiusque ſententiam mihi videri non ineptam neque abſurdam.

19 Poſſeſſionis atque operis virtus.] vide quæ ſuprà hoc de nomine annotauimus.

20 Operisque virtus ac præſtantia.] ſecuti ſumus codices emẽdatiores Floren. & Pariſienſ. qui ſic habent καὶ ἔστιν ἀρετὴ ἔργου μεγαλοπρέπεια ἐν μεγέθει. quibuſdam codicibus deeſt vox ἀρετὴ, quos ſecutus eſt Perion.

21 Quoniam & præter dignitatem] παρὰ τὴν ἀξίαν γὰρ καὶ παρὰ τὸ δέον. Perion. citra dignitatem & decôrũ. παρὰ non eſt citra, δέον non eſt decorum.

22 Decet porrò magnificentia] Ariſtot. πρέπει δὲ καὶ οἷς..&c. Perion. Atque etiam eos honeſtant. nihil vnquàm vidi peruerſius. erat hîc locus verbo decere: non eſt vſus, vſus eſt alieniſſimo: ubi non eſt locus, inculcat.

23 Vel ampulla.] ἢ λήκυθος. λήκυθον ampullam nominaui Adriano Turnebo auctore. & ſanè quas græci ληκύθους λόγων appellant, Latini verborum ampullas dicunt. Hora.

Proiicit

Proiicit ampullas & ſeſquipedalia verba. vnde ampullari verbum, quo idem Horat. vtitur. Et tragica deſæuit & ampullatur in arte. M. Tull. ad Atticum, lib. ſecundo. noſti illas ληκύθους.

24 Doni puerilis.] παιδικοῦ δώρου. Perionius. Pueri ratione & ſententia: nihil fingi poteſt à ſententia Ariſtotelis alienius.

25 Eos qui ſymbolam in cœnam dederunt.] ſic ἐρανιστὰς nominaui, quia reperio in Græcorum commentariis ἔρανον ſic definitum τὸ ἐκ συμβολῆς δεῖπνον. ne quis autẽ miretur me ſymbolam, non ſymbolum dixiſſe, admonuit Adrianus Turnebus, Terentij locum illum qui eſt in Andria, corrigendum eſſe, ſymbolamque ibi legendum, non ſymbolum. qua de re plura etiam dicemus in commentariis noſtris in Horatium.

26 Venuſti ac lepidi. &c.] οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι. Perion. breues homines ſunt aſtuti, mera ſomnia. quid valeat nomen græcum ἀστεῖος, quid latinum aſtutus, ne pueri quidem ignorant.

27 Quiſquis autem maiora ſibi deberi] finge aliquem magnis dignum eſſe, & paulo maiora tamen ſibi deberi exiſtimare: hic non eſt elatus, neque ſuperbus: magnanimo enim proximus eſt, ita vt quid cauſæ ſit, cur hoc nomine dignus non ſit, difficile ſit iudicare. ſic D. Thomas hunc locum explicat. alij hoc modo. finge aliquem paruis dignũ eſſe, & maiora quàm quibus dignus ſit, ſibi ſumere, aut poſtulare, hic non eſt elatus.

28 In vna re potiſſimum ſanè verſabitur] περὶ ἓν μάλιστ' ἂν εἴη. ſic habent emendati codices, quos ſecutus ſum. nõnulli περὶ ἓν μάλιστα ἄξιος ἂν εἴη. ſed mendosè. nam vox ἄξιος delenda eſt.

29 Quænam igitur ſit huiuſmodi. &c.] τί οὖν τοιοῦτ' ἔστιν ἐκ τῆς ἀξίας ληπτέον, tota hæc ſententia abeſt à libris Florentinis, Venetis, Pariſienſibus, neque agnoſcit vetus interpres, neque Argyrop.

30 Neq; verò verbis aut ratione] καὶ ἄνευ δὲ λόγου φαίνονται. &c.] Poterãt hæc & hoc modo cõuerti. neq; vero ratio eſt quærenda cur dicamus magnanimos in honore verſari.

31 Neque porrò conueniat magnanimo dimiſſis] οὐδὰμῶς τ' ἂν ἁρμόζοι μεγαλοψύχῳ φεύγειν παρασείσαντι, ſubau. τὰς χεῖρας. quid ſit fugere dimiſſis manibus, ex Plauto intelligere licet.ſic ille in Epid. immò ſi audias meas pugnas, fugias dimiſſis manibus domum. docet Ariſtoteles libro de ingreſſu animalium, eos citius currere, qui dimiſſis manib. currant: verba Ariſtot.ſunt hæc, καὶ οἱ θέοντες, θᾶττον θέουσι παρασείοντες τὰς χεῖρας. Non eſt autem diſſimulandum huius loci reſtitutionem P.Victorio de literis optimè meritò, ac doctiſſimo viro deberi: quem legat ſtudioſus adoleſcens lib.xv.variar.lectionum. Vtrùm autem dimiſſis manibus,an demiſſis,vt ſcribitur apud Plautum iu Pſeudo.ſit dicendum, pronuntiare non eſt meum. Veruntamen ſi quis meam ſententiam exquirat,dimiſſis malo,quàm demiſſis, propterea quòd magis græco uerbo παρασείειν reſpondet. hoc eodem autem verbo utitur Ariſt. προβλημ. περὶ κόπου.

32 Tribuere maiora] μείζω αὐτῷ ἀπονέμειν. Perionius. maiores habere, nempe honores: non probo: probarem ſi dixiſſet Ariſt. μείζους.

33 Itemq; ignominiam atque infamiam] ſic Hor.epiſt. ad Quintium. Falſus honor iuuat & mẽdax infamia terret Quem niſi mendoſum & mendacem?

34 Nam ne in honorem quidem] huius loci hæc ſententia eſt: magnanimus (inquit) tanti non faciet opes ac diuitias,vt aut in rebus ſecundis inſoleſcat, aut in aduerſis animo frangatur,& cõcidat.nam ne in honorem quidem,quæ res multo pluris eſt,quã diuitiæ,eo animo erit,ut aut honorem adeptus nimia lætitia geſtiat, aut honore ſpoliatus ac deiectus, mœrore contabeſcat: deinde rationem ſubiicit, quare honos diuitiis & potentia pluris ſit. Nam potentiam (inquit) & diuitias expetunt homines, vt honore afficiantur. Verba autem illa ὡς μέγιστον ὂν valent, rem quàm maximam, non vt vulgo interpretantur, tanquam rem maximam. ſic enim loquuntur græci ὡς μέγιστος, ὡς κάλλιστος, ὡς ἄριστος, vel ὅτι μέγιστος. &c. id eſt quàm maximus, quàm pulcherrimus, quàm optimus.

35 His ipſis] δι' αὐτῶν. non dicit δι' αὐτὰ, quod eſſet eorum cauſa, vel propter ipſa: ſed δι' αὐτῶν, vt dixi, id

eſt per ea.

36 Et huiuſmodi vitiis affecti.] *καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχοντες κακά.* ſcio hæc abeſſe à libris Florent. Verùm quia & habuit vetus interpres, nec mihi videntur ſuperuacanea, nõ putaui mihi eſſe reijcienda.

37 Iam verò neque ſeſe offert &c.] Varia eſt huius loci lectio. Alij enim codices ſic habent, *οὐκ ἔστι δέ πυκνοκίνδυνος, οὐδὲ φιλοκίνδυνος*, id eſt non crebrò autem ſeſe periculis offert, neque adeundi periculi cupidus eſt: alij *οὐκ ἔστι δὲ μικροκίνδυνος, οὐδὲ πυκνοκίνδυνος*: id eſt non offert autem ſeſe ad caſus paruorum periculorum, neque crebris periculis ſeſe obiicit: alii *οὐκ ἔστι δὲ μικροκίνδυνος, οὐδὲ φιλοκίνδυνος*, quam eò ſecuti ſumus, quòd ea & reperitur in libris Florentinis, & à vetere interprete, atque Argyr. probata eſt.

38 Et beneficio deuinctus erit.] *καὶ ἔσται εὖ πεπονθώς.* Perion. beneficium accipiet. benè vertiſſet, ſi Ariſtoteles dixiſſet, *καὶ εὖ πείσεται.*

39 Neque Thetis] *ἰλιάδ. α.* ſic loquitur Thetis,

Ζεῦ πάτερ εἴποτε δή σε μετ' ἀθανάτοισιν ὄνησα
ἢ ἔπει, ἢ ἔργῳ. &c.

40 Neque Lacedæmonij] cùm in Lacedæmoniorum fines Thebani inuaſiſſent, Lacedæmonii ab Athenienſib. auxilium petiuerunt: id vt obtinerent, non ſua in illos, ſed illorum in ſe beneficia præterita commemorarunt.

41 Neminem aut vix quenquam rogare] *μηδενὸς δεῖσθαι, ἢ μόγις. δεῖσθαι*, valet & rogare, & egere. Itaque hunc locum ſic quoque licebit interpretari, nullius indigere. ego tamen illo modo malui.

42 Odioſum, vixque tolerabile eſt.] *φορτικὸν*: poteſt & ita verti, odioſum atque ineptum.

43 Amat enim orationis libertatem] varia eſt huius loci ſcriptura. Videtur autem mihi ea multo optima, quæ in duobus codicibus manu ſcriptis reperitur, vno P. Victorij, altero Adriani Turnebi, quam quidem ſecutus ſum. ſic habent autem illi codices. *παῤῥησιαστὴς γὰρ, διὰ τὸ καταφρονητικὸς εἶναι: καταφρονητικὸς δὲ, διὰ τὸ παῤῥησιαστικὸς, καὶ ἀληθευτικὸς εἶναι.*

44 Neque verò alterius nutu] Ariſtot. καὶ πρὸς ἄλλον μὴ δύνασθαι ζῆν. Perionius. nec cum alijs,niſi cum amico vita, uictuque coniungitur. Nihil ab Ariſtotelis ſententia alienius excogitari poteſt. πρὸς ἄλλον ζῆν, eſt alieno more uiuere, alterius arbitratu viuere. ſic loquitur idem Ariſtot.libro rhetor.1.ἐλευθέριον γὰρ τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν. id eſt liberalis enim ingenii eſt alterius arbitratu non uiuere.

45 Neque facile admiratur] Horatius ait nihil admirari unum propè eſſe, quod beatum & efficere & ſeruare poſſit. Nil admirari prope res eſt vna Numici,

Solaque, quæ poſſit facere & ſeruare beatum.

46 Eſt.n.hominis nimiũ ſtudium &c.] Ariſt. σπουδάζοντος γὰρ οὕτως ἔχειν,περὶ ταῦτα.|Peri.boni.n.viri eſt his in rebus eam animi affectionem, conſtantiamque retinere. pudet me huius interpretationis. putauit ſcilicet verbo σπουδάζοντος ſignificari virum bonum: σπουδάζειν περὶ πλοῦτον, περὶ τιμὴν, περὶ λόγους, eſt in diuitiis, honore, literis ſtudium ponere. ſic loquitur Iſocrates. ἐθαύμαζε τοὺς περὶ αὐτὸν σπουδάζοντας: & Plato σπουδάζει περὶ τὸν πόλεμον: & Plutarchus σπουδάζει περὶ τὴν φιλίαν. ſic Ariſto. πολιτ. primo. ἀλλ' οὐ τοῦτ' ἐστὶ περὶ ὃ σπουδάζουσι. & infra. οὐ γὰρ σπανιστικὸς ὁ περὶ ὀλίγα σπουδάζων. Itaque vocem σπουδάζοντος coniungo cum illis verbis, quæ ſequuntur,περὶ ταῦτα, hoc modo,οὕτως ἔχειν, nempe ὀλοφυρτικὸν καὶ δεητικὸν εἶναι, id eſt facile queri de rebus aut neceſſariis, aut paruis, eius hominis eſt,qui his rebus ſtudeat, qui in his rebus elaboret,qui in his rebus ſtudium,atque operam collocet.

47 Propter has cauſas autem] Ariſt.διὰ τούτων:quæ verba explicat Aſpaſius.διὰ ταῦτα.

48 Et vox acuta eſt] ſic Ariſt. ἡ δ' ὀξυφωνία καὶ ἡ ταχυτὴς. Perion.Vocis contentio.aliud eſt vocis contentio, aliud ὀξυφωνία. Poteſt enim aliquis voce acuta eſſe,qui voce non contendat, vt puer, aut mulier: poteſt & aliquis voce contendere qui voce non ſit acuta, immò grauiſſima. At contentio vocis Ciceronianum eſt. quid tùm poſteà? multa ſunt & alia vocabula Ciceroniana. ſed nos oportet Ariſtotelem bona fide interpretari, non verba Ciceronis

alieno loco inculcare.

49 Sed pigri potius] mendoſi ſunt hoc loco libri Florentiæ impreſſi, in quibus ita ſcriptum eſt *ἀλλὰ μᾶλλον νωθροὶ*, cùm ſit legendum *ὀκνηροί*. quam lectionem confirmant vetus interpres, Argyrop. & omnes alij codices.

50 Deinde ſe ipſi, quales ſint] *εἶτα ἐξελέγχονται*. Perion. culpantur. ineptè.

51 In eum qui ſtudioſior ſit] ſic Ariſtot. *ἐπὶ τὸ μᾶλλον, ἢ οἱ πολλοί: ψέγοντες δὲ, ἐπὶ τὸ μᾶλλον ἢ δεῖ*. mira verborum breuitas, quam aſſequi nobis difficile eſt. itaq; hoc loco ſententiam Ariſtotelis, vt potui, expreſſi: verba nõ numeraui. quod iccircò dico, ne quis maleuolus mihi obiiciat ſcriptum eſſe ab Ariſtot. *ἐπὶ τὸ μᾶλλον*, non *ἐπὶ τὸν* &cet.

52 Extremi] *οἱ ἄκροι*. non rectè igitur ii qui uertunt extrema, quanuis uetus interpres ita legiſſe videatur.

53 Ea enim videtur eſſe manſueti] *βούλεται γὰρ ὁ πρᾶος ἀτάραχος εἶναι*. Perion. Vult enim clemens omni animi vacare perturbatione. nos de huius verbi *βούλεται*, ſignificatione in his locis, ſuprà diximus lib. 3.

54 Videtur enim hic prorſus] ſecutus ſum ſcripturam librorum Florentin. & Pariſienſ. quæ talis eſt. *δοκεῖ γὰρ οὐκ αἰσθάνεσθαι, οὐδὲ λυπεῖσθαι, μὴ ὀργιζόμενός τ' οὐκ εἶναι ἀμυντικός*. quam & vetus interpres probauit. Argyropylus autem videtur legiſſe, *οὐκ ἔστιν ἀμυντικός*. M. Antonius Muretus putat *τε*, commutãdũ in *δὲ*, hoc modo *μὴ ὀργιζόμενος δ' οὐκ εἶναι*. &c. ideſt. Cùm minimè iraſcatur autem, non facile ad propulſandam iniuriam excitari, quæ ſanè lectio mihi videtur elegantior ac politior.

55 Iram enim continent] *κατέχουσι γὰρ τὸν θυμόν*. Perion. Parẽt enim animi dolori. quid eſt aliud Ariſtotelis ſententiam corrumpere?

56 Qui enim paulum quiddam &c.] ſic Ariſtot. *ὁ γὰρ μικρὸν παρεκβαίνων οὐ ψέγεται, οὔτ' ἐπὶ τὸ μᾶλλον, οὔτ' ἐπὶ τὸ ἧττον*. Participium *παρεκβαίνων* cum iis quæ ſequuntur, *οὔτ' ἐπὶ τὸ μᾶλλον, οὔτ'*. &c. coniungendum eſt. qui deflectit paulum à medio, ſiue in hanc, ſiue in illam partem, id eſt ſiue ad nimium, ſiue ad id quod eſt parum, non uituperatur. Itaque

Pe

Perionius, qui cum verbo λέγεται, coniunxit, ab Ariſtotelis ſententia longiſſimè aberrauit. ſic enim vertit. is non eſt in vitio neque maiore, neque minore. Quid ſibi velint hæc verba, vitium maius, vitium minus, neſcio. hoc ſcio nō reperiri apud Ariſtotelem. Vtitur ille quidem his vocibus, μᾶλλον, & ἧττον: ſed in vtraque ſubaudiendum ἢ δεῖ. id eſt magis quàm oportet, & minus quàm oportet. quæ ſunt nimium & parum.

57 Moroſi & in contentionibus] δύσκολοι, καὶ δυσέριδες. Perionius, ſeditioſi. non rectè. ſeditioſos græci στασιώδεις nominant, qui longè alii ſunt, quàm δυσέριδες.

58 Commodum & bonum amicum] ἐπιεικῆ φίλον. ſic melioris notæ codices ſine coniunctione: deteriores habent ἐπιεικῆ καὶ φίλον.

59 Aut damnoſum] βλαβερὸν. Perion. nocens. non probo. Damnoſum autem quanuis non ſit Ciceronianum, eſt tamen Plautinum, Terentianum, & Horatianum.

60 Quòd ſi quid erit quod ei] hunc locum aliquantùm obſcurum ac difficilem, ego ſatis dilucidè, niſi fallor, interpretatus ſum. Veruntamen vt adoleſcentibus conſulam, ſententiam Ariſtotelis fuſius & planius explicabo. Si quid faciat (inquit) is quicum congreſſus erit is, quem amicum nominamus, quod ei ipſi, qui faciat, nec paruum dedecus, nec leue damnum illaturum ſit: ipſe autem amicus aduerſando leui moleſtia eum ſit affecturus: factum illud turpe non probabit. Perionius ea verba Ariſtotelis ἢ δ᾽ ἐναντίωσις μικρὰν λύπην, ſic vertit, & contraria leuem moleſtiam. ἐναντιοῦσθαι valet aduerſari: ἐναντίωσις igitur ipſa eſt aduerſandi actio.

61 Iis autem quæ ſunt euentura &c.] τοῖς δ᾽ ἀποβαίνουσιν, ἐὰν ᾖ μείζω. &c. Verba ſunt facilia, ſententia planiſſima: Perionius tamen ſic: quæ autem eueniunt, ex honeſtate, dico, et vtilitate: debuerat dicere, quæ autem eueniunt, honeſtas (inquam) & utilitas.

62 Vel minora fingere] ſic Horat. ad Claud. Neron.

Sed timui mea ne finxiſſe minora putarer
Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus uni.

63 Nec verò vi ac facultate] id eſt non intelligitur is

eſſe arrogans qui eam vim ac facultatem habet, vt poſſit ſibi, quæ non habeat, arrogare: ſed qui ſuum conſilium eò contulit, vt ſibi ea arroget, quæ non habet. ſic loquitur Ariſt. rhetor. I. *ὁ γὰρ σοφιστικὸς οὐκ ἐν τῇ δυνάμει, ἀλλ᾽ ἐν τῇ προαιρέσει.* &c. & eadem de re topic. 4.

64 Sed quòd elationem animi ſugiant.] *ἀλλὰ φεύγοντες τὸ ὀγκηρὸν.* ſic habent libri Florentiæ, & Lutetiæ impreſſi. alii autem *ὀχληρὸν.* Vetus interpres videtur vtranque lectionem ſecutus eſſe.

65 Qualis eſt Lacedæmoniorum] de hac Lacedæmoniorum ex ſqualore veſtis, arrogantia ſic ſcribit Aelianus variæ hiſtoriæ libro nono. *Διογένης εἰς Ὀλυμπίαν ἐλθὼν, καὶ θεασάμενος ἐν τῇ πανηγύρει Ῥοδιακούς τινας νεανίσκους πολυτελῶς ἠσθημένους, γελάσας ἔφη, τύφος τοῦτό ἐστιν: Εἶτα περιτυχὼν Λακεδαιμονίοις ἐν ἐξωμίσι φαύλαις καὶ ῥυπώσαις: ἄλλος, εἶπεν, οὗτος τύφος.*

66 Intererit autem etiam inter quales] *διοίσει δὲ καὶ τῷ ἐν τοῖς τοιούτοις λέγειν ἢ τοιούτων ἀκούειν.* ſecutus ſum hoc loco D. Thomam. qui mihi eum videtur rectiſſimè explicare. Poteram & ſic vertere, nulla ex parte tamen ea, quam expreſſi, ſententia immutata. Hoc autem differet ea, quā dixi, ſermonis communitas altera ab altera, quòd vel inter hos atque illos verba fiant, vel hi atque illi audiant.

67 Et odioſi homines] *καὶ φορτικοί.* ſi dicerem hoc loco, & inepti homines, non quadraret.

68 Increbruerint] ne quis miretur me dicere increbruerint, non vt vulgò, increbuerint, quamuis hoc alienum eſt à noſtro inſtituto, lubet tamen, paucis etiam hoc loco mei facti rationem reddere, eam ob cauſam maximè, quòd audio doctos quoſdam aliter ſentire. Dico igitur à nomine creber, verbum crebreſco deduci: vt à nominibus macer, niger, ceteriſque quorum patrius caſus exit in ri, macreſco, nigreſco, & à patriis caſibus integri, ſacri, integrare, ſacrare. Quòd autem illi obiiciebant rubeſco à nomine ruber proficiſci, atque eadem ratione crebeſco à creber eſſe fingendum, non crebreſco: reſpondeo illud rubeſco, non à rubro, ſed à rubore formari: vt palleſco à pallore, puteo à putore, fœteo à fœtore, candeo à candore, caleo à calore.

69

69 Nam quæ quiſque æquo animo] ἃ γὰρ ὑπομένει ἀκούων. Perion. quæ enim ſuſtinet audire. hoc loquendi genus latinum eſſe non puto , nedum Ciceronianum . Latinè enim dicimus propriè onus ſuſtinere,ex cuius ſimilitudine, nata ſunt illa ſuſtinere munus, dolorem, laborem , ſeruitutem, pœnam, negotium ,curam, culpam , grauitatem cœli &cet . ſuſtinere audire autem, videtur mihi durum , & inſolens .

70 Salsè dictum enim, quoddam] idem Ariſtoteles alibi σκῶμμα dicit eſſe ἀσχήμονα λοιδορίαν. id eſt maledictū ſpecioſum, ſeu honeſtum.

71 Scurra autem ridiculo] ὁ δὲ βωμολόχος ἥττων ἐστὶ τοῦ γελοίου, id eſt ſi verbum de verbo exprimas , ſcurra ridiculo inferior eſt, quod tantundem valet , quantum ſi diceret , à ridiculo ſuperatur , non poteſt ſibi imperare quin riſum moueat , vel quin aliquid ſalsè dicat.Eſſe autem difficile ea quę ſalsè dici poſſunt, tenere, declarat illud Ennianum, flammā à ſapiente facilius ore in ardente opprimi, quàm bona dicta teneat . quod cum eſſet ab Ennio in aliam ſententiam dictum, faceti quidam homines eò detorſerant , vt bona dicta , ſalsè dicta interpretarentur,quemadmodum ſcribit M. Tull. de orat. lib.2.

72 Cùm nec ſibi,nec]ſic Horat. Dummodò riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquàm parcet amico .

73 Eorum enim quæ] Ariſt. ἐπὶ τοῖς ἑκουσίοις γὰρ ἡ αἰδώς. nihil his verbis facilius. Perionius autem ſic ea interpretatur . Pudor uoluntate , iudicioque ſuſcipitur : quàm benè, vel pueri iudicabunt .

In librum quintum .

1 Valenter ambulare] ὑγιεινῶς βαδίζειν. Perion. rectè ambulare. non probo. ſciendum eſt autem cum ὑγιεινὸν dicatur , (vt ſcribit Ariſt. lib. 1. topic.) tribus modis, τὸ μὲν ὑγιείας ποιητικὸν,τὸ δὲ φυλακτικὸν, τὸ δὲ σημαντικὸν.id eſt aliud efficiens ſanitatis, aliud quod vim habet conſeruandę ſanitatis aut valetudinis , aliud quod ſignificat in aliquo in-

eſſe ſanitatem, totidemque modis dicatur *ὑγιεινῶς*, accipiendum eſſe hoc loco *ὑγιεινῶς* pro *σημαντικῶς*. Iccirco interpretati ſumus valenter, nō, ſalubriter. nam valenter ambulare, ſignificat eum qui ambulat, benè valere. rectè autem ambulare poteſt aliquis, qui non benè valeat.

2 Soliditas carnis] ſic *σαρκὸς πυκνότητα* nominaui. nā quæ denſa ſunt, eadem ſunt & ſolida. & apud Teren. in Eunuch. corpus ſolidum quod laudat Chærea ille in uirgine, videtur mihi idem valere, quod *πυκνὸν*.

3 Nominis communitas] ſic *ὁμωνυμίαν* latinè reddidi. *ὁμώνυμα* enim ſic definit Ariſt. *ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας, ἕτερος*.

4 Clauis] *κλεὶς* apud græcos eſt homonymum, apud Latinos non item.

5 Et is qui contra legem] duæ ponuntur ab Ariſtot. ſiue partes, ſiue formæ *τοῦ ἀδίκου. ὁ παράνομος*, qui legibus nō obtemperat, ſeu qui contra legem committit. *ὁ ἄνισος*. id eſt iniquus, ſeu inæqualis. quem & *πλεονέκτην* nominat. ſed quia hic *ἄνισος* ſeu *πλεονέκτης*, non ſolum ſibi plus boni, quàm par ſit, appetit, ſed etiam minus mali: mali autem minus quodammodo videtur bonum, fit vt *μειονέκτης τῶν κακῶν*, id eſt is, qui minus malorum ſibi ſumit, dicatur etiam *πλεονέκτης* eſſe. i. plus ſibi vendicare. dicatur denique & *ἄνισος*, quia *ἄνισον* continet plus & minus.

6 Ius igitur erit tum] ſic malui *τὸ δίκαιον* Latinè reddere, & *ἄδικον* iniuriam, quam iuſtum & iniuſtum. quanuis & *ἀδίκημα* ſoleam nonnunquam iniuriam interpretari. nā iniuriæ nomen tum id ſignificat quod iuri opponitur, vt cū dicimus, iure an iniuria occiderit: tum iniuſtè factum. ſic enim definit auctor ad Herenn. vt infrà dicemus numero 55. Quoties igitur *τὸ δίκαιον*, ius interpretor, neceſſariò *τὸ ἄδικον*, iniuriam appello. *ἀδίκημα* autem ſæpius iniuſtè factum, rarò admodum iniuriam.

7 Quæ ſimpliciter bona ſunt] *τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ*. Perio. ſalutaria: non placet. Ariſtoteles enim hoc loco, diuitias, opes, & cetera fortunæ bona, bona appellat, quæ nemo qui latinè ſciat, ſalutaria dixerit.

8 Sed iniuſtus non ſemper] locus eſt facilis, & apertus, quem

quem Perionius tamen minus rectè interpretatus eſt. hoc igitur ait Ariſtot. non ſemper iniuſtus plus ſibi vendicat, ac ſumit, ſed interdum etiam minus, exempli cauſa. in bonis, plus ſibi boni ſumit, in malis, minus mali: ſed quia minus malum, ſi cum maiore malo comparetur, quodammodo bonum eſt, boniq́ue rationem obtinet, iccircò homo iniuſtus, quoties ſibi minus mali ſumit, plus aliis relinquit, atque adeò imponit, videtur nihilominus dici poſſe πλεονέκτης, id eſt pluris, vt ita dicam, cupidus: ſed eſt propriè ἄνισος, vt diximus. hoc enim πλεονέκτην & μειονέκτην continet.

9 Cupiditas autem eius quod plus eſt] pendet etiã nũc ſententia, hoc modo. quia autem cupiditas eius quod plus eſt, &c. id eſt quia cum dicimus aliquem plus ſibi appetere, eum ſignificamus plus boni ſibi appetere, iccircò ille. &c. Perionius hæc non ſatis explicat. Verba autem illa quæ ſtatim reperiuntur in quibuſdam libris Germanicis τὸ γὰρ ἄνισον ἔχει τὸ πλέον καὶ τὸ ἔλαττον, cùm abſint à libris Florentinis, neque ea habuerint vetus interpres, Argyropylus, Aretinus, ego mihi reiicienda putaui, vt ab aliquo arrogante adiecta.

10 Nam hoc ipſum quod peccatum in legem] ſic habent omnes libri & manu ſcripti, & impreſſi, quos quidem viderim, τοῦτο γὰρ ἡ παρανομία, ἤτοι ἡ ἀνισότης. &c. id eſt nam hoc ipſum, peccatum in leges aut inæqualitas, quibus verbis nihil mea ſententia ineptius dici poteſt. Equidẽ hũc locum ſemper eſſe iudicaui corruptum. Nam primùm παρανομία & ἀνισότης, id eſt peccatum in leges & inæqualitas, duæ ſunt res differentes ac diuerſæ, quas iniuſtitiæ nomine ſignificari dixit. non poteſt igitur conſtanter ab Ariſtotele ita dici, hoc, nempe peccatum in legem, aut inæqualitas, quaſi hæc duo vnum ſint: Deinde quid minus credibile, quàm ita eſſe locutum Ariſtotelem, τοῦτο ἡ παρανομία ἤτοι ἡ ἀνισότης; nonne, ſatis erat dixiſſe τοῦτο, quod refertur ad id quod proximè antecedit? Poſtremò ſi quis dicat Ariſtotelem, id feciſſe, vt planius loqueretur, ac ſe ipſe explicaret: cur alterũ illud addidit, ἤτοι ἡ ἀνισότης, quæ vt dixi, in iis numerata eſt, quæ communi iniuſtitiæ nomine ſignificantur, & vt à peccato in legem differens, poſita? ſed

quid

quid fruſtra tempus contero? ego hæc verba ἡ παρανομία ἤτοι ἡ ἀνισότης, puto eſſe mera librariorũ peccata, qui cùm ea reperiſſent ad marginẽ aſcripta, alijs lectoribus ſub prouocabulo, τοῦτο, παρανομίαν, ſubintelligentibus, aliis ἀνισότητα, in ſcripta Ariſtotelis coniecerunt. Quod quidem ita videtur & M. Antonio Mureto doctiſſimo atque acutiſſimo viro. Ego autem ne nimis ad viuum omnia reſecarem, vocem illam, ἡ παρανομία, ſuo loco non moui, quanuis, ſi quis meam auctoritatem ſequi volet, eam quoque poterit vel meo periculo, delere. ſatis enim plana & luculenta oratio eſt ſine hac puerili atque inepta nominis repetitione: neque quiſquam eſt, paulo qui ſit homo tolerabilis, qui cũ hæc legat, τοῦτο γὰρ περιέχει πᾶσαν &c. non ſtatim ſubintelligat nomen quod proximè antecedit, τὸ παράνομον. Vnum etiam reſtat, de quo admoneam, verba illa ſuperiora, τοῦτο γὰρ περιέχει καὶ κοινὸν, quæ ſunt interiecta inter hæc duo, ἄνισος, καὶ παράνομος, M. Antonius Muretus putat eadem librariorum vel imprudentia, vel confidentia in locum alienum inuaſiſſe: cenſetque ille totum hunc locum, hoc modo legendum. διὰ τοῦτο δοκεῖ πλεονέκτης εἶναι: ἔστι δὲ ἄνισος καὶ παράνομος. τοῦτο γὰρ περιέχει πᾶσαν ἀδικίαν, καὶ κοινόν ἐστι πάσης ἀδικίας.

11 Rectè quidem ea lex] ſecutus ſum libros Florentinos, & Pariſienſes, in quibus ita ſcriptum eſt. ὀρθῶς μὲν ὁ κείμενος ὀρθῶς, χεῖρον δὲ &c. quam ſcripturam comprobat Argyrop. Alii libri habent ὀρθὸς μὲν. &c. χείρων δὲ. &c

12 In ijs autem quas cum altero] ἐν δὲ τοῖς πρὸς ἕτερον. Perion. in alienis. non probo.

13 Si eum cui in acie proximus,] τὸν παραστάτην. Perio. Si in acie locum & ordinem, deſeruit. nomen παραστάτην nõ ſatis videtur expreſſiſſe.

14 Verùm quoniam non eſt idem. &c.] Varia eſt huius loci lectio. ſic liber Florent. & Pariſienſ. cum quibus conſentiunt Argyropylus & Aretinus. Ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον, καὶ τὸ πλέον, οὐ ταὐτὸν, ἀλλ᾽ ἕτερον, ὡς μέρος πρὸς ὅλον: τὸ μὲν γὰρ πλέον ἅπαν ἄνισον. τὸ δ᾽ ἄνισον οὐ πᾶν πλέον: καὶ τὸ ἄδικον &c. Vetus interpres autem ſic videtur legiſſe. Ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον καὶ τὸ πλέον οὐ ταὐτὸν, ἀλλ᾽ ἕτερον ὡς μέρος πρὸς

ὅλον:

ὅλον: τὸ μὲν γὰρ ἄνισον ἅπαν, παράνομον: τὸ δὲ παράνομον οὐχ ἅπαν ἄνισον. τὸ μὲν οὖν πλέον ἅπαν ἄνισον: τὸ δ' ἄνισον οὐ πᾶν πλέον, ſed perſpicuum eſt hanc ſcripturam eſſe mutilam ac decurtatam. Iam in ſcriptura libri Florentini & Pariſienſis deſideratur totum illud membrum de inæquali & eo iniuſto quod contra leges committitur: quod vel præcipuum argumentum eſt, quo probat Ariſtoteles iniuſtitiā vnam aliquam eſſe vniuerſam & generalem, alteram vt partem, generi ſubiectam, de qua hoc libro diſputare inſtituit. Eſt enim tale argumentum. ſi id iniuſtum quod contra leges committitur, (παράνομον appellant græci) generis eſt inſtar: id iniuſtum autem quod inæquale nominatur, pars eſt generis: efficitur ex eo vt iniuſtitia hæc de qua hîc diſputaturus eſt, quam inæqualitatem dicimus, non ſit eadem atq; illa vniuerſa & generalis quæ legibus aduerſatur, quæque impellit, vt quis contra leges committat. Idemque de iuſtitia ſentiendum, vnam ſcilicet eſſe legitimam, generalem quandā & vniuerſam iuſtitiam: alteram eius partem ſeu ſpeciem, quam æqualitatem nominamus. Quoniam igitur hæc Ariſtotelis ſententia eſt, quam expoſuimus, ſic cenſeo ea quæ deſunt ei ſcripturę, quam vetus interpres ſecutus eſt, ſupplenda. Ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον καὶ τὸ πλέον, οὐ ταυτὸν, ἀλλ' ἕτερον, ὡς μέρος πρὸς ὅλον: τὸ μὲν γὰρ πλέον ἅπαν ἄνισον, τὸ δ' ἄνισον οὐ πᾶν πλέον: καὶ ἐπεὶ τὸ παράνομον, καὶ τὸ ἄνισον οὐ ταυτὸν, ἀλλ' ἕτερον ὡς μέρος πρὸς ὅλον: τὸ μὲν γὰρ ἄνισον ἅπαν παράνομον, τὸ δὲ παράνομον οὐχ ἅπαν ἄνισον: καὶ τὸ ἄδικον. &c. Hanc lectionem probauimus, atque interpretati ſumus. quæ ſi cui non probabitur, licet totum illud tollat, qđ eſt ab illis verbis καὶ ἐπεὶ τὸ παράνομον, vſq; ad illa καὶ τὸ ἄδικον. Ego quidem & veteris interpretis auctoritate, & ſententia Ariſtotelis, quæ hunc verborum ordinem poſtulare mihi videbatur, adductus ſum, vt ita hunc locum legendum putarem.

15 Non eſt enim forraſſis idem.] M. Tull. epiſto. ad Lentulum, ſignificat aliquid intereſſe inter bonum virum, & bonum ciuem his verbis. Ego cum ipſa quaſi rep. ſum collocutus, vt mihi tam multa pro ſe perpeſſo atque perfuncto concederet, vt eum quem bonum ciuem ſemper habuiſſet, bonum virum eſſe pate-

patererur, Et Ariſtot. lib.3. polit. pluribus verbis hac de re diſputat, probatque tandem in optima reip. forma eundem eſſe bonum virum & bonum ciuem.

16 Eſt vt alter cum altero] id eſt fieri poteſt vt: quod græci dicunt interdum ἔϛιν ὅπως. Hora. epiſt. ad Iccium lib. 1. non eſt vt copia maior Ab Ioue donari poſſit tibi. Lucret. lib. 2. non eſt ut credere poſſis Eſſe infinitis diſtantia ſeminaformis. & lib. 3. quòd ſi linquuntur & inſunt, Haud erit vt meritò immortalis poſſit haberi. Et lib. 4. Hic odor ipſe igitur nares quicunque laceſſit, Eſt alio ut poſſit permitti longius alter.

17 In quacunque enim actione] ſic Ariſt. ἐν ὁποίᾳ γὰρ πράξει ἔϛι τὸ πλέον καὶ τὸ ἔλαττον, ἔϛι καὶ τὸ ἴσον. Perioni. Verbis perperam interpunctis hoc modo, in quacunque enim actione plus & nimium uerſatur, in eadem etiam minus æquumque cernitur.

18 In duobus minimùm reperitur] ἔϛι δὲ τὸ ἴσον ἐν ἐλαχίϛοισ δυσὶν. Perion. in duobus minimis. non loquuntur ita Latini.

19 Nam quod ius in diſtributionibus τὸ γὰρ δίκαιον ἐν ταῖς διανομαῖς. Perion. in legibus: fortaſſe putauit legendum ἐν τοῖσ νόμοισ. turpiſſimum erratum.

20 Ij aũt apud quos reip. præſunt &c.] οἱ ἀριϛοκρατικοί. Ariſtocraticos appellat eos Ariſtoteles, qui optimatum imperio gubernantur. Perion. ita, Qui optimum reip. ſtatum ſibi conſtituerunt. Atqui multùm intereſt inter optimum reip. ſtatum, & eum in quo optimi vel optimates imperant.

21 Eius numeri quo aliquid numeramus] μοναδικὸν appellant græci eum numerum qui conſtat ex monadibus, id eſt (ſi hoc nomine vti licet) vnitatibus. Hoc ergo dicit Ariſtoteles. non in hoc numero ſolùm proportionem reperiri, ſed etiam in rebus iis, quæ numerantur.

22 Iniuriæ medium, id eſt eius] hic locus proculdubio corruptus eſt. Videtur autem deeſſe vox ἀδίκου, hoc modo. καὶ μέσον τὸ δίκαιον τοῦ ἀδίκου τοῦτέϛι. &c. Vetus autem interpres videtur ita legiſſe. δίκαιόν ἐϛι καὶ μέσον. τὸ δ' ἄδικόν ἐϛι τὸ παρὰ τὸ ἀνάλογον. τὸ γὰρ ἀνάλαγον μέσον. &c. id eſt alterna extremorum cum extremis coniugatio ius eſt, & medium

dium. Iniuſtum autem eſt id quod à proportione auerſum eſt. Nam quod &c. ego priorem ſcripturam ſecutus ſum.

23 Lucrum autem & damnum plus & minus eſt contrariè.] Perionius huius loci ſententiã totam deprauauit. quæ tamen planiſſima eſt.

24 Nihil aliud enim videtur] *ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον ἔμψυχον δίκαιον.* Perion. Profitetur enim ſe iudex legem eſſe loquentem. At non eſt ea vis verbi *βούλεται* hoc loco, quam putauit, vt ſuprà docuimus. præterea *δίκαιον ἔμψυχον*, non rectè reddidit legem loquentem mea quidem ſententia.

25 Itaque vocant eos nonnulli *μεσιδίους*] ſic ſcriptum eſt in libris Florentinis, & Pariſienſibus, non, vt habent alii nonnulli *μεσοδίκους*. Exiſtimo autem *μεσιδίους* eſſe qui aliquam rem mediam diuidunt à verbo *μεσίζειν*, quod eſt medium diuidere, ſeu in duo æqualia partiri.

26 Sed paria paribus reſpondent] *ἀλλ᾽ αὐτὰ δι᾽ αὐτῶν γένηται.* alii ſic hunc locum verterunt, quando conſtãt ſuæ cuique opes. alii, quando ſua cuique per ſe ipſa euaſerint. alii aliter. genus hoc loquendi rarum admodum eſt. ego ſententiam expreſſi neque admodum à verbis abhorrentem, neque ab eo de quo agitur, alienam.

37 Itaque lucri cuiuſdam & damni, quæ præter.] Locus eſt aliquanto obſcurior. ſecutus ſum autem ſcripturam libri Florentini, & Pariſienſis, quã agnoſcit vetus interpres, probat Argyropylus quæ talis eſt: *ὥστε κέρδους τινὸς καὶ ζημίας μέσον τὸ δίκαιόν ἐστι τῶν παρὰ τὸ ἑκούσιον.* loquitur hoc loco Ariſtoteles de iure quod *ἐπανορθωτικὸν* à Græcis appellatur, ideſt quod ad emendandum comparatum eſt, in quo lucri & damni nomina à contractibus voluntariis mutuò accepta ſunt. Lucrum enim exempli cauſa, feciſſe dicitur is, qui alterum verberauit: damnum, qui vapulauit. Hoc igitur ius (inquit Ariſtoteles) lucri cuiuſdam & damni eſt medium, eorum quæ locum habent in contractibus non voluntariis. nonnulli codices habent *τὸ παρὰ τὸ ἑκούσιον.* quæ lectio ſi cui probabitur, coniugendum erit cum voce *δίκαιον.* hoc ſenſu, ius quod diuerſum eſt ab illo, quod verſatur in contractibus voluntariis. Iam illa verba quæ

ſe-

ſequuntur τὸ ἴσον ἔχειν καὶ πρότερον, καὶ ὕστερον, videntur ea quæ antecedunt, declarare hoc modo. hoc ius medium eſt lucri cuiuſdam & damni, quæ præter voluntatem eueniunt, vt tantundem quis habeat re coram iudice diſceptata, atque exæquata, quantum habuit antequàm ad eum adiret iuris ſui perſequendi & obtinendi gratia. in nonnullis codicibus ſcriptum reperi τῷ ἔχειν. quod mihi non diſplicet. Quidam vir doctus putabat legendum τῷ παρὰ τὸ ἑκούσιον ἴσον ἔχειν καὶ πρότερον καὶ ὕστερον, cuius lectionis hanc ſententiā eſſe dicebat. lucri cuiuſdam & damni hoc ius medium eſt, vt niſi aliter ipſorum voluntate conuenerit, tantundem poſterius habeant, quantum prius habuerunt.

28 Ius talionis porrò neque ad id ius] τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει. ſecutus ſum libros Florentinos & Pariſienſes, cum quibus conſentiunt Argyropylus, & vetus interpres. nam in quibuſdam codicibus Germanicis interponuntur aliquot verba planè otioſa, & ſuperuacanea, quæ ego reieci. erant aũt poſita deinceps poſt illud τὸ ἀντιπεπονθὸς ſecũdũ, ante id qđ ſequit̃ τὸ δ' ἀντιπεπονθός. ea verba ſunt hæc τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτε ἐπὶ τὸ νόμιμον, οὔτ' ἐπὶ τὸ πολιτικόν. πολιτικὸν δὲ λέγω τὸ κοινωνικόν. τὸ δ' ἀντιπεπονθός. &c.

29 Ciuilem ſocietatem continet] συνέχει. Perionius concluditur.

30 Factis enim proportione reciprocis] τῷ ἀντιποιεῖν, γὰρ ἀνάλογον, συμμένει ἡ πόλις: Perion. τὸ ἀντιποιεῖν, vertit, gratiam referre, cùm ἀντιποιεῖν ſit ſimpliciter, id quod paſſus ſis, referre, &, vt ita dicam, contrà facere. gratiam referre autem, quod Latini dicunt, à græcis ἀντ' εὖ ποιεῖν dicitur.

31 Aut enim malum acceptum reponere] Ariſtotel. ἢ γὰρ τὸ κακῶς ζητοῦσιν. &c. repetendum verbum ἀντιποιεῖν, in his τὸ κακῶς, & τὸ εὖ, hoc modo, ζητοῦσιν ἢ ἀντιποιεῖν κακῶς, id eſt ἀντικακουργεῖν, ἢ ἀντιποιεῖν εὖ. id eſt ἀντευποιεῖν. Quare Perionius cum illud κακῶς vertit malè mereri, & hoc εὖ beneficium conferre, ſententiam Ariſtotelis non exprimit.

32 Sublata eſt rerum communicatio.] μετάδοσις: μετα

ταδιδόναι, eſt impertiri: alii μετάδοσιν, remunerationem interpretantur: ſed non conuenit. nam remunerationem Græci ἀνταπόδοσιν nominant.

33 Tollantur enim & concidãt, niſi &] Quia hæc ſententia ab Ariſtotele paulo antè poſita eſt, ſuſpicantur quidam viri docti à librariis eſſe inculcatam, cùm ea reperiſſent in margine ab aliquo ſtudioſo lectore memoriæ cauſa annotatam.

34 Fit medius] μέσον. quidam libri habent μέτρον. id eſt menſura.

35 Sunt autem in proportionis figuram deducendi,] locus eſt obſcuriſſimus tùm propter ſcripturæ repugnantiam: alia enim ait, alia negat: tum propter ſententiæ ipſius difficultatem. Quamuis igitur libri Florentini, cum quibus conſentiunt Pariſienſes, negationem contineant hoc modo, εἰς σχῆμα δ' ἀναλογίας οὐ δεῖ ἄγειν ὅταν ἀλλάξωνται. &c. ego tamen libros manuſcriptos, conſentiente præſertim cum eis vetere interprete, & Argyropylo, ſequi malui. Itaque hunc locum cum D. Thoma ſic explano. Debent ad figuram proportionis deduci cum ſunt permutaturi, vt & ij qui contrahunt, & res ipſæ fiant inter ſe proportione arithmetica æquales. Nam ſi hoc non fiat, alterum extremum vtranque habebit excellentiam, ſeu vtrunque nimium: excellentiam artis eam qua ſutore præſtat ædificandi artifex: & excellentiam operis qua domus calceo præſtabilior eſt: vel quod idem ferè eſt, vtranque excellentiam intellige plus & minus: plus, quia ædificiorum opifex ſutore præſtantior eſt opifex: minus, quia ſutoris opus, quod ædificiorum opifici datur, eius opere ſit deterius. Illa autem verba, ἀλλ' ὅταν ἔχωσι τὰ αὐτῶν, coniunctè erunt legenda cum iis quæ ſtatim ſequuntur, οὕτως ἴσοι καὶ κοινωνοὶ, &c. Quòd ſi quis alteram lectionem in qua negatio eſt, huic anteponet, hæc mihi videtur ſententia, ex iis verbis elici poſſe, atque ita hic locus declarandus: non eſſe deducendos ad æqualitatem ſeu proportionem poſteà quàm permutauerint, ſed antequàm fiat permutatio. alioqui alter permutantium vtranque præſtantiam habiturus eſt, nempe plus & minus. &c. vt ſuprà. ac tum illa verba ἀλλ' ὅταν ἔχωσι τὰ αὐτῶν, interpunctionis

nis nota ab iis, quæ deinceps ſequuntur οὔτως ἴσοι, erunt ſeiungenda, & particula ἀλλὰ, referetur ad negationem ſuperiorem, eique aduerſabitur, vt ſolet. Ego arrogantis eſſe puto alteram lectionem probare, alteram improbare, ac veluti capitis damnare: hoc tantùm dubitanter ac timidè dicam, priorem mihi videri veriorem, atque integriorem. negationem autem huc irrepſiſſe exiſtimo ex particula ἀλλὰ, quæ quòd ſoleat aduerſandi vim habere, cùm viderent imperiti quidam lectores, nihil antecedere, cui aduerſaretur, negationem deeſſe iudicarint, eamque iccircò tanquã neceſſariam adiecerint.

36 In permutationem autem futuram] ὑπὲρ δὲ τῆς μελλούσης ἀλλαγῆς, id eſt propter permutationem futuram. ſed in permutationem & dulcius & bonis latinæ linguæ auctoribus vſitatius eſt. qualia ſunt illa M. Tullii, data pecunia in rem militarem: cognitorem me in hanc rem dedit. & Terent. piſciculos in cœnam ſeni.

37 Non enim æqualem ſemper] οὐ γὰρ ἀεὶ ἴσον δύναται. Perion. non enim ſemper æquum poteſt. horrida atque inelegans oratio.

38 Tanquam menſura quædam communis] ſcio in lib. Florent. ſcriptum eſſe μέσον, verùm tamen cum videam veterem interpretem & Argyropylum μέτρον legiſſe, eaque vox huic loco maximè conuenire videatur: ego quoque μέτρον probaui, μέσον reieci. quòd ſi quis hoc illi anteponet, equidem cum eo non pugnabo.

39 Idque hominum conceſſu & ex conditione] τοῦτο δ' ἐξ ὑποθέσεως. ὑποθέσεις dicuntur à mathematicis ea quæ poſtulare ſolent, vt ſibi concedantur: quæ ponuntur, non probantur, neque docentur: quæ ſunt eis denique veluti quædam ſuarum demonſtrationum principia ac fundamenta. Ex quo ὑποθέσεις appellantur ἐν τοῖς πρακτοῖς, fines earum rerum, quæ ſub actionem cadunt, ad quos agendi conſilia referuntur. Ita hoc loco dicit Ariſtoteles nummum omnium rerum menſuram eſſe ἐξ ὑποθέσεως, id eſt ex hominum conuento, & conſenſu, & ob id quòd hoc inter ſe ſtatuant, & concedant, non quòd ita ſit.

40 Perſpicuum eſt iuſtam actionem inter faciendam.]

Tria ſunt hoc loco, ἀδικεῖν, iniuſtè facere, ſeu iniuriam facere, ἀδικεῖσθαι, iniuria affici, ſeu iniuriam accipere, δικαιοπραγεῖν, iuſtè agere. iniuriam facere, plus eſt: iniuriam accipere, minus: iuſtè agere, medium. Verùm (vt dicam ἐν παρόδῳ) inter δικαιοπραγεῖν, id eſt iuſtè agere, & δικαιοῦν, id eſt ius alteri reddere, ſeu iuſti iudicis munere fungi, hoc intereſt, quòd δικαιοπραγεῖν commune eſt ei qui cum altero iuſtè contrahit, cum eo qui iuſto iudicis munere fungitur. δικαιοῦν autem propriè de iudice aut magiſtratu, qui ſuum cuique tribuit, dicitur. ſed hac de re mox plura dicemus.

41 Iniuſtitia autem extremorum eſt] extrema ſunt plus & minus. itaque & is qui plus boni obtinuit, minusq; mali perpeſſus ẽ: & qui plus mali pertulit, minusq; boni obtinuit, quodammodo iniuſtus eſt, nempe quà inæqualis: & iniuſtitia eſt in vtroque: ſed ille eſt improbus, hic non eſt. iniuſtitiæ igitur duo ſunt extrema, vnum ἀδικεῖν, id eſt iniuriam facere, quod eſt plus, quàm medium obtinere: alterum ἀδικεῖσθαι, id eſt iniuria affici, quod eſt minus, quàm medium obtinere. quod quidem minus eſt malum, quàm illud alterum.

42 In aliorum autem negotio] ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων, τὸ μὲν ὅλον ὁμοίως. locus eſt aliquanto obſcurior, quem ſic declaro. Vniuersè quidem iniuſtitia in aliorum negotio plus vni tribuit boni & mali, quàm alteri: quòd ad id iniquum autem attinet, quod à proportione auerſum eſt, in eo non ſeruat dignitatem, ſed vtrocunque modo caſus tulerit, bonum & malum diſtribuit: ita vt cui plus boni, minus mali debeatur, ei plus mali & minus boni tribuat, & contrà.

43 Vtrocunque modo caſus tulerit] id eſt, nunc huic, nunc illi parum: nunc huic, nunc illi nimium. quod perinde eſt ac ſi dicat, temerè.

44 Iniuſtè facti aũt] τοῦ δ' ἀδικήματος, τὸ μὲν ἔλαττον, τὸ ἀδικεῖσθαι. hunc locum ſic vertit Perionius, Accipere autem quàm facere præſtat iniuriam. ſpecioſa & Ciceroniana oratio, ſed aliud Perionius loquitur, aliud Ariſtoteles. dixit ſuprà Ariſtoteles τὸ ἀδικεῖν eſſe πλέον ἔχειν: τὸ δ' ἀδικεῖσθαι, ἔλαττον ἔχειν, id eſt iniuriam facere eſſe plus

habere : iniuriam autem accipere , minus habere . id ipſum iterat in hoc extremo libro his verbis , *φανερὸν δὲ καὶ ὅτι ἄμφω μὲν φαῦλα, καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι , καὶ τὸ ἀδικεῖν : τὸ μὲν γὰρ ἔλαττον, τὸ δὲ, πλεῖον ἔχειν ἐστὶ τοῦ μέσου* , id eſt vtrunque malum eſt, & iniuriam accipere, & iniuriam facere . Illud enim minus, quàm medium, obtinere eſt : hoc plus. nihil aliud hoc loco dicit, ita vt quiuis non tardiſſimus hæc intelligere queat . Quanuis autem vtrunque ſit malum , tamen deterius facere iniuriam eſt : atque hoc ipſum eſt, quod non ſuo loco dixit Perionius , tamen accipere quàm facere præſtat iniuriam . dicitur autem hoc infrà in extremo lib.

45 In iis qui communitate & ſocietate vitæ] *ἐπὶ κοινωνῶν βίου* . ſecutus ſum librum Florentinum , & Pariſienſem , cum quibus conſentit Argyropylus. Alii enim corruptè habent *ἐπικοινωνουῶ.* Vetus interpretatio autem etiam corrupta eſt .

46 Vt homines liberi & æquales] *πρὸς τὸ εἶναι αὐτάρκειαν ἐλευθέρων καὶ ἴσων ἢ κατ᾽ ἀναλογίαν, ἢ κατ᾽ ἀριθμόν.* Perionius ſic, vt ſatis magna ſit multitudo hominum, qui liberi ſint, vel æquo inter ſe iure viuant . fœdum erratum, *αὐτάρκειαν* , ſatis magnam hominum multitudinem interpretari . Homines autem proportione æquales intellige exẽpli cauſa, qui ſub regno, aut optimatum imperio viuunt, ubi æqualitas ex dignitate ſpectatur : æquales numero verò qui ſtatu populari utuntur, ubi non habetur ratio dignitatis, neque uirtutis, neque vllîus alîus præſtantiæ, ſed capitũ. tantum enim tribuitur honoris & præmii cerdoni , modo libero, & ciui, quantum viro & animi & fortunæ bonis ornatiſſimo. D. Thomas hæc uerba , proportione vel numero , coniungit cum ſuperioribus illis, ius politicum . itaque aliter explicat. ego Euſtrat. ſecutus ſum .

47 Eis inter ipſos non] ſic Ariſtot. *οὐκ ἔστι τούτοις πρὸς ἀλλήλους τὸ πολιτικὸν δίκαιον* . Perion. inter eos iusq; ciuile non eſt ius . ſecutus eſt ſcilicèt codices mendoſos , in quibus ſcriptum eſſet *τὸ πολιτικὸν δίκαιον, δίκαιον,* aut ipſe de ſuo addidit hoc *δίκαιον.* Porrò ſi quis quærat qui ſint ij quibus inter ipſos non eſt ius ciuile, ſunt pater & filius : dominus & ſeruus , vt paulo poſt dicet Ariſtoteles.

48 Iudicium enim iuris] ſic Ariſt. *ἡ γὰρ δίκη κρίσις τοῦ δικαίου, καὶ τοῦ ἀδίκου.* Poteram & ſic vertere. iuſti & iniuſti diſceptatio. Verùm cùm *τὸ δίκαιον*, hoc loco commodius latinè, ius, reddatur, quàm iuſtum, vt & multis alijs locis: *τὸ ἄδικον* iniuriam eadem opera reddidi, ne ſi iniuſtum dixiſſem, contrarium contrario reſpondere non uideretur. Iam *ἀδίκημα*, quo alio latino nomine, quàm iniuriã, aut iniuſtè factum redderemus, non veniebat in mentem. ſed quanuis iniuria etiam iniuſtè factum ſignificet apud Latinos, tamen *ἀδίκημα*, iniuſtè factum ſæpius, quàm iniuriam nominaui, diſtinctionis cauſa.

49 Vſque eò dum parui ſint, neque à patre ſeiuncti,] ſecutus ſum libros Florentinos & ceteros omnes impreſſos, cum quibus congruit Argyrop. P. Victorius notat in quodam antiquo codice ſcriptum reperiri *καὶ χωρισθῇ*, ſine negatione, cuius lectionis extant manifeſta in antiqua interpretatione veſtigia. vtrocunque modo legas, manet eadem ſententia. veruntamen negatione ſublata, paulo aliter hic locus erit vertendus, puta hoc modo. vſque eo donec adoleuerint, & fuerint à patre ſeparati.

50 Ius ciuile autem aliud naturale eſt. &c.] longè aliter ius partiũtur Iuriſconſulti. extat enim hæc iuris apud eos diuiſio. Ius aliud eſt naturale, aliud ciuile, aliud gentium.

51 Aut illud capram Ioui immolare] hunc locum in omnibus libris, quod ſciam, deprauatùm, reſtituit M. Antonius Muretus. Cùm enim anteà legeretur hoc modo, *ἢ τὸ αἶγα θύειν, ἀλλὰ μὴ δύο πρόβατα,* ille ex Herodoto ſic emendauit. *ἢ τὸ αἶγα Διῒ θύειν, ἀλλὰ μὴ πρόβατα.* Verba autem Herodoti quæ ad hunc locum pertinent, hæc ſunt. ex lib. 2. *Ὅσοι μὲν δὴ Διὸς Θηβαιέος ἵδρυνται ἱρὸν, ἢ νομοῦ τοῦ Θηβαίου εἰσὶν, οὗτοι μὲν πάντες ὀίων ἀπεχόμενοι αἶγας θύουσι.*

52 Sed non ita eſt, omni quidem] locus eſt obſcuriſſimus, valdeque variè à philoſophis explicatus. Ego ſecutus ſum meo quidem iudicio, opinionem veriorem, Ariſtoteliſque ſententiæ maximè conſentaneam, quam D. Thomas, & Faber Stapulenſis probauerunt, hoc modo: Exiſtimant nonnulli (inquit Ariſt,) iura omnia eſſe legitima, nul-

lumque eſſe naturale, propterea quia vident, id quod naturale eſt, fixum eſſe , atque immutabile : iura autem omnia quotidie immutari ; neque ius apud omnes vnum eſſe , ſed apud alios aliud . Refellit illorum rationem, qua adducuntur illi, ut credāt , nullum ius eſſe niſi legitimum, hoc modo. non ita eſt, id eſt, non eſt hoc verum, omnia quæ natura valent , fixa eſſe & immutabilia , eandemque vbique locorum & gentium, vim habere, omni quidem ex parte : eſt certè aliqua ex parte verum . Et ſanè apud Deos ita fortaſſe ſe res habet, nempe omnia quæ naturalia ſunt, eſſe perpetua, fixa atque immutabilia, ſed apud nos &c.

53 Et ſanè apud Deos fortaſſe] ſecutus ſum hoc loco veterem interpretem, apud quem extant talis ſcripturæ veſtigia. *καί τοι παράγε τοῖς θεοῖς ἴσως ὀυδαμῶς ἄλλως ἔχον*. in aliis libris deſideratur vox *ἄλλως*. quæ tamen, mea quidem ſententia , aſcribi debet . Ac D. Thomas huius lectionis ſententiam eam , quam expoſui, probat atque explicat.

54 Sed quodnam & quale ſit ius illud eorum.] Hæc huius loci ſententia eſt. ſi vtrunque ius & naturale & legitimum, mutabile eſt : quodnam ex iis quæ aliter euenire poſſunt , erit naturale ? & quî naturale à legitimo diſtinguetur ? reſpondet Ariſtoteles , fore illud naturale , quod apud omnes peræquè nationes ac populos, niſi apud barbaros, ac ferarum ſimiles : apud omnes homines , niſi apud eos qui corrupti ac deprauati ſunt, ratum, certum, ac penitus in animis infixum eſt: quemadmodum dextera manus verè dici & poteſt, & ſolet valentior ac robuſtior quàm læua , natura , etiam ſi reperiantur nonnulli *ἀμφιδέξιοι* , ideſt vtraq; manu dexteri, vel quibus vtraque manus dextera eſt, qualis fuit Aſteropæus ille apud Homer. immo verò etiam ſi accidere poſſit , vt omnes homines vtantur manu læua perinde ut dextra.

55 Differt autem ab iniuria , iniuſtè factum] diligenter nobis notandæ ac diſtinguendæ ſunt voces hæ, quibus vtitur Ariſtoteles , ſi diſputationem totam de iuſtitia ſubtiliſſimè ab eo explicatam , cognoſcere , animoque comprehendere volumus. *τὸ δίκαιον*, ius, ſeu id quod iuſtum eſt. *τὸ ἄδικον* iniuria, ſeu quod eſt iniuſtum, *τὸ ἀδίκημα*, iniuſtè factum :

po-

poteſt & iniuria appellari, vt ſuprà diximus. ſicque eam definit auctor ad Herenn. iniuria eſt quæ aut pulſatione corpus, aut conuicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cuiuſpiam violat. M. Tull. parad. Quocunque aſpexiſti, vt furiæ, ſic tibi tuæ occurrunt iniuriæ. & pro Roſc. Amer. Quem vides ipſum ab ſeſe tam atrocem iniuriam propulſare non poſſe. ſed facilioris diſtinctionis gratia, *ἀδίκημα*, iniuſtè factum appellare maluimus, ne, ſi iniuriam diceremus, *ἄδικον* & *ἀδίκημα*, confunderemus, quorum illud ſuperius, iniuriam nominare ſolemus, *τῷ δικαίῳ*, id eſt iuri contrariam. *τὸ δικαίωμα*, eſt iuſtū officium, ſeu iuſtè factum, quo alter ius ſuum obtinet, iuſtusque efficitur: quod quidem eſt iudicis, eiusque hominis, qui iniuriam alteri ab altero illatam vindicat, hominemque iniuſtum, iuſtum efficit. *δικαιοπράγημα*, iuſta actio. quod nomen commune eſt ei qui iuſtè agit, iuſtamque actionem obit, vt qui reddit depoſitum, cum eo qui iniuſtè agentem, iniuriamque alteri inferentē, multa aut pœna coercet. quod quidem proximum proprio nomine *δικαίωμα* appellatur. *δικαιοσύνην* autem iuſtitiam, & *ἀδικίαν* iniuſtitiam ſemper nominaui. *ἀδικίαν* certè nunquam iniuriam, quod fecit Perionius. apud quem maxima eſt horum nominum confuſio, atque inconſtantia.

56 Cum igitur necopinatò] *παραλόγως*. Perion. non conſultò. inconſulta dicuntur *ἀπροαίρετα* ἢ *ἀπροβούλευτα*, verbi gratia, ſi quis iratus hominem occidat. *παράλογα* autem, id eſt inopinata, ſi modo hoc nomen græco reſpondet, ſunt ea quæ præter communem omnium opinionē, atque adeò præter rationē fiunt: vt ſi venator feram perſequens, hominem in vepribus dormientem interficiat, pro fera. hinc *παράλογα τοῦ πολέμου* dicuntur, belli euentus necopinati, vt ſi xxx. hominum millia, à ſex millibus vincantur. *παράλογα* igitur omnia ſunt *ἀπροβούλευτα*, & *ἀπροαίρετα*: ſed non omnia *ἀπροαίρετα* ſunt *παράλογα*. quale illud exemplum eſt, quod ſuprà poſuimus de irato. nam iratus *ἀπροαιρέτως* quidem atque *ἀπροβουλεύτως* occîdit alterum, ſed non *παραλόγως*. non enim ab hominum opinione abhorret, neque à ratione alienum eſt, ab irato

alterum occidi poſſe.

57 Non de induſtria] *οὐκ ἐκ προνοίας*. ſic malui quàm quo modo Perionius, non ex voluntate. ſuprà docuit Ariſtoteles iratos peccare *ἑκουσίως*, id eſt ſua voluntate, ſeu ſua ſponte, quos nunc negat peccare *ἐκ προνοίας*. Ergo *ἐκ προνοίας* peccare, non eſt peccare ſua voluntate.

58 Ob iniuſtitiæ enim ſpeciem] ſic Ariſtot. *ἐπὶ φαινομένῃ γὰρ ἀδικίᾳ ἡ ὀργή ἐστι*. Perion. ſic. Quoniam ira ſpeciem quandam fert (præ ſe fert voluit dicere) iniuriæ. At longè aliud ſentit Ariſtoteles, quàm loquitur Perion. Inductus eſt ille videlicet in fraudem à quibuſdam codicibus mendoſis in quibus ſcriptum eſt *ἐπιφαινομένῃ* coniunctè. ſed potuerat hoc erratum ſuo ingenio, nulloque alio exemplari fretus corrigere, præſertim admonitus ſimilibus loquendi generibus, vt rhetor. ſecundo de inuidia. *εἰ γάρ ἐστι λύπη τις ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει* &c. & topicor. ſecundo. *εἰ γὰρ ὁ φθόνος ἐστὶ λύπη ἐπὶ φαινομένῃ εὐπραγίᾳ τῶν ἐπιεικῶν τινὸς, δῆλον* &c.

59 Itaque qui ab irato læſus eſt.] hunc locum verti paulo vberius, quàm Ariſtoteles ſcripſit, vt obſcuritati ex mira verborum breuitate, & interpoſitione aliarum rerum natæ, aliqua ratione mederer. Secutus ſum autem hoc loco interpretando Euſtratium, qui ſic eum explicat: cuius auctoritatem ſi quis parui æſtimat, ego meam ſententiam ratione ſtabilire conabor. dixerat paulo antè Ariſtot. eum qui iratus læſit, eumque qui ab irato læſus eſt, de facto conſentientes, de iure inter ſe diſſentire. interpoſuit hæc: at qui inſidiatus eſt, id eſt qui malitioſè & re deliberata nocuit, non ignorat factum. redit deinceps ad inſtitutum, atque ad id quod dixerat, illos de iure tantum diſſentire. Itaque (inquit) alter, nempe is qui ab irato læſus eſt, &c. Solet autem ſæpe Ariſtoteles pauca quædam, atque adeò multa interponere: deinde ad inſtitutum redire, vt ſciunt, qui eius libros terunt.

60 Vt dixit Euripides] Perionius, vt Euripides abſurdè tradidit. nihil tradidit Euripides de facienda, aut accipienda iniuria. Scripſit ille quidem tragœdias: ſed philoſophi & hiſtorici tradere dicuntur, non poëtæ, niſi forte quis

ita loquatur, memoriæ traditum eſt à poetis. quod loquendi genus, mea quidem ſententia huic loco minimè conueniret. ſunt autem hæc ex Bellerophonte. ſed non eſt omittendum quod quidam vir doctus me admonuit, hæc verba Πρῶτον μὲν εἰ ἔστι &c. quæ ſic conuerti. Ac primùm quidem vtrùm ita ſe res &c. ſibi videri à ſuperioribus pendêre, ideoque ita eſſe interpretanda: ac primùm quidem ſi ita ſe res habet &c. à quo diſſentio.

61 Eadem ſui iuris obtinendi] ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ δικαιοῦσθαι. δικαιοῦσθαι Latinè reddidimus ius ſuum obtinere. ius ſuum obtinent autem tùm is qui fecit iniuriam, tùm is qui accepit, vbi iudex eum qui fecit vel multat, vel pœna afficit. Nam etiam ij, qui capite plectuntur, ius ſuum obtinent, iuſtique ex iniuſtis efficiuntur, id eſt æquales ex inæqualibus. Eſt enim δικαιοῦσθαι, ſeu ius ſuum obtinere, medium obtinere: quod omnis iudex facere conatur, cum boni iudicis munus ſit, ius ſuum cuique tribuere, atque inæquales ad æqualitatem redigere. Sunt autem inæquales & is qui iniuriam fecit, & is qui iniuria affectus eſt. nam qui fecit iniuriam, plus habet: qui accepit, minus. Boni igitur iudicis ſententia uterque fit æqualis: is qui iniuriam fecit, quia multatur, aut ſupplicio afficitur: is qui affectus iniuria eſt, quia ei damnum ſarcitur.

62 Ab altero eius voluntate] ὑπ᾽ ἄλλου βλάπτοιτο ἑκόντος. Perion. incommodum ab alio, qui paratus eſt dare, accipiat. ἑκόντος, qui paratus eſt, non probo.

63 Qui plus alicui tribuit] ὁ νείμας παρὰ τὴν ἀξίαν τὸ πλεῖον. Perion. qui ſibi plus ſumit. pugnant hæc planè cũ iis quæ dicit Ariſtoteles, ſiquidem ſumere & tribuere inter ſe pugnant.

64 Aut eius, quod abſolutè honeſtum eſt] ἢ τοῦ ἁπλῶς καλοῦ. Perion. quàm eius quod omnino bonum eſt.

65 Præterea ex definitione faciendæ] poteram & ita interpretari. Prætereà ex iis quæ de facienda iniuria à nobis explicata & diſtincta ſunt.

66 Ad ſanitatem] πρὸς ὑγίειαν. non putaui mihi fugiẽdum nomen ſanitatis, quo non ſemel M. Tullus eſt vſus. nõ

 lon-

longè abieris. Tuſcul. 4. Corporis temperatio, cum ea cõgruunt inter ſe è quibus conſtamus, ſanitas eſt. & off. 3. in mancipiorum venditione venditorum fraus omnis excluditur. Qui enim ſcire debuit de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto ædilium. idem de optimo genere orat. qui integra ſanitate ſunt. quod poſtremum tranſlatum eſt à corporis, ad orationis ſanitatem.

67 Atque hoc humanum eſt] ſecutus ſum veterem interpretem, qui uidetur ita legiſſe. *τοῦτο δ' ἀνθρώπινόν ἐστι.* quam lectionem probat Argyropylus, aut eam certè quæ illi finitima eſt, *καὶ τοῦτ' ἀνθρώπινόν ἐστι.*

68 Nam qui propius intuentur, neq; ut &c.] *οὔτε γὰρ ὡς ταὐτὸν.* Perion. non enim ad idem aut diuerſum genus pertinere videtur. habuit ſcilicet codicem corruptum, in quo ſcriptum eſſet, *οὔτε γὰρ πρὸς ταὐτὸν.* &c.

69 Nam vel ius non eſt bonum,] ſecutus ſum veterem interpretem, apud quem extant, mea quidem ſententia, ſinceræ lectionis veſtigia: cuius ſententiam D. Thomas comprobat, atque explicat. Nam ex aliis libris, quo modo hic locus in eis ſcriptus eſt, nullus probabilis ſenſus elici poteſt. ſic igitur legendum arbitror, *ἢ γὰρ τὸ δίκαιον οὐ σπουδαῖον, ἢ τὸ ἐπιεικὲς οὔ, εἰ δικαίου ἄλλο, ἢ εἰ ἄμφω σπουδαῖα, ταὐτόν ἐστι.* Non affertur autem vis admodum magna vulgatæ lectioni: ſed illud *δικαίου*, quod erat & corruptum & loco motum, ſuo loco reponimus. Nam ex *δικαίου*, quod erat verum atque integrum, factum erat *δίκαιον.* & illud *εἰ*, quod antecedere debebat, poſteriore loco erat collocatum. Verbis igitur hoc modo in ſuum ordinem reſtitutis, tale eſt argumentum Ariſtotelis: ſi æquum bonum à iure diſſidet ac diſcrepat, vnum aliquid horum ex ea re naſcitur abſurdum. Nam vel ius non eſt bonum, vel æquum bonum non eſt bonum, vel ſi ambo bona ſunt, idem ſunt. nihil eſt & verbis & ſententia horum verborum planius: nihil hoc argumento poteſt dici aptius concluſum. ſi ius diuerſum eſt ab æquo bono, & ius bonum eſt: ergo æquum bonum non eſt bonum: & rurſum ſi æquum bonum, bonum eſt, ius bonum non eſt: aut ſi vtrunque bonum eſt, idem eſt vtrunque. Genus autem illud loquendi *δικαίου ἄλλο*, apud Ariſtotelem perquàm vſitatũ eſt.

eſt, vt aliàs admonuimus. ſic hoc eodem libro *τοῦτο γὰρ ἐκείνου ἄλλο.* nosque iiſdem penè verbis latinis reddidimus, quòd ita reperiamus bonos ſcriptores eſſe locutos.

70 Et de quo legem tuliſſet] *καὶ εἰ ᾔδει, ἐνομοθέτησεν ἄν.* Perion. etiam ſi iam legem tuliſſet. longè abſunt hæc verba à ſententia Ariſtotelis. Videtur legiſſe *ἤδη* pro *ᾔδει.*

71 Et qui non eſt iuris] *ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος.* intelligũt ferè omnes de iudice ſeueriore, & ad omnia ſummo iure vtente. quidam docti viri de quouis priuato dictum accipiunt, qui ſi velit æquus & bonus eſſe, ſummo iure rem ſuam perſequi non debeat, neque in deteriorem partem omnia rapere, ſed de ſuo iure potius decedere.

72 Qui ſe ipſe exanimauit] non annotarem id quod le ne ac puerile eſt, niſi quidam amicus meus, dubitare ſe dixiſſet, an latinè dicatur ſe ipſum exanimare. quam quidē eius dubitationem ilico ſuſtuli prolatis his verbis C. Iulii Cæſaris è lib. VI. de bello Gallico. Catiuulcus Rex dimidiæ partis Eburonum taxo, cuius magna in Gallia, Germaniaq; copia eſt, ſe exanimauit.

73 Præterea ex eo quòd] ſic reperi ſcriptum in omnibus libris & impreſſis, & manu ſcriptis, quos quidem viderim. *καθ' ὃ ἄδικος ὁ μόνον ἀδικῶν.* ego verò aliquando exiſtimaui legendum *ἄδικος μόνον ὁ ἀδικῶν*, vt ſit hæc ſententia, ex eo quòd iniuſtus eſt tantùm is qui iniuſtè facit &c.

74 Ex ijs quæ à nobis] omnes libri ſic habent, *κατὰ τὸν διορισμὸν τὸν περὶ τοῦ ἑκουσίως ἀδικεῖσθαι.* Docuit ſuprà neminem ſua voluntate accipere iniuriam. Itaque verendum eſt ne hìc legendum ſit, *περὶ τοῦ ἀκουσίως ἀδικεῖσθαι.* aut certè ita, *περὶ τοῦ ἑκουσίως οὐδένα ἀδικεῖσθαι.* Sententiam igitur Ariſtotelis hanc eſſe perſpicuum eſt, definitum iam atque explicatum eſſe, inuito fieri iniuriam: vt ſi quid inſit mendi in ſcriptura, nobis non ſit admodum laborandum. Vetus interpres quidem videtur legiſſe *ἀκουσίως ἀδικεῖσθαι.*

75 Quod quidem ſimilem rationem] quod, videlicet medium inter hæc duo, iniuriam accipere, & facere. Hic locus corruptus eſt in omnibus libris excuſis, quos quidem vi-

de-

derim : in quibus ita ſcriptum eſt, τοῦ μέσου, ὥσπερ ὑγιεινὸν. &c. præterquam in Germanico, in quo legitur ὥσπερ ὑγιεινοῦ μὲν. &c. Ego autem eum emendaui ope codicis manuſcripti perantiqui, in quo is ita ſcriptus eſt, ὅσπερ ἔχει, ὥσπερ ὑγιεινὸν μὲν &c. δεκτικὸν δὲ. &c. Natum autem mendum eſt ex duarum vocum propinquarum ſimilitudine ὅσπερ, & ὥσπερ. Argyrop. ſolus veram, & emendatam ſcripturam agnoſcit, ac retinet. Perion. & Gruch. ab Ariſtotelis ſententia longiſſimè diſceſſerunt. D. Thomas autem ex vitioſa interpretatione, veram, & germanam ſententiam elicit, immo potius ſingulari quadam ingenii præſtantia, interpretationem vitioſam corrigit. ſcriptura autem Germanica omnium vulgatarum tolerabiliſſima eſt.

In librum ſextum.

1 Intendit aliquid & remittit] ἐπιτείνει καὶ ἀνίησι. Perion. ſic. vel conſequitur, vel ab eodem aberrat. Ille vero ab Ariſtotelis ſententia toto cœlo aberrat.

2 Nihil eo amplius ſciat.] ſic Ariſt. οὐθὲν ἂν εἰδείη πλέον. Sequitur deinceps οἷον ποῖα δεῖ προσφέρεσθαι πρὸς τὸ σῶμα, εἴτισ εἴπειεν. &c. neque lectionis vlla eſt in libris vel manuſcriptis, vel impreſſis varietas : ſed M. Antonius Muretus dicebat ſibi videri, hunc locum mendo non carere: ſuáq; mihi coniecturā proferebat, qua ductus hoc modo emendabat: οὐδὲν ἂν εἰδείη πλέον, ἢ ὁποῖα δεῖ προσφέρεσθαι πρὸς τὸ σῶμα, εἴτις εἰδείη, ὅτι ὅσα &c. quorum verborum hæc erit ſententia: nihilo plus ſciat, quàm qualia ſint ad corpus alendum adhibenda, ſi quis ſciat ea adhiberi oportere, quæ præcipit medicina.

3 Non ſolùm hoc eſſe verè dictum] μὴ μόνον ἀληθῶς εἶναι τοῦτ εἰρημένον. ſic libri Florent. Pariſienſ. & ceteri impreſſi, cum quibus conſentit vetus interpres, Argyrop. Areti. P. Victorius autem annotat, ſe in vno codice manuſcripto reperiſſe ſcriptum, μὴ μόνον ἀληθὲς εἶναι .i. non ſolum id eſſe verum, quod dictum eſt.

4 Partium quoque animi, eam quæ ad vtrunque apta ſit natu

natura, oportet genere differre, ſi quidem eis ex ſimilitudine.] Iccircò Plato animum ex elementis conſtituit. ſimile enim ſimili cognoſci. huc pertinent verſus illi Empedoclis, quos profert Ariſt. lib. 1. de anim.

Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ,
Αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον,
Στοργῇ δὲ στοργὴν, νεῖκος δέ τε νείκεϊ λυγρῷ.

Id eſt, terram terra aſpicimus, aquam aqua, cœlo cœlum, igni autem ignem. &c.

5 Principium (inquam) vnde motus] Ariſtotel. lib. 1. *τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ*, ſcribit cauſas dici quatuor modis, his verbis: *τὰ δ' αἴτια λέγεται τετραχῶς, ὧν μίαν μὲν αἰτίαν φαμὲν εἶναι τὴν οὐσίαν, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι. ἀνάγεται γὰρ τὸ διὰ τί πρῶτον εἰς τὸν λόγον ἔσχατον. Αἴτιον δὲ καὶ ἀρχὴ τὸ διὰ τί πρῶτον. μίαν δὲ τὴν ὕλην, καὶ τὸ ὑποκείμενον. τρίτην δὲ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως. τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, καὶ τὸ ἀγαθόν.* Id eſt, cauſæ aũt quatuor modis dicuntur: *οὐσία* (liceat nobis eam eſſentiam dicere) materia: tertia ea vnde motionis principium exiſtit: quarta id cuius gratia res eſt. Quod principium autem hoc loco nominat, cauſam in lib. 1. *τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ* appellari perſpicuum eſt. cum dico igitur (inquit Ariſtoteles) conſilium actionis eſſe principium, intelligendũ eſt id principium vnde motus exiſtit, non id cuius cauſa res agitur.

6 Neque ſine habitu] ſic habent boni & emendati codices, quos probauit uetus interpres, *οὐδ' ἄνευ ἠθικῆς ἐστὶν ἕξεως.* nonnulli, iique corrupti, *ὀρέξεως.*

7 Cogitatio autem ipſa] ſcio in libris Florentinis, & ceteris impreſſis ita ſcriptum eſſe: *διάνοια δ' αὕτη* id eſt cogitatio hæc. ſed ſecutus ſum tamen veterem interpretem & Argyropylum, qui ſunt vſi melioribus codicibus, in quibus legerunt *διάνοια δ' αὐτὴ*, id eſt cogitatio ipſa. ſciendum eſt autem ipſius cogitationis, quæ per ſe eſt, & quam alio nomine lib. 3. de animo, *νοῦν θεωρητικὸν* appellat, finem, eſſe veritatem, nihilque aliud præterea ab illa deſiderari. Itaque hæc nihil mouet, nihilque molitur: altera autem cogitatio ſeu *διάνοια,* quæ finem alium ſibi propoſitũ

tum habet, quàm veritatem,& quæ ad agendum accommodata eſt, ea ad agendum impellit , & aliquid molitur. Cum igitur paulo antè proximè Ariſtoteles de cogitatione ea, quæ ad agendum valet,& ſine qua actio obiri non poteſt, locutus ſit: ſi nunc diceret, hanc cogitationem nihil mouere, pugnantia loqueretur. At ſi legamus διάνοια δ' αὐτή, intelligemus eum iam de cogitatione ea, cuius finis eſt veritas, verba facere: & ita nihil erit in oratione repugnans.

8 Hæc enim etiam ei] poterat ſtatim aliquis quærere, quid de ea cogitatione quæ ad efficiendum valet, ſentiendum ſit, quam ποιητικὴν nominant Græci: huic occurrens reſpondet, hanc eſſe illi quodammodo ſubiectam, illiusque imperio parêre, eandem denique cogitationem ad agendum eſſe idoneam, quæ ſit ad efficiendum expedita, quanuis earum fines diſcrepent.

9 Nam quiſquis aliquid efficit.] ſic Ariſt. ἕνεκα γάρ του ποιεῖ πᾶς ὁ ποιῶν. Perionius hoc modo. ad hanc enim omnes qui effectionem ſequuntur, quæ faciunt, referunt omnia. apparet illum vſum eſſe libro, in quo ita ſcriptum eſſet, ἕνεκα γάρ τούτου. ſed quanuis hanc ſcripturam non improbem, vtpote cuius extent in antiquo interprete veſtigia, eamque ſequatur Argyropylus, eius tamen interpretationem non probabo. debuit enim ſic interpretari. Ad hoc enim, vel ad hunc finem enim. Nam ſignificat Ariſtoteles, eum qui faciat, proponere ſibi finem aliquem ſingularem, vt domum, ſtatuam, calceum: eum qui agat verò, propoſitum ſibi habere aliud nihil, quàm bonam actionem.

10 Appetitio autem vltimi eſt] hæc verba omiſerunt librarii, quæ poni debent ſtatim poſt illa, res benè geſta hoc modo. Actionis enim vltimum eſt perfecta actio, id eſt res benè geſta. Appetitio autem ultimi eſt. & ad hęc verba numerus ille 10. debet aſcribi, non ad quem locum aſcripſerunt. ſic igitur Ariſtoteles. ἡ δ' ὄρεξις τούτου, ideſt appetitio huius eſt, videlicet finis, ſeu vltimi. repetendum eſt enim nomen τούτου. Perion. autem illa verba ἡ γὰρ εὐπραξία τέλος: ὄρεξις δὲ τούτου, ſic interpretatur. Eſt enim officii, recteque factorum omnium fructus ac finis ipſum officium & actio, ad quam appetitio refertur. in quibus verbis

tam

tam multis, multa quoque inſunt peccata: primùm quòd præpoſterè dicit officium & actionem, finem eſſe rectè factorum, cùm dicendum ſit, officii & actionis finem eſſe rectè factum: deinde quòd εὐπραξίαν, rectè factum nominat, non diſtinguens effectionem ab effecto, neque ab effectione actionem: Deinde quòd appetitionem ad actionem referri dicit, cùm Ariſtoteles vtatur prouocabulo τούτου, in quo ſubauditur τέλους, nec τούτου & πράξεως, cohærere poſſint: poſtremò quòd ſuo more vtitur verbo referri, cùm Ariſtoteles diſertè dicat, appetitionem finis eſſe, id eſt finẽ appeti, nimirum vt bonum.

11 Nemo conſilium capit Ilium] οὐδεὶς προαιρεῖται Ἴλιον πεπορθηκέναι. Perion. nemo vult Ilium expugnare: Toties iam docuit Ariſtoteles aliud eſſe βούλεσθαι, aliud προαιρεῖσθαι. Perionius tamen quaſi nihil interſit, ita προαιρεῖσθαι, velle interpretatur.

12 Nanque exiſtimatione & opinione] ὑπόληψιν, exiſtimationem latino nomine appellaui, eoque nobis in his ſtudiis philoſophicis ſæpe eſt vtendum. nam id quo vulgò vtuntur recentiores, æſtimatio, ad hanc rem ineptum eſt, & barbarum. nomen exiſtimationis autem eſſe latinum ad eam rem ſignificandam, atque vſitatum bonis ſcriptoribus, declarant exempla ex M. Tullio in Cluentiana. Oppianicus re & exiſtimatione iam, lege & pronuntiatione nondũ condemnatus. in Verr.v. in hoc genere facilior eſt exiſtimatio, quàm reprehenſio, ideò quòd eum qui hoc facit, auarum poſſumus exiſtimare: crimen in eo conſtituere non tam facile poſſumus. de prouinc. conſul. ſed non alienum eſſe arbitror, quo minus ſæpe aut interpeller à nonnullis, aut tacita exiſtimatione reprehendar, explicare breuiter &c. Cælius ad Cic. lib. VIII. epiſt. & quemadmodum actũ ſit, & quæ exiſtimatio conſecuta, quæque de eo ſpes eſt, diligenter tibi perſcribemus. idem ad eundem. De comitiis conſularibus incertiſſima eſt exiſtimatio. Exiſtimatio igitur cum de eo qui exiſtimat, dicitur: id quod hoc loco quærimus, ſignificat: cum de eo, de quo alii exiſtimant, nomen, & famam valet. vt cum dicimus, violare exiſtimationem alterius: iudiciũ ſummæ exiſtimationis. & Cic. de

oratore

oratore, bona exiſtimatio diuitiis præſtat.

13 Ea cùm longè à conſpectu remota ſunt] ὅταν ἔξω τοῦ θεωρεῖν γένηται. ſic Euſtrat. & D. Thomas explicant. alij ſic, cum animo non cernuntur, nec cognoſcuntur.

14 Nam quæ neceſſario ſunt ſimpliciter,] ſic hæc interpunguntur ab Argyropylo, & D. Thoma. in libris Florentinis verò interpunctum poſt vocem ὄντα locatur, hoc modo, τὰ γὰρ ἐξ ἀνάγκης ὄντα, id eſt, nam quæ neceſſitate cõſtant, ſeu quæ neceſſario ſunt, ea ſimpliciter ſunt æterna. ego priorem ſcripturam huic poſteriori antepono.

15 Atque inductio quidem, principium] ſic habent libri Florentini, & ceteri ferè impreſſi ἡ μὲν δὴ ἐπαγωγὴ ἀρχή ἐστι, καὶ τοῦ καθόλου. Argyropylus non adhibet coniunctionem καὶ. Inductionem eſſe principium vniuerſi eò dicit Ariſtot. quòd vniuerſa, ex quibus conſtat ſyllogiſmus, inductione cognoſcuntur. incidi in quoſdam libros in Germania impreſſos, in quibus ita legitur, ἡ μὲν δὴ ἐπαγωγὴ, ἀρχῆς ἐστὶ, καὶ τοῦ καθόλου: quorum verborum multo facilior erit explicatio, hoc modo, inductio principii eſt, & vniuerſorum, quod perinde eſt, ac ſi quis dicat, inductio ad eam rem comparata eſt, vt principia per eam doceantur, & cognoſcantur: (Principia autem hoc loco uniuerſa intelligo) nam cum uniuerſa nec ſenſu, nec ſyllogiſmo doceri poſſint, relinquitur vt inductione doceantur. Atque ita explicat D. Thomas, quanuis antiquus interpres principiũ, non principii, verterit. Euſtratius itidem legit ἀρχὴ, non ἀρχῆς. Et Ariſtoteles libro ſecundo rhetoricorum, ita ſcribit. ὅμοιον γὰρ ἐπαγωγῇ τὸ παράδειγμα: ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἀρχή. id eſt inductioni exemplum ſimile eſt. Inductio autem principium eſt. Itaque tot libris eam, quam priore loco poſui, & quam ſecutus ſum, ſcripturam confirmantibus, non ſum auſus ab ea diſcedere, quanuis hæc poſterior ſit (vt dixi) facilior atque expeditior. Neque verò inſtitui Ariſtotelis ſententiam in his libris ſubtiliter explicare, ſed conſilii mei rationem, cur aliquem locum ſic vel ſic verterim, reddere.

16 Eſt igitur eorum inductio] poteſt his verbis ſuperior ille locus explanari. ſunt quædam (inquit Ariſt.) principia

pia,quorum non eſt ſyllogiſmus,ideſt,quæ ſyllogiſmo probari non poſſunt. eorum igitur inductio eſt, id eſt, ea igitur inductione docenda & cognoſcenda ſunt.

17 In origine & molitione rei] Ariſtot. ἐν γενέσει. ſic M. Tull. γένεσιν interpretatur in Timæo.

18 Inertia contrà] ἀτεχνία. ſic M. Tull. in partit.artibus, inertiis.

19 Omnia enim ſeſe aliter habere quoque] ideſt omnia enim quæ ex talibus principijs,nempe ijs quæ aliter ſe habere poſſunt,proficiſcuntur, aliter quoque ſeſe habere poſſunt. Euſtratius & D. Thomas paulo vberius hunc locum explicant. Dicebat paulo antè Ariſtot.quorum principia ſeſe aliter habere poſſunt, eorum demonſtrationẽ non eſſe. ſi quis, inquit, hoc negabit, ergo eueniet, vt aliqua quæ ſint demonſtrata, ſeſe aliter habere poſſint, quod eſt absurdum & falſum. id autem quod dixi, conſecuturum perſpicuum ex eo eſſe poteſt, quòd principia deteriore cõditione eſſe non poſſunt natura,quàm quæ ex principiis manarunt. at principia illa ſeſe aliter habere poſſunt, vt poſuimus. ergo & ea quæ ex huiuſmodi principiis demonſtrata ſunt, ſeſe aliter habere poſſunt.

20 Quia aliud actionis] γένος, non τέλος habent boni codices, cum quibus conſentiunt vetus interpres, & Argyropylus.

21 Effectionis enim alius, quàm] ἕτερον, ſubaudiendum τῆς ποιήσεως, id eſt, alius ab ea ipſa effectione, nempe opus.

22 Actionis verò non ſemper] τῆς δὲ πράξεως οὐκ ἀεὶ. ſic omnes optimæ notæ codices. nonnulli & ii quidem deterrimi, οὐκ ἂν εἴη. quos ſecutus eſt Aretinus, & unà Perionius.

23 Eorum enim quæ ſub actionem] hac de re plura dicemus ſub finem huius libri.

24 Habitum eſſe cum ratione &c.] μετὰ λόγου ἀληθοῦς. ſic legit Euſtrat.quem ſequitur Argyrop. in omnibus ferè libris ſcriptum eſt ἀληθῆ.ego cõſtantiæ cauſa ἀληθοῦς,prætuli.ſuprà enim non ſemel dixit λόγου ἀληθοῦς.

25 Sed nec habitus eſt.&c.]hunc locum non ſatis apertè

tè interpretatur Perionius, neque fieri poſſe arbitror vt ex eius oratione, quæ ſit Ariſtotelis ſententia, quiſquam intelligat. Prudentia (inquit Ariſtoteles) non eſt habitus cum ratione vera coniunctus tantùm: id eſt non eſt integra hæc prudentiæ definitio, neque ab arte prudentiam diſtinguit. habitus enim cum ratione coniunctus, id eſt ars, obliuione deleri atque interire in animo poteſt, prudentia non poteſt.

26 Nullum autem ex his tribus] *τούτων δὲ τῶν τριῶν μηδὲν ἐνδέχεται εἶναι.* id eſt, ſi neque prudentia, neque ars (nam artem prudentiæ nomine vult contineri, quòd vtraque in eodem verſetut) neque ſapiētia, neque ſcientia, principiorum eſt, relinquitur, ut principiorum ſit mens: quod perinde eſt ac ſi diceret, ſi neque prudentiæ, neque ſapientiæ, neque ſcientiæ munus eſt principia cognoſcere, relinquitur vt id ſit mētis propriū, cùm omnino nihil ſit præter ſcientiam, prudentiam, ſapientiam, mentem, quo verum eloqui aut mentiri poſſimus. Perionius miſerè hunc locum corrupit his verbis, eorum autem trium in nullo intelligentia eſſe poteſt, relinquitur vt in principiis, initiisq; cernatur. quæ ab Ariſtotelis ſententia magnopere diſcrepant.

27 In Margite] Margites poëma fuit Homeri, quod non extat, de quo Ariſt. in lib. *περὶ ποιητικῆς*, vbi ſcribit ille hoc poëma eandem comparationem habere cū comœdia, quam habet Ilias cum tragœdia. Baſilius autem in oratiuncula quadam *πρὸς τοὺς νέους, πῶς ἂν ἐκ τῶν ἑλληνικῶν* &c. non Homero, ſed Pittaco Margiten aſcribit.

28 Itaque ſapientiam dicere licebit] ita ſcriptum eſt in omnibus libris emendatis. *ὥστ' εἴη ἂν σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη καὶ ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων.* Perion. autem legiſſe videtur *ἔχουσα ἐπιστήμην*, qui ita interpretatur, quaſi caput continens eorum omnium ſcientiam quæ in ſummo honore ſunt. quæ quidem & lectio, & interpretatio ſe ipſa refellit. quid enim ineptius, quàm ita loqui, ſapientia fuerit, & intelligentia, atque veluti caput habens ſcientiam? quid ſibi vult rurſus hoc dicendi genus, caput habere, & ſcientia caput habens vt in omnibus libris legitur

gitur? ſed ego lectorem non tenebo ſuſpenſum diutius, quamuis qui paulo acutior erit, facile etiam non admonitus, quam ſcripturam ſecutus ſim, aut potius, qua in re ſcripturam vulgatam immutarim, perſpiciet. Ego igitur hunc locũ ſic emendaui detracta litera. ν. καὶ ὥσπερ κεφαλὴ ἔχουσα ἐπιστήμη. Natum autem ſcripturæ vitium eſſe puto ab indoctorum quorundam audacia, qui cum ſcriptum reperiſſent, κεφαλὴ ἔχουσα, nec attenderent, hæc verba, hoc ordine eſſe componenda, ἐπιστήμη ἔχουσα ὥσπερ κεφαλὴ, putarunt nomini κεφαλὴ. ν. deeſſe, propter participium ἔχουσα, quod ſtatim ſequitur, cum ſexto caſu coniungi ſolitum. Eſt autem hoc genus loquendi apud græcos vſitatiſſimum, ἔχει ὥσπερ κεφαλὴ, ἔχει ὥσπερ κέντρον. i. rationẽ capitis obtinet. inſtar quaſi pũcti obtinet. Porrò hãc emendationẽ eo libentis amplector, quòd eam M. Antonius Muretus approbat.

29 Quod enim ſingulis in rebus pro cuiuſque] Huius loci ſcripturam ſemper corruptam eſſe iudicaui. Eſt autem hæc in omnibus libris impreſſis Pariſienſ. Venet. Florent. German. & in manuſcriptis, quos quidem viderim. τὸ γὰρ περὶ αὐτὸ ἕκαστα τὸ εὖ θεωροῦν, φαῖεν ἂν εἶναι φρόνιμον, καὶ τούτῳ ἐπιτρέψειαν αὐτά. Hoc vno Pariſienſis differt à ceteris, quòd in eo ſine articulo τὸ ſcriptum eſt εὖ θεωροῦν. Ex hac igitur ſcriptura difficile admodum eſt ſententiã verbis cõſentaneam elicere. Itaque omnes, quos vidi, interpretes, alij magis, alij minus eam immutarunt: Argyropylus illud αὐτὸ, legit cum ſpiritu aſpero αὑτὸ, neque articulum τὸ agnoſcit. idem facit vetus interpres. Aretinus autem participium θεωροῦν in tempus infinitum commutat, atque interpretatur, prouidere. Iam Perion. & Gruch. longiſſimè ab hac lectione diſcedunt. Nam primùm cùm dicat Ariſtoteles τὸ θεωροῦν, in genere neutro, illi conuertunt latinè. Qui enim rectè rebus, rationibusque ſuis conſulit: deinde illa verba καὶ τούτῳ ἐπιτρέψειαν αὐτὰ, ita interpretantur: eique ſe ac ſua omnia committunt, vt videantur legiſſe ἑαυτοὺς, non αὐτά. D. Thomas autem hæc ipſa verba, quomodocunque à vetere interprete conuerſa ſint, ſic explicat: & tali homini prudentia concedenda & tribuenda eſt. quæ ſententia profectò a verbis plurimùm diſtat. non enim di

a cit

cit Ariſtoteles αὐτήν, vt ſubaudiri poſſit φρόνησιν, id eſt prudentiam, ſed αὐτά, vt omittam quòd ἐπιτρέπειν non valet apud Græcos concedere aut tribuere, ſed committere, & cuſtodiam rei alicuius tradere, & prouinciam dare. Quid quæris? mira eſt huius lectionis obſcuritas, inuſitatum loquendi genus, maxima in ea interpretanda, interpretum varietas, multiplex denique ſit ab illis ſcripturæ commutatio. Ego autem ſententiam Ariſtotelis coniectura quadam exquirens & augurans, ſic initio verteram. Id enim quod in rem ſuam res ſingulas acutè perſpicit, prudens eſſe dixerint, & huic eas commiſerint. Sed hoc ineſt in hac interpretatione vitii, quòd nemo vnquam ei, qui rerum ſingularum cognitionem ad lucrum & quæſtum ſuum reuocet, res illas commiſerit, niſi earum iacturam facere velit. ſinge aliquẽ eſſe qui equos ita tractare & curare ſciat, vt nihil præter vtilitatem ſuam in eis curandis ſpectet: nonne ille ſit dementiſſimus, qui ei equum ſuum curandum tradat? Ergo non erit verum, quod hîc dicit Ariſtot. omnes ei qui ſingulas res in vſum ſuum diligenter & accuratè perſpexerit & cognouerit, eas res commiſſuros. Ne diutius igitur lectorem morer, exiſtimo de M. Ant. Mureti ſententia hunc locum eſſe corrigendum. Non enim dubitat ille quin vulgata omnium librorum ſcriptura ſit corrupta, (quod ego dudum ſuſpicatus ſum) ſed ita corrupta tamen, vt ſine vlla arrogantiæ nota poſſit emendari. Nihil enim addens de ſuo, nihilq; detrahens, ſed vnam vocem duntaxat, culpa librariorum diſiunctam ac diuulſam, de integro conglutinans & cõiungens, & ex illis duabus αὐτὸ ἕκαστα, vnam faciens, αὐτοέκαστα, emendat hoc modo, τὸ γὰρ περὶ αὐτοέκαστα τὸ εὖ θεωροῦν, φαῖεν ἂν εἶναι φρόνιμον &c. Quorum verborũ ea eſt ſententia, quam expreſſi. αὐτοέκαστα igitur interpretatus ſum res ſingulas pro cuiuſque natura. ea enim mihi vis eſſe videtur huius nominis. τὸ εὖ verò ſolus ex omnibus interpretibus integrum ſeruaui, cum alij articulum τὸ omiſerint, reddidique latinè actionis præſtantiam. αὐτοέκαστον autem vox eſt non ſolum Platonis, vt aliquando exiſtimaui, ſed & Iſocratis, & aliorum ſcriptorum. Nam Plato quidem, ut omnibus notum eſt, αὐτοέκαστον, vſurpat pro cuiuſque rei notione, & forma, quam ideam appellat.

30 Tanquam extremum.] ἔσχατον. aliud eſt hoc loco ἔσχατον, quod extremum Latinè nominatur: aliud τέλος. ἔσχατον enim intelligitur hîc ab Ariſtotele aliquid ſingulare, quod ſenſu percipitur, quia & ab eo cognitio noſtra oritur ad vniuerſa progrediens, & ab vniuerſis profecta ad ſingularia deſinit. Iam quòd τέλος nonnunquàm vltimum & extremum nominauimus, in eo M. Tullium ſumus imitati: ſed id vno aut altero loco duntaxat fecimus. non enim me præterit τὸ ἔσχατον apud Ariſtotelem, latius patere, quàm τέλος, neque omne extremum finem eſſe, ſed id tantùm, quod ſit optimum.

31 Qua ſibi quiſque & vni proſpicit.] ſic Ariſto. ἡ περὶ αὑτὸν καὶ ἕνα. alij putant legendum περὶ τὸν αὐτὸν, à quibus diſſentio.

32 Multarum actionum ſtudio] pluribus verbis dixi, quod vno græci, πολυπράγμονες.

33 Iccirco & Euripides,] citantur hi verſus à Plutarcho in libro περὶ τοῦ ἀνεπιφθόνως ἑαυτὸν ἐπαινεῖν, integri. nam hîc verſus tertius eſt mutilatus. ſic igitur eſt ex Plutarcho ſupplendus ἴσον μετασχεῖν τῷ σοφωτάτῳ τύχης.

34 Vel hanc eſſe grauem] Græci interpretes ſubaudiũt verbum ἀγνοοῦσι, quod nonnulli in ordinem verborum Ariſtotelis coniecerunt.

35 Non illo [non vno ex quinque ſenſibus, aſpectu, auditu, odoratu, guſtatu, tactu, ſed eo quem internum & communem dicimus.

36 Veruntamen prudentia ſenſus eſt potius.] liber Florentinus, Pariſienſis, Venet. German. & ſcripti aliquot ſic habent: ἀλλ' αὕτη μᾶλλον αἴσθησις ἢ φρόνησις. quorum verborum hæc ſententia eſt. ſed hic ſenſus communis qui dicitur, ſenſus eſt potius, quàm prudentia. Vetus autem interpres, cum quo conſentit Argyropylus, legit hoc modo, ἀλλ' αὕτη μᾶλλον αἴσθησις ἡ φρόνησις. quam lectionem ita explanat D. Thomas: prudentia ad hũc ſenſum communem propius accedit, quàm ad ſcientiam, & vt verba magis exprimam, prudentia ſenſus eſt potius, quàm ſcientia. Atque hæc lectio mihi ſanè videtur & verior, & incorruptior, eáq; iccircò ſecuti ſumus: illa autem ſuperior, mendoſa & corru

pta eſt, meo quidem iudicio. Quin ſi mihi, quod ſentio, libere liceat dicere, videtur mihi etiam hæc ſuſpecta, putoq; hoc totum ἡ φρόνησις, ab aliquo ſtudioſo primùm ad oram libri aſcriptum, ad explicandum id prouocabulum αὕτη. deinde ab aliquo imperito librario in ordinem verborum Ariſtotelis coniectum: poſteà alios (vt ſolent propagari falſa) quò illud nomen ἡ φρόνησις pertineret, non intelligentes, in ἢ φρόνησις commutaſſe propter illud μᾶλλον, quod antecedit. Ne diutius igitur lectorem ſuſpenſum teneam, coniectura mea eſt hæc, ſcriptum eſſe ab Ariſtotele hoc modo ἀλλ' αὕτη μᾶλλον αἴσθησις hoc ſenſu. ſed hæc, videlicet prudentia, ſenſus eſt potius, ſubaudi quàm ſcientia. ſolet autem Ariſtoteles, quod & alii itidem ſcriptores faciũt, cùm aliquid ingreſſus dicere, aliud interpoſuit, ad id quod inchoatum reliquit, reuerti, atque id ipſum vel iiſdem verbis, vel aliis repetere, & abſoluere. Ita cùm dixiſſet, prudentiam eſſe extremi, quod extremum non ſcientia, ſed ſenſu comprehendatur: deinde ea interpoſuiſſet, quæ ad illam ſenſuum diſtinctionem pertinebant, redit ad illud quod interruperat, hoc modo: ſed hæc, ſenſus eſt potius: quod quidem id ipſum eſt, quod aliis verbis proximè dixerat, extremũ in quo uerſatur prudẽtia, nõ ſcientia comprehendi, ſed ſenſu percipi. nã hæc oratio, ſed hæc ſenſus eſt potius præciſa eſt, quæ erit integra, ſi ita expleas, ſed prudentia ſenſus eſt potius, quàm ſciẽtia, id eſt prudentia ſenſui, quàm ſcientiæ, ſimilior eſt.

37 Illius autem alia forma, aliaque notio eſt.] illius nempe ſcientiæ. alii ad ſenſum referunt. non eſt autem omittẽdum veterem interpretem legiſſe ἐκείνη δ' ἄλλο εἶδος, cum in omnibus libris, quos quidem viderim, ſcriptum ſit ἐκείνης δ' ἄλλο εἶδος.

38 De bona conſultatione] περὶ δὲ βουλίας. Perionius prudentem conſultationem: quaſi verò bona cõſultatio aut minus ſit Latinum, aut non propius accedat ad græci nominis ἔτυμον.

39 Sagacitas] ſic ἀγχίνοιαν nominaui. Nam cum videã dictam eſſe ἀγχίνοιαν παρὰ τὸ ἀγχὶ νοεῖν, id eſt à proximè intelligendo, ſeu à propinquitate mentis: ſagaces autem à ſa

ſagiendo, id eſt acutè ſentiendo, vt ſcribit M. Tullius: ſentireq; idem ſit interdum, quod intelligere, & homo dicatur animal prouidum, ſagax, multiplex: viſum eſt latinum nomen ſatis aptè græco reſpondere. vno contentus ero exemplo. ex quo intelligere licebit ἀγχίνουν, & ſagacem idem valere. Plancus Cicer. lib. x. Sed certè nimia eius indulgẽtia in Lepidum, ad hæc pericula perſpicienda fecit eum minus ſagacem. Definitur autem ab Ariſtotele ἀγχίνοια, hoc modo ἀναλυτ. ὑστέρ. lib. 1. in extremo ἡ ἀγχίνοιά ἐστιν εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ, τοῦ μέσου: οἷον εἴ τις ἰδὼν ὅτι ἡ σελήνη τὸ λαμπρὸν ἀεὶ ἔχει πρὸς τὸν ἥλιον, ταχὺ ἐνενόησε διὰ τί τοῦτο, ὅτι τὸ λάμπειν ἀπὸ τοῦ ἡλίου: ἢ διαλεγόμενον πλουσίῳ ἔγνω διότι δανείζεται. Nam ſolertiam oſtendemus ſuo loco eam eſſe, quam græci δεινότητα appellant. Acumen autem mihi non diſplicet, ſi quis hoc malit.

40 Scientiæ.n. nullum eſt rectum: nam neq; eius] ſic Ariſ. Ἐπιστήμης μὲν γὰρ οὐκ ἔστιν ὀρθότης: οὐδὲ γὰρ ἁμαρτία. nihil eſt his verbis facilius homini non indoctiſſimo. ſcientia ſemper eſt recta, nunquam praua, cum verſetur in rebus veris, & neceſſariis: eſſet autem eius aliquod rectum, ſi eſſet eius aliqua prauitas. nunc autem cùm ſcientiæ nulla ſit prauitas, ſequitur vt neque eius vllum ſit rectum. Perionius hæc ſic vertit: Quoniam in ſcientia non ſpectatur quid rectum ſit, quoniam, ne in peccato quidem. Equidem fateor ingenuè me, quid ſibi hæc verba velint, non intelligere.

41 Deciſum iam ac conſtitutum eſt] διωρίσθη. Peri, enumerata ea ſunt omnia, in quibus eſſet opinio. non dicit Ariſtoteles ſe aliqua in quibus eſſet opinio, enumeraſſe Perioni, ſed eum, qui opinatur, id quod opinatur, iam deciſiſſe, & conſtitutum in animo habere, tametſi re ſit dubium, & incertum, atque adeo fortaſſe falſum.

42 Cogitatione igitur inferior eſt] διανοίας ἄρα λείπεται. Perion. relinquitur vt ſit mentis, non rectè. Λείπεσθαι cum patrio caſu iunctum, valet, ſuperari, inferiorem eſſe: ſic loquitur lib. 2. de animo ἐν μὲν ταῖς ἄλλαις αἰσθήσεσι λείπεται πολλῶν τῶν ζώων: κατὰ δὲ τὴν ἁφὴν, πολλῷ τῶν ἄλλων διαφερόντως ἀκριβοῖ. Aelianus ποικίλ. ἱστορ. α. de Gorgia & Protago. τῇ δὲ σοφίᾳ τοσοῦτον ἐλείποντο, ὅσον ἀν-

δρῶν παῖδες. Iccircò autem dicit bonam conſultationem cogitatione ſeu mente eſſe inferiorem, quòd bona conſultatio, cùm ſine ratione conſtare non poſſit, nihil enuntiet, ſed ratiocinetur & quærat aliquid: cogitatio autem ſit enuntiatio. Sed quæret aliquis: quorſum hîc Ariſtoteles cogitationem interiecit, cùm opinionis & bonę conſultationis differẽtiam oſtendere inſtituerit? fortaſſe ideò quòd vtraque nempè cogitatio, & opinio aliquid enuntiat, ideſt vel ait, vel negat. ſi probatum igitur ſit bonam conſultationem iccircò eſſe cogitatione inferiorem, quòd illa nihil dum enuntiat, hæc aliquid enuntiat, erit quoque probatum bona conſultatione opinioné eſſe ſuperiorem, quia & opinio non ſit quæſtio, ſed iam enuntiatio.

43 Hæc enim nondum enuntiatio] αὕτη γὰρ οὔπω φάσις. hæc nempè bona conſultatio. Vetus interpres videtur legiſſe αὐτὴ, id eſt ipſa bona conſultatio, quæ mihi videtur incorrupta & germana lectio.

44 Sed magno malo accepto] κακὸν δὲ μέγ' εἰληφὼς. Perion. ſed magnum id malum exiſtimarunt, aliud eſt εἰληφὼς, aliud ὑπειληφὼς aliud λαμβανω, aliud ὑπολαμβανω.

45 Alio loquente] ἄλλου λέγοντος. Perionius tacentibus nobis. cui probabitur hæc interpretatio?

46 Ea autem quæ γνώμη à græcis] Tota hæc diſputatio de ea, quam græci γνώμην appellant, nominibus ipſis ita implicata eſt, vt ſi quis aliis, quàm græcis, eam perſequi conetur: aut aliud agere, aut iocari, aut operam ludere deniq; videatur. Equidem fateor ingenuè me ea, quæ hîc ab Ariſtotele dicuntur, ſatis commodè latinè explicare non poſſe. hoc dico amplius me in hac eſſe ſententia, vt ea ab eo, qui græcè neſciat, vix intelligi poſſe exiſtimem. Itaque melius fortaſſe mihi conſuluiſſem, ſi totum hunc locum non attigiſſem, aut certè græca nomina ea, quæ ad hanc diſtinctionem atque explicationem pertinent, retinuiſſem. Verùm altera ex parte reprehenſores aliquos extimeſcebam, qui, ſi hæc in latinum ſermonem non vertiſſem, dicerent me opus inchoatum edidiſſe: deſertum negotium quererentur: nihil eſſe, quod ex vna lingua in aliam transferri nõ poſſit: me vel nimis religioſum, ac timidum fuiſſe, vel hæc interpreta

pretari non potuiſſe. Ego igitur vtriſque ſatisfacere inſtitui,& græcarum literarum rudibus , & græcè doctis : illis, vt ne querantur ſibi non eſſe conſultum : his,vt lætentur ſe græcas literas didiciſſe,cum viderint quanto hæc noſtra latina græcis ſint deteriora. Quòd ſi qui hæc eadem melius verti potuiſſe contendent, æquiſſimo animo me ab eis doceri patiar.

47 Ad consentiendum id eſt ad ignoſcendum] *συγγνωμονικὸν*.ſcio *συγγνώμην* non eſſe id quod latini conſenſum appellant,neque *συγγινώσκειν*, conſentire:ſed nos his nominibus vti oportuit, ſi vellemus hanc Ariſtotelis de ſententia, quam græci *γνώμην* dicunt, explicationem latinè reddere. Nam ſi *συγγνώμην* veniam, aut veniæ dandæ voluntatem , & *συγγινώσκειν* ignoſcere & veniam dare ,& *ἀγνώμονα* moderatum , aut æquum , aut commodum, aut facilem nominaſſem,totam hanc diſputationem ac diſtinctionem,inutilem atque ineptã reddidiſſem. Pendet enim è nominibus , nec niſi ſeruata nominum quaſi cognatione, intelligi poteſt.

48 Conſenſum accommodare] *συγγνώμην ἔχειν* dicũt græci.nam conſenſum accommodare ſcio non eſſe latinis admodum vſitatum,ſed volui (vt dixi) in iiſdem perpetuò nominibus hærere, vt qui hæc noſtra legeret, facilius, quid ſibi vellet , aut quid ſentiret Ariſtoteles , intelligeret.

49 Viri æqui & boni] *τοῦ ἐπιεικοῦς*. ſecutus ſum Aſpaſium, nam D.Thomas interpretatur ipſius æqui boni.quod græci dicunt *τὸ ἐπιεικὲς*.

50 Et mens extremorum eſt] ſic Ariſto. *καὶ ὁ νοῦς τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα*. huius loci hanc ſententiam eſſe arbitror. mens tùm primorum terminorum eſt,id eſt definitionum , eorumque principiorum , quæ demonſtrari non poſſunt , tùm eorum extremorum , quæ propriè hoc nomine appellantur , id eſt ſingularium , quæ ſenſu quoque ipſo percipiuntur . ſunt autem ſingularia principia vniuerſorũ: & vniuerſa ſingularium fines. Mens igitur vna eſt , quæ primos,fixos & immobiles terminos cernit , quales ſunt definitiones,& enuntiationes vniuerſæ:easq; ad conſtituendas demonſtrationes adhibet,cum illæ tamen demonſtrari non

poſſint. Altera eſt,quæ extrema,hoc eſt ſingularia contemplatur, & conſiderat,verſaturque in iis artibus,quæ ad agendum valent. atque hæc ſenſui communi ſimilima ac gemina eſt.

51 Sed vt probi efficiamur] τοῦ γενέσθαι, ſubaudiendum σπουδαίους, non vt Perionius putauit, φρονίμους. itaq; expeditior eſſet lectio hoc modo. ἀλλὰ καὶ τοῦ γενέσθαι σπουδαίους, τοῖς οὖσιν οὐθὲν ἂν εἴη χρήσιμος. ego tamen nihil muto. ſed ſententiam ſequor tantùm.

52 In valetudine curanda] περὶ ὑγίειαν. Perion. in medicina: non rectè.

53 Nam ea certè, quæ efficit] ἡ γὰρ ποιοῦσα ἄρχει καὶ ἐπιτάττει περὶ ἕκαστα. Perion. Nam cùm eius omne opus ſit in agendo &c. quid ab Ariſtotelis ſententia diſiunctius fingi poteſt?

54 Veruntamē non vt valetudinem] ſecutus ſum lib. Florenti. Venet. Pariſien. in quibus ita ſcriptus eſt hic locus Ἔπειτα ποιοῦσι μὲν, οὐχ ὡς ἰατρικὴ δὲ ὑγίειαν, ἀλλ᾽ ὡς ὑγίεια, οὕτως ἡ σοφία εὐδαιμονίαν: quā lectionē confirmant Euſtr. vetus interpres, Argyr. verba aūt Euſtr. ſunt hæc, ὡς μέρη συμπληρωτικὰ τῆς εὐδαιμονίας. ideſt, vt partes, quæ beatitudinem conſtituunt, & complent. ſignificat Ariſtoteles prudentiam, & ſapientiam effectrices eſſe vitæ beatæ, non vt cauſas efficientes, ſed vt partes eas, quæ conſtituunt totum. alii codices habent ὡς ὑγίεια τὰ ἐνεκτικὰ, οὕτως ἡ σοφία εὐδαιμονίαν: quos videtur probaſſe D. Thomas, quanuis vetus interpres (vt dixi) vocem ἐνεκτικὰ, nō habuerit.

55 Quam ſolertiam] δεινότητα ſolertiam appellaui bonis auctoribus linguæ latinæ fretus: melius (opinor) quàm Perionius, qui ingenium: melius quàm alii qui calliditatem nominarunt. nam calliditas quidem πανουργία eſt potius. ſed nominis ſolers, exempla proferamus. M. T. offici. 1. decipere hoc quidem eſt, non iudicare. quocircà in omni re, fugienda talis ſolertia eſt. idem de natura deorum lib. 2. Quibuſdam beſtiis machinatio quædam, atque ſolertia, ut in araneolis. Idem offi. 1. in extremo. Sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi, cogitandique ſolertiam. Idem ibidem. aut enim

in

in perſpicientia veri, ſolertiaque verſatur, aut in hominũ ſocietate &c. quo loco perſpicuè ſolertiam eam nominat, quam Græci δεινότητα. Idem in Bruto. Habuit à natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat, quòd erat in reprehendendis verbis verſutus, & ſolers. Terent. in Eunucho. fac periculum in palæſtra, in muſicis, ſolertem dabo. Horat. od. 8. lib. 4. Solers nunc hominem ponere, nunc Deum. His locis omnibus, arbitror ſolertem & ſolertiam δεινὸν & δεινότητα græcè reddi poſſe.

56 Non eſt porrò prudentia] Secutus ſum veterem interpreterem, & Argyrop. qui hoc modo legerunt. ἔςι δὲ. ἡ φρόνησις οὐχ αὕτη ἡ δύναμις. à codice Florentino & Veneto abeſt uox αὕτη, immo deeſt potius. nã ſine dubio aſcribenda eſt. ſignificat autem Ariſtoteles prudentiam non eſſe ſolertiam quidem illam, ſed non eſſe tamen ſine ſolertia.

57 Habitus autem hoc quaſi] D. Thomas hoc animi oculo ſolertiam ſignificari putat, atque ita hunc locum explicat: in hoc animi aſpectu atque oculo, id eſt in ſolertia ingenerari prudentiam non ſine virtute. Euſtratius hunc oculum vult eſſe τὸν πρακτικὸν νοῦν, ideſt mentem, quæ ad agendum valet. Ego D. Thomæ aſſentior in eo, quòd hunc animi oculum vult eſſe ſolertiam: ſed nolim intelligi habitum cum virtute ingenerari in ſolertia, ſed potius huius oculi, nempe ſolertiæ, opera ac beneficio, habitum cum virtute coniunctum in animo innaſci, vt illud τῷ ὄμματι ſit inſtrumenti loco poſitum: habitus autem ille cum virtute coniunctus, prudentia. 58 Ratiocinationes enim eæ quæ] Nulla eſt hoc loco in omnibus græcis exemplaribus lectionis varietas, nullum ſcripturæ vitium: tantummodo vitioſa interpunctio eſt. nam id interpunctum, quod voci εἰσὶ poſteriore loco appingitur, abradendum eſt, & q. ſequũtur, vno ſpiritu ſunt legenda hoc modo, οἱ γὰρ συλλογισμοὶ τῶν πρακτῶν ἀρχὴν ἔχοντες, εἰσὶν ἐπειδὴ τοιόνδε τὸ τέλος. ideſt ratiocinationes, quæ rerum in actione poſitarum principia continent, eò ſunt, in eoque vim ſuam habent ſitam, quòd talis ſit finis, nempe vel id quod ſit reapſe bonum, vel id quod boni ſpeciem præ ſe ferat. Namq; in iis rebus, quæ ſub actionem cadunt, finis principii inſtar

ſtar obtinet. Quemadmodum enim in iis, quæ animo cernuntur, conſtare ſcientia non poteſt, ſi principia ſint incerta, dubia, deniq; nõ neceſſaria: ita in illis ſolertia vacillabit, claudicabit prudẽtia, atq; iccircò ad actionẽ min⁹ alacriter, minusq; expeditè aggredietur, ſi nullus certus finis, ad quẽ actionis conſilium referatur, propoſitus ſit. Et quemadmodum in his principia demonſtrari neque poſſunt, neque debent, ſed ea poſita oportet eſſe, & conceſſa: ſic & in illis fines, vt pote qui principiorum loco ſunt, poſiti, fixi, rati, certi eſſe debent.

59 Sic ſe res habet in iis animi bonis] οὕτω καὶ ἐνταῦθα, id eſt ſic & hîc. in omnibus libris impreſſis, quos quidem viderim, ea eſt interpunctio, quam expoſui. Euſtratius autẽ lectionem aliter interpunctam proponit, huiuſmodi οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἐὰν λάβῃ νοῦν, vt hæc coniunctè legantur, quæ membratim legebantur. Verùm cum hæc lectio, quam ſecuti ſumus, tot librorũ fide, ac teſtimonio confirmetur, habeatque ſententiam non ſolùm probabilem, & conſentaneam, verum etiam apertam; non putaui mihi ab ea temerè eſſe diſcedendum. Si quis autem huic alteram anteponet, neque ei aduerſabor, neque inuidebo.

60 Quanto in agendo ceteris antecellant] ἐν τῷ πράττειν διαφέρει. Scio apud græcos διαφέρειν valere differre, intereſſe: ſed valet quoque antecellere, præſtare. Iſocr. de Helena, ἣ καὶ τῷ γένει καὶ τῷ κάλλει, καὶ τῇ δόξῃ πολὺ διήνεγκε. idem περὶ εἰρήνης. τοσοῦτον ἀνοίᾳ διήνεγκαν πάντων ἀνθρώπων. Ariſt. lib. 7. Polit. εἰ εἴησαν τοσοῦτον διαφέροντες οἱ ἕτεροι τῶν ἄλλων, ὅσον ἡγούμεθα τοὺς ἥρωας τῶν ἀνθρώπων διαφέρειν. Atque hanc proximam huius verbi ſignificationem magis conuenire huic loco exiſtimaui. D. Thomas quidem cui vix linguæ græcæ elementa fuerunt cognita, & qui interpretatione vſus eſt penè barbara, ſic explicat. Hisq; ferè verbis utitur: multùm differt excellentia bonitatis: Quòd ſi quis malit hoc loco διαφέρειν, pro differre accipi, Perionii tamẽ interpretationem probare nullo modo poſſim, quæ talis eſt. iam magna eſt in actione diſtinctio.

61 Nam quòd uirtutes omnes] Plato in Menone.

62 Ea cui prudentia moderatur.] ἡ κατὰ τὴν φρόνησιν. ideſt

id eſt ea quæ prudentiæ congruit.

63 Illam nondum erit conſecutus.] τὴν δ᾽ οὔπω εἰληφὼς ἔςαι. Sic liber Flor. et Pariſi. Vetus interpres videtur legiſſe οὔπως, ideſt nullo modo, nequaquam. Quæ lectio ſanè mihi non diſplicet. erit enim hæc ſententia, vt intelligas orationem eſſe eorum, qui dicebant, uirtutes poſſe inter ſe ſeparari, fieriq; poſſe, vt quis ſit fortis ac liberalis, nec tamen temperantiam, nec iuſtitiam ſit conſecutus. quale eſt illud M. Tullii offi. 1. ſunt enim qui in rebus cõtrariis parùm ſibi conſtent: voluptatem ſeueriſſimè contemnant, in dolore ſint molliores: gloriam negligant, frangantur infamia. Iam ſi legamus οὔπω, erit hic ſenſus, fieri poſſe, vt qui non fuerit, verbi gratia, nuper temperans, is conſuetudine adhibita, laboreque ſuſcepto, eam virtutem comparet. non eſt autem omittendum, hæc verba εἰληφὼς ἔςαι, Perionium non mihi videri rectè vertiſſe hoc modo, percepit. aliud eſt enim εἰληφὼς ἔςαι, aliud εἴληφε.

64 Sed vt exiſtat, & adſit.] ὅπως γένηται nempe ſapientia. Hoc ſignificat Ariſto. quemadmodum medicinæ propoſita valetudo eſt, ſic & prudentię ſapientiam eſſe propoſitam: Perion. ſic, ſed vt quicque fiat, prouidet: quæ quàm longè abſint ab Ariſtotelis ſententia, nemo eſt, qui non videat.

In librum ſeptimum.

1 Quemadmodum Lacônes.] Plato in Menone, in extremo. καὶ οἱ Λάκωνες ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, θεῖος ἀνὴρ (φασὶν) οὗτος. quo loco Muretus legendum putat σεῖος, cui aſſentior. ſic enim loquebantur Lacedæmonii: Suprà autem, malè librarii impreſſerunt illud, pro illum pag. 159. verſu vltimo.

2 Incontinenter viuere poſſit.] Ariſt. ἀκρατεύηται. Perionius iudicium ſuum retinere poſſit. puto eum aliud egiſſe, cùm hæc ſcribebat.

3 Omnino rationem eorum qui] ὅλως ἐμάχετο πρὸς τὸν λόγον. Poteram & ſic vertere, cum eorum ratione pugnabat.

gnabat. Perionius bellum gerebat. atqui *μάχεσθαι* non eſt bellum gerere, ſed præliari, aut pugnare, niſi forte bellum & prælium, idem eſſe exiſtimat. ſed hæc leuia ſunt. librarii hic omiſerunt vocem, omnino.

4 Atqui ſi opinio eſt incontinentis] ſic Ariſtot. *Ἀλλὰ μὴν εἴγε δόξα, καὶ μὴ ἐπιστήμη*. &c. Perio. Atqui ſi opinio quidem & ſcientia inſit. ſuſtulit negationem.

5 Puta ſi etiam in falſa.] Ariſt. *εἰ καὶ τῇ ψευδεῖ*. Perion. æquè vt ſi falſæ. Hoc ſentit Ariſtoteles. ſi continentia faciat, vt nos in omni opinione maneamus, etiã falſa: mala erit: à qua ſententia longè abeſt Perionii oratio.

6 Quia ei mentiri ſit moleſtum.] *διὰ τὸ λυπεῖσθαι ψευδόμενον*. Perionius, tum cum vi doloris coactus mentiretur. monſtri ſimilia profectò videri poſſint ei qui cum Græcis conferat.

7 Sophiſtarum ratio quam mentientem] mentientem etiam M. Tullius commemorat lib. 2. de Diuinat. Quomodo aũt mentiẽtem, quem *ψευδόμενον* vocant, diſſoluas? & & acad. quæſt. 2.

8 Adbibere? ſecutus ſum librum Florentinum, in quo legitur *ἐπιπίνειν*. Alii habent *ἔτι πίνειν*. id eſt amplius bibere: quorum vtrum ſequamur, nihil magnopere refert.

9 Si enim ei perſuaſum eſſet] ſecutus ſum veterem interpretem, & librum Pariſienſ. ab Adriano Turnebo emendatum: cuius hæc ſcriptura eſt, *εἰ μὲν γὰρ ἐπέπειστο ἃ πράττει, μεταπεισθεὶς ἂν ἐπαύσατο· νῦν δ' οὐ πεπεισμένος, οὐδὲν ἧττον τοιαῦτα πράττει*. quam quidem eſſe veram & incorruptam lectionem, quiuis non tardiſſimus facilè intelligat.

10 An potius quòd ſic, vel ſic] deerant hæc in omnibus libris vulgatis, quæ reſtituta ſunt à P. Victorio, eorumque reperiuntur in vetere interpretatione, veſtigia. *ἀλλὰ τῷ ὥς, ἢ ὥ*.

11 Idem. n. eſſet incontinentia, quod intemperantia] ſic Ariſt. *ταὐτὸν γὰρ ἦν τῇ ἀκολασίᾳ*. quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: *ταὐτὸν γὰρ ἦν ἡ ἀκρασία τῇ ἀκολασίᾳ*. Perionius, qui *ἀκρασίαν* ſemper impotentiam nominat, (quod tamen non reprehendo) ſic vertit. idem enim eſſet, quod impotentia. debuerat dicere, quod intemperantia.

12 Nonnulli enim eorum qui] id probat Plato in Menone.

13 Nonnulli enim non minorem] ſic Ariſtot. ἔνιοι γὰρ πιστεύουσιν οὐδὲν ἧττον, οἷς δοξάζουσι. Perionius: non enim ſunt apud quoſdam minus firmæ de iis quæ credunt, opiniones. inuerſo verborum ordine, ſententiam Ariſtotelis corrupit, vt cuiuis intelligere licet.

14 Quod declarat Heraclitus] qui omnia moueri putabat, vt ſcribit Ariſt. topic. 1. & Plato in Cratylo, his verbis, σχεδόν τι αὐτοὶ κατὰ Ἡράκλειτον, ἡγοῖντο ἂν τὰ ὄντα ἰέναι τε πάντα, καὶ μένειν οὐδέν. alij referunt ad id quod dicebat Heraclitus, ſe omnia ſtatim à puero ſcire cœpiſſe.

15 Prætereà quoniam duo ſunt, &c.] Diſputat hoc loco aduerſus Platonem, qui negat eum qui ſciat, quicquam alienum ab eo, quod ſciat, agere poſſe. oſtendit primùm ſcire dupliciter dici: Nam ſcit is, qui cum ſciat, ſcientia non vtitur, nec ea quæ ſcit, animo cernit, vt grammaticus aliud agens, quàm quod eſt grammatici, puta canens, numerans, &c. ſcit & is qui ea quæ ſcit, conſiderat, & contemplatur: Deinde duo eſſe enuntiationum genera. aliæ enim ſunt vniuerſæ, aliæ ſingulares. ſi quis igitur vtrunque genus ſciat, & non vtatur tamen ſingulari, ſed vniuerſa tantùm: non ſit mirum, ſi ea quæ agit, ab iis quæ ſcit, aliena ſint: quia ſingularia duntaxat ſub actionem cadunt.

16 Prætereà alio modo] ſic Ariſt. ἔτι τὸ ἔχειν τὴν ἐπιστήμην, ἄλλον τρόπον τῶν νῦν ῥηθέντων ὑπάρχει. Perion. ſitum eſt in homine, vt alia ratione ſcientiam habeat. non probo, quòd illud ὑπάρχει vertit, ſitum eſt in homine. quid ita? quia neque hoc loquitur Ariſtoteles, neque ſentit. commodius vertiſſet hoc modo; Prætereà habere ſcientiam, alio modo præter eos, quos nunc diximus, ineſſe poteſt in hominibus.

17 Nã eius qui ſciẽtiã habet] ſed quid ĩtereſt inter huius habitum, & illius quem ſuprà commemorauit his verbis? Nam & is qui ſcientia præditus eſt, nec ea vtitur. &c. Reſpondeo illius habitum ſolutum & expeditum eſſe, ita vt cum velit, habitu fungi poſſit: huius autem, vinctum atque impeditum, ita vt non ſit ei liberum, cùm ſit opus, munere ſcientis fungi.

18 Oportet enim illa vnà cum ætate] *δεῖ γὰρ συμφῦναι.* ſubaudio *τοὺς λόγους.*

19 In iis quæ ſunt cognitionis, &c.] locus eſt facilis ijs qui paulum modò in philoſophia exercitati ſunt. Aliæ ſunt (inquit) opiniones de rebus vniuerſis, aliæ de ſingularibus. Atque illarum aliæ in ijs ſcientiis locum habent, quæ in cognitione poſitæ ſunt, aliæ in iis quæ ad agendum, aut efficiẽdum ſunt vtiles. ſimulatque igitur in illis dixit aliquis, omnem hominem eſſe animal, & Socratem eſſe hominem, neceſſe eſt animum aſſentiri, Socratem eſſe animal: in his autem, ſtatim vt quis dixit, quicquid eſt dulce, guſtandum eſt: & hoc eſt dulce, guſtat. Perionius huius loci ſententiam nõ intellexit: quod quidem declarat eius interpretatio. Nam primùm verba illa *ὅταν μία ἐξ αὐτῶν γένηται,* ſic vertit, cùm earum vna adfuerit, cum longè aliud ſignificent, nempe cùm ex iis, quæ duæ erant, vna facta ſit: deinde illa *ἔνθα φάναι τὴν ψυχὴν,* animum intus præſcribere. at quis vnquã ſomniauit *ἔνθα* latinis valere intus, & *φάναι* præſcribere? poſtremò illa *ἐν δὲ ταῖς ποιητικαῖς,* ſic, & vires eas quarum omne opus in agendo eſt: planè totum hunc locum indignis modis corrupit.

20 (Hæc autem eſt quæ agit)] *αὕτη δ' ἐνεργεῖ.* hæc ſunt includenda interpoſitionis nota. quod non vidit Perionius, qui hoc modo vertit. hæc profecto exequitur: neque emendauit Gruchius.

21 Vt eam habere non ſit ſcire] *ὡς οὐκ ᾖν τῷ ἔχειν, ἐπίστασθαι.* ſic habent codices Florent. Pariſ. Nonnulli autem alij *τὸ ἔχειν.* ego hanc ſcripturam corruptam eſſe puto, corrigendumque vel hoc modo, *ὥστ οὐκ εἶναι τὸ ἔχειν ἐπίστασθαι*: quorum verborum ſententiam expreſſimus, vel vt M. Anton. Muretus mauult, *ὡς οὐκ εἶναι ἐν τῷ ἔχειν ἐπίστασθαι,* id eſt vt in ea habenda non inſit ſcire, quæ mihi videtur germana lectio, eamque vetus interpres agnoſcere videtur. malè autem librarij infrà verſu abhinc tertio impreſſerunt vniuerſa pro vniuerſus. hoc igitur erratum corrige.

22 Eos igitur qui in his] videlicet per ſe expetendis: longum eſt hyperbatum ab illis verbis, Quoniam autem eorum quæ voluptatem, &c. vſque ad hunc locum.

23 Homo dicebatur] Huius loci hæc ſententia eſt. Quẽadmodum ille Olympiorum victor non Plato, non Ariſtides, non Socrates, alióue proprio nomine appellabatur, ſed communi omnium hominum nomine, homo: ſic iræ & lucri, & ceterarum rerum incontinens, communi nomine incontinens appellatur, cùm incontinens tamen multùm ab illarum rerum incontinente differat. Euſtratius in proœmio commentarii in libr. 5. de hoc homine Olympionice ſic ſcribit. ἡ δὲ προκειμένη ἀρετὴ, δικαιοσύνη μὲν λέγεται, καὶ ὀνομάζεται τῷ τῆς ὅλης δικαιοσύνης ὀνόματι: ὄνομα δ᾽ ἴδιον οὐκ ἐκληρώσατο: ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐκεῖνος ὁ Ὀλυμπιονίκης οὐ Σωκράτης, οὐ Πλάτων, οὐκ Ἀριστείδης, ἀλλὰ τῷ κοινῷ πάντων ἀνθρώπων ὀνόματι ἄνθρωπος ὠνομάζετο: οὕτω καὶ ἡ παροῦσα ἀρετὴ δικαιοσύνη καλεῖται: ex quibus verbis ſuſpicari poſſit aliquis, illum neſcio quem Olympionicen proprio nomine caruiſſe, communiq; omnium hominum nomine fuiſſe appellatum. Quidam doctiſſimi viri exiſtimant fuiſſe olim quendam Olympiorum victorem, qui communi omnium hominum nomine Ἄνθρωπος, quod ei tamen eſſet propriũ, appellaretur.

24 Cuius rei hoc argumentum eſt] σημεῖον δέ. Hæc pertinent ad continentis & incontinentis differentiam, neque ſunt referẽda ad ſimilitudinem victoris Olympici, quã proximè interpoſuit, vt putauit Perionius.

25 Cuius rei argumentum eſt] ſecutus ſum codices meliores & quidem manuſcriptos, in quibus ita ſcriptum eſt. σημεῖον δέ. καὶ γὰρ μαλακοὶ λέγονται, quam lectionem cõfirmãt vetus interpres, & D. Thomas. probat Victorius. Ea autem quorum nimium ferre non poſſunt molles, ſunt fames, ſitis, frigus: illa à quorum nimio qui vincuntur, molles non dicuntur, ſunt pecunia, lucrum, honos, ira.

26 Quanuis hi in iiſdem verſentur] οἱ δ᾽ εἰσὶ μὲν περὶ ταὐτά. ſic legendum, non ταῦτα repugnantibus omnibus ferè codicibus. ſed Argyropylus tamen, & D. Thomas probant ταὐτά, ideſt eadem.

27 Quocircà qui ſecus] Διὸ ὅσοι μὲν παρὰ τὸν λόγον. &c. Hic eſt ἀνακόλουθον. nullũ enim verbum nomini huic ὅσοι infrà reſpondet, ſed ſubiicit mutata loquendi figura, μοχθη-

ϑηρία μὲν οὖν ὑδεμία περὶ ταῦτ' ἐςὶ διὰ τὸ &c. id eſt vitium igitur in his.&c.

28 Propter ſimilitudinem autem] ſic habet liber Floren.& Pariſien.& ceteri ferè impreſſi, δι' ὁμοιότητα δὲ τοῦ πάϑυς προσεπιτιθέντες τὴν ἀκρασίαν περὶ ἑκάςυ λέγυσι. quæ verba ſic quoque verti poſſunt, ſed obſcurius: Propter perturbationis autem ſimilitudinem, adiecta prætereà incontinentia, de vnaquaque re dicunt. vetus interpres, & Argyrop. videntur legiſſe περὶ ἕκαςον. ego Ariſtotelis ſententiam quàm planiſſimè potui, expreſſi.

29 Quòd in complexu venereo] ſic Ariſto. ὅτι ὀπύυσιν, οὐκ ὀπύονται. vetus interpres ita vertit, quia ducunt, non ducuntur. quibus verbis inductus ac deceptus D. Thomas putauit hoc ſentire Ariſtotelem, mulieres non eſſe eò dicendas incōtinētes, quòd non affectus, & appetitus ſuos rationi obedientes præbeant, ſed ab affectibus ſuis trahantur. Verùm id non ſentit Ariſtoteles, ſed illud, mulieres non iccircò incontinentes eſſe dicendas, quòd patiantur muliebria, non agant. Eſt enim hoc mulieribus attributum à natura, vt ſubigantur à maribus, non ſubigant mares.

30 Quemadmodum & eum qui] hic locus in omnibus libris, corruptus eſt, & ſic emendandus. καθάπερ καὶ τὸν περὶ τοὺς ϑυμοὺς ἔχοντα τοῦτον τὸν τρόπον, τούτου τοῦ πάθους ἀκρατῆ, ἀκρατῆ δ' ὐ λεκτέον. natum eſt mendum ex voce ἀκρατῆ, quam cum librarij bis ſcriptam viderent, putarunt alteram ſuperare, atque iccircò ſuſtulerunt. Illud τύτυ prę-tereà omiſerunt, vel conſultò, vel imprudenter, propter ſimilitudinem trium ſyllabarum deinceps inſequentium τύτυ τῦ.

31 Deinde ab actione aberrant.] ſecutus ſum codicem Floren. Parien. & ceteros melioris notæ, cum quibus conſentit vetus interpres, & Argyrop. ſic habent autem libri illi. εἶτα ἁμαρτάνυσι τῆς πράξεως. P. Victorius teſtatur ſe in nonnullis ſcriptum reperiſſe προςάξεως, ideſt à mandato, aut præſcripto aberrant. quam ſcripturam non improbo.

32 Et quatenus ſunt communes] καὶ ἐφ' ὅσον κοιναί. Perion. quia communes. non rectè.

33 Ad fores] ad fores iudicii.

34 Prӕtereà nemo dolens ſtuprum. &c.] ὐυδεὶς ὑβρίζει λυπούμενος. ὑβρίζειν non ſolùm id valet, quod Latini contumelia afficere dicunt, ſed etiam ſtuprum inferre, vt interpretati ſumus.

35 Non ineſt enim in ira] ὀ γάρ ἐςιν ἐν θυμῷ ὕβρις. Perion. neque enim ira dominante loci aliquid libidini relinquitur. ſpecioſa oratio, ſed ab Ariſtotelis ſententia aliena.

36 Sed eo carent] ἀλλ' ὀυκ ἔχει. nonnulli codices, iiq; mendoſi habent, ἀλλ' ἡμάρτηται, καὶ ὀυκ ἔχει. quos ſecuti ſunt Perion. & Gruch.

37 Innocentior enim, minuſque pernicioſa] ἀσινεςέρα γάρ. ſic habent codices emendati. alii ἀσθενεςέρα, id eſt imbecillior, quos ſecuti ſunt Perion. & Gruch.

38 Eorum autem qui conſilium] horum prior eſt incõtinens, poſterior mollis, vt mox ipſe dicturus eſt. ibi, eorũ igitur. &cet.

39 Eorum igitur qui ſuprà] ſic Ariſt. τῶν δὴ λεχθέντων τὸ μὲν μαλακίας εἶδος μᾶλλον, ὁ δ' ἀκρατὴς. atque hӕc eſt vera & incorrupta ſcriptura, quamuis libri Floren. habeant ὁ δ' ἀκόλαςος. vetus interpretatio autem hoc loco planè corrupta eſt. nanque eius autor prӕter cetera mala, videtur legiſſe κακίας εἶδος. ſed Argyropylus, & Aſpaſius perſpicuè probant eam lectionem quam ſecuti ſumus. Verba Aſpaſij ſunt hӕc. τῶν δὲ λεχθέντων (δηλονότι τῶν μὴ προαιρουμένων,) ὁ μὲν ἡττώμενος ὑπὸ τῶν λυπῶν ὧν οἱ πολλοὶ ὀυχ ἡττῶνται, μαλακὸς: ὁ δ' ἡττώμενος ὑπὸ τῶν ἡδονῶν, ὧν οἱ πολλοὶ ὀυχ ἡττῶνται, ἀκρατὴς. ſed quid Argyropyli, quid Aſpaſij auctoritate opus eſt? ipſa ſe ratio ac nuda veritas tueri ac probare poteſt. Nam quod hìc dicitur ab Ariſtotele, illorum, quӕ paulo ante poſuit ibi EORVM, qui conſilium non cœperunt ita viuendi, alius &cet. repetitio eſt, qua tum vti ſolent ſcriptores, cum aliquid dicere ingreſsi, id non abſoluerunt. cœperat autem dicere, eorum qui conſilium nõ capiunt, alium dulcedine voluptatis duci, alium doloris metu perterreri. deinde docet, intereſſe inter eum qui leui cupiditate adductus flagitioſum aliquid admittat, & cum qui vehementi &c. quorum ille eſt intemperans, hic eſt incontinens. His interpoſitis, ſubiicit. Eorum igitur, quos diximus

mus non capto conſilio quâ voluptates ſequi, quâ dolores è cupiditate natos fugere, ille eſt incontinẽs, hic eſt mollis.

40 Vt Theodectæ Philoctetes] Theodectes & Carcinus poëtæ tragici fuerunt, de quibus Ariſtoteles in libro περὶ ποιητικῆς.

41 Quemadmodum Perſarum regibus] ſcio libros Florent. Pariſien. & ceteros omnes impreſſos habere Σκυθῶν: ſed ipſa hiſtoriæ veritas poſtulat, vt Περσῶν legatur. cui quidem eo libentius ceſsi, quòd eam quidam libri manuſcripti adiuuant. accedit his Aſpaſiu s, qui perſpicuè legit Πεσρῶν.

42 Et vt fœmina à mare diſtat]diſtat mollitie. cõfer hũc locum cum illo ſuperiore, vbi dicit fœminas pati, non agere natura.

43 Vt ij qui ſe ipſi antè titillarint] ὥσπερ προγαργαλίσαντες. nonnulli libri προγαργαλισθέντες. Perionius ea, quæ proximè ſequuntur, οὐ γαργαλίζονται vertit latinè, non ſuccumbunt, non rectè.

44 Rationem non opperiuntur] οὐκ ἀναμένουσι τὸν λόγον. Perionius rationem, & iudicium ſuum non retinent, mendoſè.

45 Hi enim] videlicet qui rationem adhibent in conſilium, ſed in ea non permanent.

46 Vt non quòd ita ſibi] ſecutus ſum librum Parien. Adriani Turnebi opera & diligentia emendatum, in quo ita ſcriptum eſt οἷος μὴ διὰ τὸ πεπεῖσθαι. quam ſcripturam confirmat vetus interpres. nam Flor. Vene. & alij mendosè habent οἷος διὰ τὸ μὴ &c.

47 Ea, quæ poſita, & conceſſa ſunt] αἱ ὑποθέσεις. hac de re ſuprà diximus, annotat. lib. 5. numero. 39.

48 Aut ea; quæ ex conſuetudine comparatur] ἢ ἐθιστή. ſic omnes libri emendati, cum quibus concinit vetus interpres. mendoſi autem ἠθική.

49 Atque hi ſunt, quos] εἰσὶ δ᾽ οὓς καλοῦσιν ἰσχυρογνώμονας. Ego eoſdem eſſe puto τοὺς ἐμμενετικοὺς τῇ δόξῃ, & τοὺς ἰσχυρογνώμονας. Quapropter illa εἰσὶ δ᾽ οὓς. &c. ſic verti. ſuntque hi quos &c. quod quidem eo maiore fiducia feci, quòd eas duas voces εἰσὶ δὲ, ſcio abeſſe à codicibus quibuſdam

dam manuſcriptis. Argyropy. quidem non habuit. Denique M. Antonius Muretus mihi aſſentitur.

50 Vt in Sophoclis Philoctete Neoptolemus] de quo ſuprà ferè in principio huius libri.

51 Quia magis quàm par eſt] διὰ τὸ μᾶλλόν τι. oratio eſt præciſa, quàm Perion. non intelligens, ita interpretatur. propter vim quandam maiorem. quæ quidem interpretatio inepta, & ab Ariſtotelis ſententia valdè aliena eſt. non enim hìc loquitur de vi maiore, quam θεοῦ βίαν græci vocant, ſed dicit incontinentem magis, quàm oporteat, voluptatibus delectari. in illo autem præciſo (vt dixi) loquendi genere, ſubintelligendum eſt χαίρειν ἢ δεῖ. hoc modo, διὰ τὸ μᾶλλόν τι χαίρειν ἢ δεῖ, quemadmodum interpretati ſumus.

52 Non igitur incontinens eſt] οὐδὲ δὴ ὡς ὁ εἰδὼς καὶ θεωρῶν. Perio. ſic. Nec verò debet impotens ita affectus eſſe, vt &c. ineptiſſimè. ſcilicet corrupto vſus eſt codice in quo ſcriptum eſſet δεῖ, pro δὴ. demus ita eſſe, at potuit vel à nullo emendatiore libro admonitus, neque adiutus, hunc locum per ſe corrigere. Sciunt enim omnes paulummodo literis græcis tincti, græcos ita loqui non ſolere, οὐδὲ δεῖ ὡς ὁ εἰδὼς καὶ θεωρῶν. &c.

53 Conſultat, à qua ſpernitur lex, ciuitas] verſus eſt trimeter ἡ πόλις ἐβούλεθ' ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει. ἐβούλεθ' autem legendum puto, non ἐβούλεθ': Ἐβούλετο enim mihi nullo modo conuenire videtur. nam cum diſertè dicat Ariſto. incontinentem ei ciuitati eſſe ſimilem, quæ leges habeat bonas quidem illas, ſed eis non vtatur: nonne ad hunc locum ineptus eſſet Anaxandridæ verſus, ſi hanc ſententiam contineret, leges volebat ciuitas, cui leges non ſunt curæ? Quòd ſi quis auctoritatem meam parui æſtimat, Argyropylus mecum facit.

54 Quia voluptas omnis] aliter definit voluptatem ῥητορ. α. Sed illic populariter, & ad ſenſum vulgi accommodatè, hìc ſubtilius, & enucleatius. definitio autem illa ſic habet. ὑποκείσθω δ' ἡμῖν εἶναι τὴν ἡδονὴν κίνησίν τινα ψυχῆς καὶ κατάστασιν ἄθροον, καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν, id eſt, nobis hoc poſitum ſit, voluptatem motionem eſſe

 quandam

quandam animi & reſtitutionem vniuerſam, quæ ſenſu percipiatur, in priſtinam naturam.

55 Præterea voluptatis ars nulla eſt.] ἔτι τέχνη οὐδεμία ἡδονῆς, hæc ſic interpretatur Perionius. Iam verò nulli arti quaſi materia, quam tractet, ſubijcitur voluptas. nō probo. nam qui hoc argumentum afferebant aduerſus voluptatem, non dicebant voluptatem nullius artis materiam eſſe, ſed nullius artis opus eſſe: quare nec eſſe bonum, quia bonum omne humanum artis alicuius opus eſſe videatur.

56 Et quæ malæ videntur] ſecutus ſum ſcripturam codicis manuſcripti, quo vſus eſt Turnebus, quam confirmat vetus interpres. eſt autem ea talis. καὶ αἱ φαῦλαι δοκοῦσαι αἱ μὲν ἁπλῶς φαῦλαι. ab alijs libris abſunt duæ particulæ αἱ μὲν. quæ mihi non videntur otioſæ. Sed hanc diuiſionem omnes interpretes, & commentariorum in hos libros ſcriptores, tribus membris conſtare volunt, hoc modo, malarum voluptatum aliæ ſunt ſimpliciter malæ quidem illæ, ſed alicui non malæ, immò optabiles & ſumendæ, vt ægro medicamenta: aliæ ne huic quidem ſunt ſemper optabiles, ſed aliquando, & non ita diu, vt ei, qui iam iam fame ſit moriturus, cibū alicunde ſuffurari optabilius eſt, quā fame perire: aliæ ſpeciem præ ſe ferunt voluptatis, cùm re vera non ſint voluptates, vt mulieri citta, ideſt pica laboranti, carbones, aut lapides edere. Atque hæc quidem D. Thomas, quem ſequuntur ceteri latini, à quo græci non diſcrepant. Sed pace tot & tantorum virorum dixerim, videtur mihi hæc diuiſio duobus membris duntaxat conſtare hoc modo. Voluptates malæ aliæ ſunt ſimpliciter malæ, ſed alicui non, immo optabiles, quales ſunt aīalium corruptorū, vel natura, vel cōſuetudine voluptates, vt ferarū, & vitioſorum hoīum: aliæ ne huic quidem ſunt optabiles, ſed hoc tempore, eoque non longo, vt medicamenta, & cetera omnia, quæ adhibētur à medicis ad valetudinē. ad hoc genus pertinent cibus, potus, & vſus venereorum. adhibentur enim tanquam curationes, neque uoluptatem afferunt niſi penuria antegreſſa ſit. Itaque hoc quod habetur tertium membrum, αἱ δ᾽ οὐδ᾽ ἡδοναί, ideſt, hæ autem ne ſunt quidem voluptates, erit explicatio ſecundi, hoc modo: hæ autem, quæ ne huic quidem

dem ſunt expetendæ,ſed aliquando, & non diu, non ſunt re uera voluptates,ſed ita videntur. Confirmat hanc ſententiam id quod eſt hoc eodem libro. pag.187. Videtur igitur non eſſe bonum uoluptas duabus his de cauſis, ut diximus, tum quòd uoluptates partim &c. quo in loco perſpicuè diuiſio duobus membris, non tribus conſtat. nam ea,quæ ſequuntur HAE AVTEM. &c. declarant ea, quæ proximè antecedunt. Aliæ ſunt curationes &c. ut dicemus ſuo loco.

57 Carentis aliqua re] ſcio in omnibus uulgatis codicibus, etiam in Florentinis legi ὑπολύπου, ideſt ſubtriſtis, aut ſubmœſti habitus: ſed uidetur incorruptior & ſanior altera ſcriptura ὑπολοίπου, quam quidem ita probauit vetus interpres, ut eam duobus nominibus expreſſerit. hanc eandem ſecutus eſt Argyro. neque eſt,quòd quiſquam mihi dicat,ea verba,quæ deinceps ſequuntur: ἐπεὶ καὶ ἄνευ λύπης, declarare legendum eſſe hoc loco ὑπολύπου. dico enim hæc opponi ſuperioribus illis ὅσαι μετὰ λύπης καὶ ἰατρείας, ideſt quotquot cum dolore aliquo & curatione &c.

58 Cum expletur & cum in ſuo] ſic Ariſt. ἀναπληρουμένης τε τῆς φύσεως, καὶ καθεστηκυίας: ἀλλὰ καθεστηκυίας μὲν &c ſi quis conferat noſtra cum græcis: deinde Perionii latina cum noſtris & cum græcis, reperietur ille non ſolum hunc locum male vertiſſe,ſed etiam aliquot verba prætermiſiſſe. Cum expletur natura(inquit Ariſto.)ideſt cum is qui cibo & potione eget, reficitur, delectatur, verbi cauſa, cibis acribus & amaris: cum verò nihil deſiderat, abſolute dulcibus.

59 Non enim ortus ſunt uoluptates] οὐ γάρ γενέσεις εἰσὶν αἱ ἡδοναί. Perio. Neque enim ſunt in motu voluptates. Planè loquitur alia,quàm Ariſtoteles.

60 Vt maius minori & æquali] Patroni voluptatis hac quoque ratione conabantur oſtendere voluptatem eſſe bonum,quæ proximè expoſita eſt ab Ariſtotele: Quod fugiendo contrarium eſt,id expetendum & bonum eſt: At dolori, qui fugiendum quiddam eſt, voluptas contraria eſt: ergo voluptas bonum eſt. eam rationem ſic refellebat Speuſippus Platonis ſororis filius. Non ſequitur, ſi dolor malum ſit, voluptatem eſſe bonum. Nam fieri poteſt, vt duo ex-

trema ſint mala , quemadmodum , uerbi cauſa , maius & mĩnus contraria ſunt inter ſe , & vtrunque æquali . fingamus igitur maius , eſſe malum : non continuò minus , erit bonum : ſed maius , & minus , ut extrema , erunt mala, æquale erit bonum . Hanc Speuſippi diſſolutionem refellit ſtatim Ariſtoteles.

61 Nulla enim muneris functio] ratio eſt illorum verborum , quæ ſunt ſuprà , Si non sit impedita. Solet enim ſæpe Ariſtoteles multa interponere antequam rationem eorum , quæ dicit , afferat.

62 Siue inuiti dicant] Vt ſibi conſtent,& ne pugnantia loquantur , ut ij , qui ſummum bonum in ſola virtute ponunt.

63 Fama autem haud dubiè] verſus ſunt Heſiodi. quod neque Perionius,neque Gruchius animaduerterunt.Eorum autem alter non eſt integer,ſed ex Heſiodo qui omniũ manibus verſatur , ſuppleri poteſt.

64 Immo verò fieri etiam poterit] *ἀλλὰ καὶ λυπηρῶς ἐνδέχεται ζῆν* . Perionius hæc non ſatis conſideratè coniunxit cum ſuperioribus.

65 Nam quibus in habitibus] hunc locum mihi, ita vertiſſe uideor , ut à quouis non hebete facile poſſit intelligi . Veruntamen hoc ſignificat Ariſto. non omnium voluptatum eſſe nimium , ſed corporis voluptatum tantum . nimium enim omne vitioſum eſt : at animi voluptates nullæ ſunt vitioſæ . neque earum igitur vllum eſt nimium . Verbi gratia , nullum eſt eius voluptatis , quæ ex contemplatione proficiſcitur , nimium, quia contemplationis ipſius nullum eſt nimium . at voluptatis corporis aliquid eſt nimium. Nã motionum ipſarum , atque habituum ex quibus oriuntur hæ voluptates , aliquod eſt nimium. P.Victorius vir doctiſſimus eleganter & doctè hunc locum explicat libro.xxj. variar.lection.

66 Contrà fit in dolore] locus eſt obſcurus , quem ſic declaro ex D. Thomæ ſententia . Dixerat non eſſe eum vitioſum , neque reprehendi ſolere , qui ſequatur voluptates neceſſarias,ſed qui immoderatè & immoderatas. In dolore (inquit)contrà fit. nanque homines non fugiunt nimium

dolorem

dolorem tantùm,ſed dolorem ſimpliciter. Non enim voluptatis nimio dolor contrarius eſt, vt bonum malo: ſed & dolor, & nimium voluptatis mala ſunt. Quod dixit autem dolorem non eſſe voluptatis nimio contrarium,id ex eo intelligi poteſt, quòd ſapiens dolorem fugit, vt malum, non nimios dolores tantùm.voluptatem autem moderatam, & ita uti oportet, expetit: & ſi moderata, & conceſſa voluptate careat, doliturus eſt. At ſi nimium uoluptatis eſſet dolori contrarium, ſtatim vt ſapiens immoderata & nimia voluptate potiri non poſſet,dolore afficeretur:nam contraria ſeſe viciſſim pellere ſolent, & quemadmodum vno depulſo, admittitur alterum: ita vno admiſſo, pellitur alterum.Sapiens autem & immoderatas uoluptates aſpernatur, & omnem dolorem etiam mediocrem fugit. nimium voluptatis igitur & dolor non ſunt contraria: ſed voluptas & dolor ſimpliciter ſunt contraria. Ita fit, vt ſapiens & dolorem fugiat, & voluptatem neceſſariam, mediocrem, humanæ naturæ congruentem expetat. Dici tamē poteſt voluptatis nimium eſſe dolori contrarium,ſi eū ſpectemus,qui nimias uoluptates conſectatur, nempe hominem uitioſum. Vitioſus enim voluptates nimias perſequitur & expetit tanquam dolori contrarias, & quaſi alia ratione fieri non poſſit,vt dolores, quibus aſſiduè roditur, ac mordetur, propulſet, niſi voluptatibus immoderatis perfruatur. Quod ipſum ex ipſo Ariſtotele paulo poſt audiemus. Itaque illa verba, NON ENIM nimio dolor eſt cō trarius &c. hanc habent ſententiam. dolor non eſt nimiæ voluptati contrarius, niſi eum ſpectes, qui nimiam voluptatem conſectatur.

67 Quia videntur cum ſuo contrario.&c.] *διὰ τὸ παρὰ τὸ ἐναντίον φαίνεσθαι*. ſic habent libri ferè omnes impreſſi. nonnulli tamen legunt *περὶ τὸ ἐναντίον*, quam ſcripturā nullo in codice reperi. ſed priorem illam, & peruulgatam alii ſic interpretantur. quia magis elucent cum ſuo contrario compoſitæ. à quibus diſſentio.

68 Quòd voluptates.&c.] Ex hoc loco ſuperiorē illā diuiſionem malarum voluptatum bimembrem eſſe collegi. Quæ ſequuntur enim deinceps. HAE AVTEM pariuntur:

tur: non efficiunt tertium membrum, ſed membrum ſecundum declarant, hoc modo. Hæ autem voluptates, quas curationes appellauimus, tum gignuntur & exiſtunt, cum ij quibus aliquid deeſt, explentur, & in integrum naturæ habitum reſtituuntur. Atque ita D. Thomas hunc locum explicat, quo magis miror eum, ſuperiorem illam diuiſionem, trimembrem eſſe putauiſſe, cum perſpicuè oſtendat Ariſtoteles ſe hîc ea, quæ illo loco dixerat, iterare.

69 Cum explentur cupiditates] Aſpaſius hoc *τελειουμένων* ſic explanat, cum explentur cupiditates. D.Tho. ſic, cùm ij qui deſiderant, perficiuntur, atque in integrum naturæ ſtatum reſtituuntur, quæ ſanè inter ſe conſentiunt, & concinunt.

70 Parte ea, quæ ſana. &c.] *ὑπομένοντος τοῦ ὑγιοῦς πράττοντός τι.* Perion. quia valetudo reliqua eſt, quæ aliquid agit. quæ verba longè aliam habent ſententiam, quàm quæ loquitur Ariſtoteles.

71 Sed ineſt in ea etiam aliquid alterum] *καὶ ἕτερον.* notum eſt ex Platonis Timæo, ex materia, quæ indiuidua eſt, & quæ ſemper eſt vniuſmodi, & ex ea, quæ corporibus diuidua gignitur, Deum tertium materiæ genus ex duobus in medium admiſcuiſſe, quod eſſet eiuſdem naturæ, & quod alterius. Hoc igitur quod alterius naturæ M. Tullius nominat, Plato in Timæo *ἕτερον* appellat eodem nomine, quo vtitur hoc loco Ariſtoteles. quo fit, vt credibile ſit Ariſtotelem ad illud *ἕτερον* Platonicum reſpexiſſe. Eodem pertinet illud M. Tullii in Catone maiore: & cùm ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quicquam admixtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum diuidi.

In librum octauum.

1 Itaque adoleſcentibus opitulatur] ſecutus ſum libros emendatiores in quibus ita ſcriptum eſt, *πρὸς θεραπείαν καὶ τὸ ἐλλεῖπον τῆς πράξεως δι' ἀσθένειαν, βοηθεῖ.* non vt in aliis nonnullis corruptis *βοηθείας*, quanuis extent in antiqua interpretatione huius lectionis veſtigia.

2 Atque duo cum vnà carpunt iter] *σιώτε δύ' ἐρχομένω.* verſus ſunt Homeri *ἰλ. κ.* ita noti, & triti omnium ſermone, vt prouerbii locũ tũ obtinerent, vniusq; verſus principium duntaxat efferretur. ſic M. Tull. epiſtola ad Varronem. Volebam prope alicubi eſſe, ſi quid bonæ ſalutis. *σιώτε δύ' ἐρχομένω.* & ad Att. lib. IX.

3 Et id quod ex omnibus iuribus maximè ius eſt] *καὶ τῶν δικαίων τὸ μάλιστα.* quæ verba ſic explanat Aſpaſius. Cùm multa ſint iuris genera, ciuile, paternum, & id quo dominus in ſeruos vtitur, horum id quod maximè ius eſt, nempe ciuile, quod quidem in æqualitate potiſſimùm poſitum eſt, ad amicitiam pertinet maximè. Perionius ſic vertit. Iuſtorum etiam proprium eſt in expetendis amicitiis excellere maximè. quæ quàm longè abſint ab Ariſtotelis ſentẽtia, nemo eſt qui non videat.

4 Et amicorum multitudo] ſecutus ſum eos libros, qui habent *πολυφιλία*, Florentinum, Pariſienſem, Venetum, Germanicum, cum quibus conſentit Argyrop. eamque ſcripturam agnoſcit, Aſpaſius. Vetus interpres autem legit *φιλοφιλία.* i. amicorum amicitia.

5 Nam ſemper ſimilem ad ſimilem] principium eſt verſus Homerici, *ὡς ἀεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.*

6 Alij contrà hos tales figulos inter ſe] *οἱ δ' ἐξ ἐναντίας κεραμεῖς πάντας τοὺς τοιούτους ἀλλήλοις φασὶν εἶναι,* id eſt dicunt ſimiles, inter ſe inuidos eſſe figulorum & artificũ inſtar. natum prouerbium eſt ex Heſiodi verſu. *καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.* ſignificat autem prouerbium inuidiam eſſe inter æquales, qua quidem de re ita ſcribit Ariſtot. lib. *ῥητορ. β. φιλοῦσι καὶ τοὺς ὁμοίους, καὶ τ' αὐτὰ ἐπιτηδεύοντας ἂν μὴ παρενοχλῶσι, μηδ' ἀπὸ ταὐτοῦ ᾖ ὁ βίος. γίνεται γὰρ οὕτω τὸ κεραμεὺς κεραμεῖ.* ſolent (inquit) homines, ſimiles amare, & eos qui eadem ſtudia, easdemque artes exercent, niſi obſtent, niſique eodem ex artificio victum & cultum quærant. Perionius hunc locum Ariſtotelis in quo verſamur, ridiculè interpretatus eſt, ſic: Alii contrà figulos aiunt ita eſſe inter ſe animatos.

7 Tellus quidem imbrem amat] *Ἐρᾷν μὲν ὄμβρου.* ſic leguntur integri verſus hi apud Athenæum.

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ᾽ ὅταν ξηρὸν πέδον,
Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ.
Ἐρᾷ δ᾽ ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο.

8 In inanimorum amatione.] *ἐν μὲν τῇ τῶν ἀψύχων φιλήσει.* non fugi nomen amationis, quo & Plautus vſus eſt, præſertim cùm ad hanc de amicitia diſputationem maximè ſit neceſſariũ, vt infrà cognoſcemus. Neque verò hæc nomina quæ grammatici verbalia in ïo appellant, tantopere fugerunt veteres. Nam & Catullus vocationem, eſuritionem, oſculationem: & M. Tullius ſcriptionem, auditionem, oſculationem, iocationem, & Plautus tactionem, riſionem, inſcenſionem, amationem dixerũt. Iam quòd Perionius *φίλησιν*, amorem & *ἀντιφίλησιν*, amorem mutuum interpretatur, latinè ille quidem, ſed neque fideliter, neque accommodatè, neque diſtinctè. amorem enim græci appellant *ἔρωτα*. *ἔρως* autem & *φίλησις*, nimium quantum inter ſe diſcrepant, vt ſciunt vel pueri.

9 Sed vt quàm liberaliſſimè agamus.] *ἀλλ᾽ εἴπερ.* poteram & ſic vertere vt alibi: ſed ſi hoc demus, ideſt ſi quis contendat mutuam eſſe in eis amationem. Perionius aſtutè has duas voces tacitas atque intactas prætermiſit, vt multas alias.

10 Ita vt hoc vtrique perſpectum ſit] *μὴ λανθάνοντας,* Perionius hæc verba præteriit.

11 Eſtque vterque & ſimpliciter,] nihil eſt his verbis, eorumque ipſorum verborum ſententia facilius. *καὶ ἔστιν ἑκάτερος ἁπλῶς ἀγαθὸς, καὶ τῷ φίλῳ.* Perionius ſic. Atque etiam omnino vterque bonus eſt alteri. Latina oratio, ſed tanti nominis interprete indigna. Iam cetera quæ proximè ſequuntur, indignis modis diſcerpit ac lacerat.

12 Suæ enim & tales. &c.] *αἱ οἰκεῖαι πράξεις, καὶ αἱ τοιαῦται:* Perionius omiſit nomen *τοιαῦται*, tanquam ſuperuacaneum.

13 Nam & his & ceteris &c.] locus eſt aliquantùm difficilis propter lectionis varietatem. vulgati libri ſic habent. *ταύτῃ γὰρ ὅμοια καὶ τὰ λοιπά:* alii *ταύτῃ γὰρ ὅμοιοι καὶ τὰ λοιπά.* alii *ταῦτα γὰρ ὅμοιοι καὶ τὰ λοιπά:* quam quidem

po

poſtremam lectionem probat Aſpaſius: eamq; ſecutus ſum, vt omnium longè optimam. habet autem hanc ſententiam κατὰ ταῦτα γὰρ ὅμοιοι καὶ κατὰ τὰ λοιπά. ideſt. viri boni qui amant inter ſe honeſti cauſa, ſunt inter ſe ſimiles & virtute, & vtilitate,& iucunditate. Sunt enim boni, vtiles, iucundi & per ſe,& ipſi inter ſe. Vetus interpres quidem perſpicuè legit ſimiles, ideſt ὅμοιοι: Denique D.Thomas admirabilis Ariſtotelis interpres, qui cum Ariſtotelem in barbaram linguam conuerſum haberet, eius ſententiam tamē veriſſimè,& aptiſſimè explicauit,hunc locum ita,vt nos interpretati ſumus, explanat.

14 Neque verò quenquam in amicitiam] hoc loco ſunt mendoſi omnes libri Florentiæ & Venetiis impreſſi,qui habent δὴ, pro δεῖ, hoc modo, οὐδ' ἀποδέξασθαι δὴ πρότερον. Vetus interpres quidem & Argyropylus perſpicuè δεῖ, legerunt, non δὴ. Quòd ſi quis vulgatam lectionem tueri velit,contendatque verbum ἐστὶ, quod antecedit, ἀπὸ κοινοῦ repeti poſſe, non pugnabo cum eo pertinaciter: hoc tantum dicam,alteram ſcripturam mihi videri probabiliorem.

15 Similis denique vtrique ab altero eſt.] ſic Ariſtot. καὶ ὁμοία ἑκατέρῳ παρ᾽ ἑκατέρου. nonnulli legunt ὅμοια, vt ſit hæc horum verborum ſententia, ſimilia denique vtrique ab altero præſtantur. quam quidem neque ineptam eſſe arbitror, neque à me refellendam. hoc dicam, priorem lectionem mihi videri incorruptiorem. quam Argyropylus probat. Vetus interpres autem hoc loco corruptus eſt. nam vox, ſimile, quæ apud eum reperitur,græcæ ὁμοία,nullo modo reſpondet.

16 Tum minus diu in eadem inter ſe voluntate] Ariſtoteles, καὶ διαμένουσι. vox ἧττον, quæ antecedit, repetenda eſt, hoc modo, καὶ εἰσὶν ἧττον φίλοι, καὶ ἧττον διαμένουσι. quod Gruchius Perionii corrector non vidit. Nam ad illius non nouum erratum,addit ipſe nouum vulnus. ſic enim corrigit, & minus diligunt, & diu permanent in amicitia. cum planè aliud ſentiat Ariſt.

17 Nam non admodum copulantur.] οὐ γὰρ πάνυ συνδοιάζεται. ſic ſuprà dicebat lib. 4. ea quæ profuſionis ſunt

pro-

propria, nempe immoderatè donare, nihil aut parum acci pere, non facile copulari, neque inter ſe cohærere poſſe.

18 Sed amatio perturbationi ſimilis eſt.] quam φίλησιν græci nominant παρὰ τὸ φιλεῖν, eam amationem ab amando latinè reddidimus. Qui verò amorem reddiderunt, res duas diſſimilimas, confuderunt, vt diximus. docet autem hoc loco Ariſtoteles quid iuterſit inter φιλίαν, & φίλησιν, id eſt amicitiam & amationem, oſtenditque amationem valere etiam in rebus inanimatis, quæ redamare (vt ita dicam) non poſſunt: amicitiam verò locum habere in rebus animatis & ratione vtentibus tantùm. Itaque ſi φίλησιν, amorem interpretemur, mendax reperiatur noſtra oratio, cùm in amore & rebus amatoriis ſæpe adſit ἀντιφίλησις.

19 Et voluntate & genere] ſecutus ſum veterem interpretem, & librum Pariſienſem, & quoſdam libros manuſcriptos optimæ notæ. in quibus ita ſcriptum eſt καὶ τὸ ἴσον ἀνταποδίδωσι τῇ βουλήσει καὶ τῷ εἴδει. Atque hanc lectionē ſic explicat D. Thomas, par pro pari refert amicus & amici erga ſe voluntati & amicitiæ generi, vel vt nos paulum immutantes reddidimus, par pro pari refert amico, & voluntate, & amicitiæ genere. Eſt autem huiuſmodi illorum amicitiæ genus, quòd quemadmodum alter amatur ab altero non illius, ſed ſua cauſa, ita ille hunc quoque amat non ſua, ſed eius cauſa. Vulgari codices etiam Florentini, habēt hoc modo βουλήσει καὶ ἡδεῖ. ideſt voluntate & iucundo, quę lectio mihi nullo modo probari poteſt. Nam ſi quis mihi dicat, hanc ex ea elici poſſe ſententiam, amicum amico ſuo reſpondere & voluntate & iucunditate, quia ſe in eum æquè beneuolum ac iucundum præbet, vt illum experitur erga ſe, cur potius iucundum dixit, quàm vtilem? aut cur non vtrunque? cùm in amicitia bonorum, honeſtum, iucundum, vtile peræqua proportione compareant? ſic igitur hunc locum legendum & corrigendum arbitramur, ita tamen, vt ſuum cuique iudicium liberum relinquamus.

20 Præſtòque adſunt, atque occurrunt] ἀπαντῶσι. Perionius adiumenta, præſidiaque ſuis rebus duris petunt. nihil tale ſentit Ariſtoteles, quin ne loquitur quidem ἀπαν

τῶν

τᾶν eſt occurrere, prę ſto adeſſe, congredi, obuiam ire. ille ſortaſſe putauit legendum ἀπαιτοῦσι.

21 Fortaſſe verò neque bonum eſſe.] ἴσως δ' οὐδ' ἀγαθὸν εἶναι. repete ἀπὸ κοινοῦ, οὐ ῥᾴδιον, vt ſit integra oratio. fortaſſe autem ne facile quidem eſt bonum eſſe. difficile eſt enim in amicitia bonorum multos vni vehementer placere, cùm eos oporteat bonos eſſe, bonum eſſe autem difficile ſit. Perionius longè aliter accepit, qui ita reddiderit. neq; fortaſſe vtile eſt. atqui omnes libri ſine vlla varietate habẽt ἀγαθὸν εἶναι: nullus (quod ſciam) ἀγαθόν ἐστι.

22 Eorum eſt qui faciunt mercaturam] ἀγοραίων. Perio. eorum qui in foro, iudiciiſque verſantur. nihil ad rem.

23 Sed fortaſſe & bonos] δεῖ δ' ἴσως καὶ τοὺς ἀγαθοὺς, τοιούτους &c. huius loci hæc ſententia eſt. beati amicos vtiles non deſiderant, ſed iucundos. Verùm oportebat & bonos quærere, qui etiam amicis ſunt tales, ideſt iucundi. boni enim (vt ſuprà docuit) & vtiles ſunt, & iucundi. Perionius non rectè, hoc modo. Itaque amicos ſuaues deligũt, quos quidem par eſt probos eſſe. Atqui non dicit Ariſtoteles oportere illos bonos eſſe. græcè enim dixiſſet δεῖ δ' ἀγαθοὺς εἶναι, ſed oportet bonos quærere. nam verbum ζητεῖν, à ſuperioribus repetendum eſt, vt uidebunt, qui græcè ſciunt.

24 Alii ſuaues ac iucundi] Ariſt. ἕτεροι ἡδεῖς. Perion. alios habent miniſtros libidinum. non eſt hæc Ariſtotelis ſententia Perioni, vehementer erras. ſed eos ſuaues & iucundos intelligit, quorum conſuetudo ſit ſuauis, ſermo facetus & vrbanus. hoc indicat verſus qui deinceps ſequitur.

25 Rerum iucundarum deſiderio tenentur,] τοῦ ἡδέος ἐφιέμενοι. in nonnullis codicibus corruptis legitur ἐφιεμένους, quos ſecutus eſſe videtur Perionius. hanc certè diſtinctionem iucũdorum & vtilium amicorum miſerè confudit. Admonendus autem lector eſt minus exercitatus in græcis literis, illa τοὺς δὲ δεινοὺς, non eſſe coniunctè legenda, ſed ita τοὺς δὲ, videlicet χρησίμους, deinde δεινοὺς πρᾶξαι. idem de illis verbis, τοὺς μὲν εὐτραπέλους: ſunt enim ea quoque, ſeparatim legenda hoc modo, τοὺς μὲν, uidelicet ἡδεῖς, εὐτραπέλους &c.

26 Verùm homini dignitate] locus eſt aliquanto obſcurior.habet aũt hãc ſententiã. Vir bonus nõ facilè opulẽto & potentia præſtanti fit amicus,niſi quanto potens ille potentia & opibus præſtat, tanto eum vir bonus virtute & bonitate ſuperet. Videtur paulo poſt in voce ὑπερεχόμενος, ſubintelligi articulus ὁ.

27 Primo loco ponitur æqualitas ea] Quam Ariſtoteles ęqualitatem κατ' ἀξίαν appellat,eius ea lex ac natura eſt, vt qui virtute,vel rebus geſtis,vel opibus,vel aliis rebus antecellit,is plus conſequatur,quàm qui ijs rebus inferior eſt. alterius autem æqualitatis, quæ appellatur κατὰ πόσον, proprium eſt non habita meritorum, aut potentiæ,aut virtutis ratione, tantundem vni, quantum alteri tribuere. Non rectè autem Perionius τὸ κατὰ πόσον, latinè reddidit, quantum quiſque auferre debet. Nam ſi quis benè de rep.meritus ducenta verbi gratia conſequatur, alter longè melius meritus quadringenta, vterque dici poterit tantum quantum meretur, eſſe conſecutus: non erit tamen æqualitas κατὰ πόσον, ſed κατ' ἀξίαν. ideſt ex dignitate.

28 Quatenus progredi amicitia poſſit] Ariſt. ἕως τινός. Perion. ſic,quatenus hi permaneant in amicitia, non rectè. nam ſi quatenus pro quandiu poſuit, vt omittã dicere quòd id Latinus ſermo non patitur: hoc dico, quod eſt grauius, hîc de eo non quæri, quandiu permaneat amicitia, ſed vſq; ad quantam excellentiam ac diſtantiam ſalua eſſe poſſit, id eſt quantam inter amicos excellentiam amicitia ferre poſſit: exempli gratia: finge duos eſſe ciues Rom. eiuſdem ordinis, pari generis nobilitate, paribus fortunis: eoſq; inter ſe amicos: quid ſi alter fiat ædilis, prætor, conſul: alter maneat priuatus? ſalua ne manebit amicitia? quid ſi idem ille fiat dictator? quid ſi clariſſimis rebus geſtis triumphet? quid ſi ad unum ſumma res deferatur?

29 Sin longiore interuallo] πολὺ δὲ χωρισθέντες. quã ſcripturam retinent liber Florent. & Pariſien. quibuſcum conſentit Argyropy.

30 Profectò maneat oportet, qualiſcunque tandem ille ſit] ſic Ariſto. μένειν ἂν δέοι, Ego ſic accipio:maneat oportet amicitia, qualiſcunque ſit alter ex amicis.Et ita D.Thomas

mas explicare videtur.

31 Eſt enim aſſentator amicus] ſic Ariſto. *ὑπερεχόμενος γὰρ φίλος ὁ κόλαξ.* Perio. ſic. Eſt enim amicus nimius, aſſentator. quæ uerba plurimùm ab Ariſtotelis ſenſu diſſidét, hoc enim ſentit Ariſtoteles. aſſentatorem, amicum eſſe inferiorem, atque (vt ita dicam) humiliorem, aut certè qui ſe talem eſſe ſimulet. Nullus enim aſſentator ſeſe ei cui aſſentari decreuit, exæquat, ſed illum potius, quàm maximè poteſt, admiratur atque attollit: de ſe contrà quamplurimùm detrahit.

32 Suam de ſeipſis opinionẽ ſtabilire] ex hoc loco explicari ac declarari debet locus ille, qui eſt in 1. lib. pag. 6. honorem enim expetunt homines, vt credant ſeipſos bonos eſſe.

33 In eo vt amemus] *ἐν τῷ φιλεῖν.* Perion. in amore. ſignificat Ariſtoteles amicitiæ virtutem, ideſt præſtantiam in actione, non in perpeſſione, eſſe poſitam, in amante non in eo qui amatur, denique in amando altero, non in alterius erga ſe amore ſentiendo & experiendo.

34 Quanta porrò ſocietas eſt] ſic Ariſtot. *καθ' ὅσον δὲ κοινωνοῦσιν, ἐπὶ τοσοῦτόν ἐστι φιλία*, Perionius ſic. quandiuq; homines inter ſe communione aliqua conſociati ſunt, tádiu quoniam iuris communio, amicitia permanet, quæ verba cum laſſas (vt ait ille) onerent aures, ordinemque clauſularum, & membrorum orationis perturbent, tùm ne ſententiam Ariſt. quidem exprimunt.

35 In aliis amicitiis] ſecutus ſum libros magis probatos, in quibus ſcriptum eſt, *ἐπὶ τῶν ἄλλων φιλιῶν.* nam alii nonnulli habent *φίλων*, i. in aliis amicis.

36 Aliæ igitur ſunt & iniuriæ.] corrupti ſunt hoc loco omnes, quos quidem viderim, codices. nam cùm ita ſit legendum, *ἕτερα δὴ καὶ τὰ ἄδικα*, habent tamen, *ἕτερα δὴ καὶ τὰ δίκαια*: quæ ſanè lectio nullo modo probanda eſt. nam & paulò antè de iuribus dixit, & exempla, quæ ſubiicit, ſatis indicant, eum nunc de iniuriis loqui. incidi in quoſdam libros, in quibus vtraque vox, ſcripta eſſet, *δίκαια* & *ἄδικα*, hoc modo, *ἕτερα δὴ καὶ τὰ δίκαια, καὶ τὰ ἄδικα*, id eſt alia igitur ſun[illegible]ura, aliæque iniuriæ. Argyropylus perſpicuè

ſpicuè legit *καὶ τὰ ἄδικα.*

37 Iam verò etiam ſocietas ciuilis.] *καὶ ἡ πολιτικὴ δὲ κοινωνία τοῦ συμφέροντος χάριν δοκεῖ καὶ ἐξ ἀρχῆς συνελθεῖν, καὶ διαμένειν.* Perion.ſic. ſocietas autem ciuilis iam ab initio conſtituta eſt. omiſit illa *καὶ διαμένειν.*

38 Id quod ex nauigatione quæritur]*τὸ κατὰ τὸν πλοῦν πρὸς ἐργασίαν χρημάτων* , hanc lectionem ſecuti ſunt vetus interpres, & Argyropylus,eandemque P.Victorius probat, quanuis alteram illam *πρὸς ἐργασίαν ἢ χρημάτων*, teſtetur in libris manuſcriptis reperiri.

39 Et eorum qui pro rata cuiuſque parte ſymbolas &c.] *ἐρανιστῶν. ἔρανος* (vt ſuprà admonui) eſt *τὸ ἐκ συμβολῆς δεῖπνον.* id eſt cœna in quam pro ſua quiſque parte collectā confert, ex quo *ἐρανισταὶ* dicuntur tales conuiuæ.

40 Veriſimile eſt enim priſca ſacrificia.] Idem ſcribit Horat. lib. 2. epiſtola prima,

Agricolæ priſci, fortes, paruoque beati
Condita poſt frumenta leuantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum & pueris, & coniuge fida,
Tellurem porco,Syluanum lacte piabant.

41 In vtroque enim vnus præeſt:] *ἄμφω γὰρ μοναρχίαι.* Perion. vtrique enim vnus præeſt .commodius dixiſſet. in utroque enim unus præeſt.

42 Nam qui talis non fuerit.&c.] ſecutus ſum libros optimæ notæ,quibus Turnebus vſus eſt. in eis autem ita ſcriptum eſt: *ὁ γὰρ μὴ τοιοῦτος, κληρωτὸς αὖτις εἴη βασιλεύς.* Florentinus, Venetus,Germanicus habent *κληρωτὸς ἂν εἴη ἢ βασιλεύς.* & ita vetus interpres & Argyropylus. quam lectionem ſi quis illi alteri, quam ſecuti ſumus,anteponet, ſubintelligendum erit *μᾶλλον*.vt apud Terent. ſi quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis,Quàm plurimis.& Hom.*ιλ. α.Βούλομ᾽ ἐγὼ λαὸν σαὸν ἔμμεναι,ἢ ἀπολέσθαι.*

43 Quod enim optimo eſt contrarium. &c.] boni codices habent, *κάκιστον γὰρ τὸ ἐναντίον τῷ βελτίστῳ.*non vt vulgati *κάκιστον δέ.* quanuis ſciam nonnunquàm *δὲ* etiam apud Ariſtot.valere *γάρ.*

44 Patriam enim poteſtatem regnum.&c.] *πατρικὴ γὰρ*

ἀρ-

ἀρχὴ βούλεται ἡ βασίλεια εἶναι. Perion. Vult enim regiam poteſtatem eſſe patrium imperium. Exiſtimat Perionius, verbum *βούλεται*, ad Homerum referri, cùm ad vocem *βασίλεια* referendum ſit. Sed hac de re ſuprà diximus. lib.3.

45 In unoquoque autem reip.ſtatu, eatenus ſeſe.&cet.] *φιλία φαίνεται ἐφ' ὅσον καὶ τὸ δίκαιον.* Perion. tandiu amicitia manere videtur, quandiu ius & officium permanet. nihil tale ſentit Ariſtoteles.

46 Iiſdem ſtudiis ac diſciplinis.&c.] eos libros ſecutus ſum, in quibus ita ſcriptum eſt *ὁμομαθεῖς, καὶ ὁμοήθεις.* nõnulli ſic habent, *ὁμοήθεις, καὶ ὁμοιοπαθεῖς*, ideſt ſimilibus moribus præditi ſunt, ſimilibusq; affectibus ſeruiunt. quam lectionem non damno.

47 In declinationibus autem à recto] *ἐν δὲ ταῖς παρεκβάσεσι.* Perion. in euerſionibus. neque ego probo, neq; quenquam doctum probaturum exiſtimo.

48 His enim proſunt quidem & conſulunt]ſic Ariſtote. *ὠφελεῖται μὲν γὰρ ταῦτα ὑπὸ τῶν χρωμένων.* ſententia huius loci eſt in promptu. Dicit Ariſtoteles artificem, animũ, dominum, inſtrumenti, corporis, ſerui, quibus vtuntur, curam habere. Perionius longè aliam ſententiam eſſe putat, vt eius hæc verba declarãt. Ab his.n. percipiũt vtilitates ij, qui vtunt̃. debuerat ita reddere poti⁹. ab iis.n. qui utũt̃ hæc vtilitatẽ ꝑcipiũt, eratq; tolerabili⁹. neq; hũc locũ correxit Gruc.

49 Id autem à quo aliqua orta ſunt. &c.] ſic habent omnes, quos quidem viderim, codices. *ἐκείνων δ' οὐδενὶ τὸ ἀφ' οὗ.* vetus interpres autem paulo ſecus legiſſe videtur. *ἐκείνῳ δ' οὐδὲν τὸ ἀφ' οὗ*, ideſt illius autem nihil à quo aliquid ortum eſt: quorum verborum ſententia eadem eſt.

50 Parentes igitur liberos.] *γονεῖς μὲν οὖν* &c. mendoſi ſunt libri, qui habẽt *γονεῖς μὲν γὰρ.* 51 Nã eo ipſo quòd] ſententia eſt aperta, quæ ſunt aliquibus idem, ea ob eam cauſam inter ſe ſunt idem. Quoniam igitur filii cũ patribus cõparati, idem videntur eſſe, atque illi: fit vt inter ſe cõm parati, vnum & idem quodammodo eſſe videantur. Adr. Turnebus vir noſtræ Galliæ doctiſſ. cum ad hunc locum perueniſſemus, (hos enim libros cum eo contuli & communicaui) eum ſic intelligendum, atque explicandum eſſe

c exiſti-

exiſtimabat. Quòd ſi lingua latina pateretur, vt vocabulum Græcum *ταυτότητα*, pari latino identitatem appellare poſſemus, multo facilius ac planius Ariſtotelis ſententiam latinè redderemus. Perionius non ſatis feliciter ita interpretatur. Quæ enim ipſis cum illis eſt coniunctio, idem inter illos efficit. Nam primùm nomen coniunctio longiſſimè abeſt à vi nominis græci *ταυτότης*: deinde illa altera pars, idem inter illos efficit, Ariſtotelis ſententiam nō exprimit: debuerat potius dicere, eos idem inter ſe efficit. nam nemo (opinor) qui græcè ſciat, *ἀλλήλοις* interpretabitur, inter illos, ſed inter ſe, vel alterum alteri. Lectio igitur omnium librorum & manuſcriptorum, & impreſſorum ſine ulla uarietate hæc eſt. *ἡ γὰρ πρὸς ἐκεῖνα ταυτότης, ἀλλήλοις ταυτὸ ποιεῖ*. ſed Marcus Antonius Muretus has duas voces poſtremas *ταυτὸ ποιεῖ*, coniungebat, atque ex duabus vnam faciebat *ταυτοποιεῖ*. quæ coniectura mihi valdè probatur. verbum enim nobis reſtituit græcorum elegantia ac felicitate digniſſimum.

52 Nam æqualem æqualis] ſic Ariſtote. *ἧλιξ γὰρ ἥλικα*. Eſt autem particula verſus neſcio cuius poëtæ, cui abeſt verbum *τέρπει*, id eſt delectat, prouerbiique locum obtinet, vt indicat rhetori. primo his verbis. *ὅθεν καὶ αἱ παροιμίαι εἴρηνται: καὶ ἧλιξ ἥλικα τέρπει: καὶ ὡς ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ φίλον τὸ ὅμοιον*. &c. habet autem neſcio quem lepôrem verſus poëtarum præſertim notos, & tritos, & prouerbiorum ſimiles, non totos proferre, quales ſunt illi. *σὺν δὲ δύ᾽ ἐρχομένω*, & *τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα*, & *ἔρδοι τις*, & *μάντις δ᾽ ἄριστος*. & *αἰὲν ἀριστεύειν*. & *μηδὲ δίκην*. Quanuis igitur ſciam hanc admirabilem elegantiam pari breuitate coniunctam latinos aſſequi non poſſe, quod indicant exempla ſuprà poſita, quæ M. Tullius ne vertenda quidem ſibi eſſe putauit, cum latinè loqueretur, ego tamen arbitror, vbi verbo aliquo omiſſo, ſententia nihilominus elucere poteſt, eam, quam dico præciſionem, atque elegantiam eſſe ſtudioſè amplectendā. Eo igitur conſilio in hoc prouerbio *ἧλιξ ἥλικα*, ideſt æqualis æqualem, verbum delectat, omiſimus, quia videbamus, & ab Ariſtotele eſſe prætermiſſum, & à quouis non tardiſſimo facilimè ſubintelligi poſſe.

53 Atque in ceteris quidem hactenus &c.] ἐπὶ τοσοῦτον ἡ κοινωνία ἐστίν. Perion.ſic.ac beſtiæ quidem hoc unum ſpectant & ſequuntur &c. Negare non poſſum quin hæc ad Ariſtotelis ſententiam accedant: ſed certè à verbis nimium quantum diſtant.

54 Iam qui beneficiis alterum ſuperat &c.] ὁ δ' ὑπερβάλλων, τυγχάνων οὗ ἐφίεται, οὐκ ἂν ἐγκαλοίη τῷ φίλῳ. Perionius ſic. Et qui cum fœnore conſecutus eſt, quod volebat &c. quæ quidem rectè verſa ſunt, ſi beneficio ſuperare alterum, & cum fœnore conſequi, ſunt eadem. ſignificat Ariſtoteles veros amicos beneficiis inter ſe certare, nullumque alium fructum, quam amicitiam ipſam & honeſtatem ſpectare.

55 Sic & amicitia, quam utilitas conſtituit] Ariſtoteles, καὶ τῆς κατὰ χρήσιμον φιλίας ἡ μὲν ἠθική, ἡ δὲ νομικὴ εἶναι. Perionius hæc uerba negligenter & diſſolutè cōuertit hoc modo. ſic emolumentū quod ex rebus utilibus capitur &c. Audio quid dicturus ſit, ſe habuiſſe librum corruptum, in quo ſcriptum eſſet ὠφελείας, pro φιλίας. demus ita eſſe. quid tum poſteà? num iccircò ei ignoſcemus? primùm nonne debuit multa exemplaria adhibere, & conſulere? deinde quis puer non ſtatim animaduertat hoc loco, etiam ſi à nullo alio meliore libro adiuuetur, φιλίας eſſe legendum, non ὠφελείας?

56 Aequi boni facere oportere] δεῖν στέργειν. στέργειν, hoc loco non eſt amare, aut diligere, ſed contentum eſſe, æquo animo ferre, æqui boniq; facere. non rectè igitur Perionius vertit: ſed ſibi caros eſſe putant oportere. neque hæc correxit Gruchius, vt neque alia quàm plurima.

57 Sed hic tanquam amico donat, aut quidlibet &cet.] hic locus variè ſcriptus eſt in exemplaribus græcis. in aliis ſic, ἀλλ' ὡς φίλῳ δωρεῖται, ἢ ᾧτινι δήποτ' ἄλλῳ, cuius ſcripturæ extant in antiqua interpretatione veſtigia: in aliis ſic, ἢ ὅ,τι δήποτ' ἄλλο. atque hanc lectionem ſecutus ſum. quam quidem probauit P. Victorius, itemque Argyropyl. mei autem conſilii ſi quis rationem poſtulet, hanc equidē in hoc tempore afferre poſſum. Dixerat Ariſtoteles in hac amicitia vtilitatis cauſa conſtituta, nullam certam merce-

dem eſſe præſtitutam, ſed alterum alteri tanquam amico donare: quoniam autem donandi verbum, quo vſus erat, non videbatur tali amicitiæ conuenire, quia quanuis nulla promiſſio mercedis interceſſiſſet, id ageretur tamen inter eos, qui contraherent, vt qui donaſſet, ſuæ donationis mercedem ferret, quod à donationis natura alienum eſt: iccircò ſtatim occurrens, aut ſi non donat, (inquit) quidlibet aliud agit: non magnopere laboro: appellet hoc, quo quiſque nomine volet. in his igitur verbis ἢ ὅ,τι δήποτ᾽ ἄλλο, ſubintelligo πράττει. Quòd ſi quis alteram lectionem huic anteponet, eam ſic intelligemus: donat vt amico: vel ſi quis contendat, hunc talem, amicum verè dici non poſſe, donat vt cuilibet àlii.

58 Non enim nobis amicum quenquam qui nolit &c.] ſic Ariſto. ἄκοντα γὰρ φίλον οὐ ποιητέον. locus eſt aliquanto obſcurior. Debet (inquit) is qui ab altero beneficium accepit, nulla quidem remunerationis mentione facta, ſed eo tamen, qui prior dedit, remunerationem ſperante, debet, inquã, ſua voluntate referre gratiam. Neq; eſt quòd dicat illum ſibi, vt amicum amico donaſſe: non enim cuiquã debemus quodãmodo uim afferre, vt ſit nobis amicus: quod faceremus, ſi ei perſuadere vellemus, eum gratis donaſſe: qui tamen eo animo donauit, vt tantundem, aut plus eo, conſequeretur. Quare ſi facultatem habemus, beneficium referre debemus, perinde ac ſi initio ea conditione acceperimus, vt redderemus. Hunc locum ſic explicat D. Thom. quem ſecutus ſum. commentàriorum græcorum ſcriptores, enatare non poſſunt. Perionius autem ita vertit. Neque enim amicus quicquàm inuitus facere debet. quæ ſententia è græcis verbis nullo modo elici poteſt. Non diſſimile eſt illud Xenophontis, β. ἀπομνημον. ἄκοντα γὰρ φίλον ἑλεῖν ἐργῶδες. i. amicum inuitum capere operoſum.

59 Aut patiatur, aut recuſet.] ὑπομένῃ, ἢ μή. ſic Perio. vt expectet, aut minus expectet. Quid dicat Perionius, ſcire arbitror neminem.

60 Eique qui muneribus capitur] καὶ τῷ δωροδόκῳ, ſic habent codices emendati, atq; huius ſcripturæ veſtigia extant in vetere interpretatione manifeſta. alii habent, ἀδω-

ρο-

ῥοδόκῳ, ſed mendosè. dixiſſet enim ἀδωροδοκήτῳ, non ἀδωροδόκῳ. Præthereà ſententia ſit inepta, ſi ita legamus.

61 Quemadmodum in honoribus iis.&c.] ὥσπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς. Perio. quod in iis contingit ſocietatibus, quę nobis ſunt cum Diis. nihil abſurdius, nihil ab Ariſtotelis ſententia alienius excogitari poteſt.

62 Is probus & pius eſſe videtur] ἐπιεικὴς εἶναι δοκεῖ. ſcio ἐπιεικῆ, alium eſſe ab eo, quem εὐσεβῆ appellant græci: veruntamen quia ἐπιείκεια in Deos nulla alia virtus eſt, quàm εὐσέβεια, ideſt pietas, ἐπιεικῆ, hoc loco pium latinè reddidi.

63 Simulque nemo fortaſſe diſcedere] Totus hic locus admodum habetur obſcurus, varièque ab iis, qui ſcripſerunt commentarios in hos libros, explicatur. Ego in vertendo nihil de meo addidi: verba Ariſtotelis quàm planiſſimè potui, latinè reddidi. quorum ſententiam hîc meo arbitratu exponam. ſed mihi admonendi ſunt prius ſtudioſi adoleſcentes, ἀπείπασθαι non eſſe exhæredare, ſed abdicare: deinde illa verba τὴν δ' ἐπικουρίαν ἀνθρωπικὸν μὴ διωθεῖσθαι, non rectè eſſe à Perionio ita latinè reddita, communis humanitas impellit, ut ne omni præſidio deſertum eum eſſe patiamur. Nam nec ἐπικουρία, præſidium eſt, neque præſidium, quo ille nomine abutitur pro auxilio, aut ſubſidio, huic loco conuenit, neque διωθεῖσθαι ἐπικουρίαν eſt alteri præſidium, ſeu auxilium potius denegare, ſed auxilium ab altero oblatum reiicere, ſeu alterius auxilio vti nolle. Nam διωθεῖσθαι eſt reiicere, recuſare, aſpernari. vtitur eodem verbo Ariſtoteles libro decimo, vti ſuo loco oſtendemus. Quærit igitur hoc loco Ariſtoteles, vtrùm patri filium abdicare liceat, nec ne: & vtrùm filio patrem, nec ne. & reſpondet patri filium licere, filio patrem non licere. hãc rationem affert. filius patris eſt debitor. at creditori debitorem dimittere, atque abſoluere licet, debitori creditorem non licet. Sequitur iam: ſimulque nullus &c. quæ verba alii de filio dici volunt, in quibus eſt D. Thomas, hoc modo, credibile non eſt filium à patre diſceſſurum, à quo auxilium ſperare debeat. ſed viris noſtræ ætatis doctiſſimis (quibus aſſentior) placet, hæc ſic intelligi. Credibile non eſt

vllum patrem à filio diſceſſurum, à quo videlicet auxilium, ſubſidiumque ſenectuti ſperet, niſi forte filius inſigniter ſit improbus: ſed contrà fugiendum erit filio, quandoquidem eſt improbus, patri opitulari & ſubuenire, aut certè nõ admodum laborandum. ſubiicitur vtriuſque ratio. Pater non facilè filium ſuum amandabit, aut eiiciet. nam præter communem omnium patrum affectum, omnibus inſitum eſt à natura, vt beneficium accipere velint. at pater procreationis, atque educationis gratiam à filio iure expectat, ſuæque ſenectuti ſubſidium, in eo ſibi conſtitutum eſſe exiſtimat. Contrà filius improbus patrem facile ablegabit, atq; exiget, neque ei ſubuenire ſtudebit. Nam omnes ferè homines beneficium dare fugiunt. Cum igitur hæc ita ſint, cumq; filius in hanc partem, pater in illam propenſus ſit, huic malo ſubueniendum, ac remedium adhibendum eſt: patrius affectus adiuuandus: filij ingratus animus coërcendus, & ita ſtatuendum eſt ne liceat filio patrem amandare ac dimittere. ſuprà enim dixit homines in contrariam partem, ideſt in eam à qua refugiunt!, atque abhorrent natura, ab ea in quam ſunt procliuiores, eſſe detorquendos. patri autẽ permittendum ſuo iure vti, cum veriſimile non ſit, eum aut cõmunis humanitatis oblîtum, filium à ſe dimiſſurum, aut auxilium ſubſidiumque ſuæ ſenectuti, quod in præſentia filii poſitum eſt, repudiaturum. Iam uerò filium ortus, & educationis mercedem, ut alimenta, ceteraque huius generis, patri debere, oſtendit Plato libr. octauo de rep. idem docet Ariſto. infrà lib. nono his uerbis. videntur autem filii parẽtibus maximè res ad victum neceſſarias ſuppeditare debere, tanquam debitores.

In librum nonum.

1 Placet illud nonnullis] ſecutus ſum hoc loco Euſtratium qui diſertè legit ἀρέσκει, non, ut habent libri ferè omnes, ἀρκεῖ. ideſt ſatis eſt, cum quibus tamen conſentit vetus interpres. Quòd ſi quis hanc receptam omnium librorum lectionem meliorem iudicabit, non repugnabo.

2 Dicta viro merces] Μισθὸς δ᾽ ἀνδρὶ φίλῳ, verſus eſt Heſiodi dimidius. Legitur autem integer hoc modo Μισθὸς δ᾽ ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.

3 Qui de altero propter ipſum &c.] οἱ μὲν δι᾽ αὐτοὺς προϊέμενοι. Perion.ſic: ii quoniam vltrò dant, quæ verba longiſſimè abſunt ab Ariſtotelis ſententia. ſciendum eſt autem huic membro, alterum, quod eſt infrà, multis tamen uerbis interpoſitis, reſpondere. Vbi vero non hoc modo &c. μὴ τοιαύτης δ᾽ οὔσης. &c.

4 Neque pretium paris momẽti] τιμή τ᾽ ἰσόῤῥοπος οὐκ ἂν &cet. τιμὴ, apud græcos tùm pretium, tùm honorem ſignificat. ego pretium reddere malui, quanuis Argyropylus honorem appellarit, quod non probo. Honos enim ſapientiæ fortaſſe par haberi poteſt: pretium autem par ac iuſtũ perſolui nullo modo poteſt.

5 Vbi verò nõ hoc modo &c.] μὴ τοιαύτης δ᾽ οὔσης τῆς δόσεως. hæc, (ut dixi) reſpondent ſuperioribus illis: qui de altero priores propter ipſum, &cet. malè autem Perionius ea, quæ proximè ſequuntur, ἀλλ᾽ ἐπί τινι reddidit, aliò referatur, cum ἐπί τινι, valeat latinè propter aliquid, referri autem ad aliquid, græci dicant πρός τι.

6 Eum qui prior accipiat] τὸν προέχοντα. Perio. eum qui rem tradat. quid tam peruerſum? dicet fortaſſe ſe ſcriptum habuiſſe in ſuo libro παρέχοντα. ſit ita ſanè. Iccircò ne Perionius, aut optimus interpres habebitur, aut libros de optimo genere interpretandi nobis venditabit?

7 Quanta enim huic utilitas allata eſt, aut quanti] ὅσον γὰρ ἂν οὗτος ὠφεληθῇ, ἢ ἀνθ᾽ ὅσου τὴν ἡδονὴν εἵλετ᾽ ἄν. Perion. hoc poſterius membrum ſic reddit, aut quantam uoluptatem ſecutus ſit. non dicit hoc Ariſtoteles, ſed (vt eius verba propius attingam) quanto pretio uoluptatem prætuliſſet. ſic loquitur Demoſth. Olynth. Ἀντὶ πολλῶν ἂν χρημάτων ἑλοίμην, ideſt multis pecuniis prætulerim, multa pecunia emerim, in locum multarum pecuniarum ſumpſerim.

8 Eum iuſtius eſſe arbitrantur &c.] ſcio librum Florentinum, & reliquos ferè omnes habere οἴεται. ſed ſecutus ſum veterem interpretem, qui perſpicuè ſcriptum habuit οἴονται.

9 Multa enim non tantidem æſtimant] ſic Ariſtotel. *τὰ πολλὰ γὰρ* &c. alii, *τὰ πολλὰ*, dictum volunt Attice pro *κατὰ τὰ πολλὰ*, ideſt plerunque, ſæpe. quibus aſſentiatur qui volet: non impedio, neque refello.

10 Nam patrem potius, quàm vel ſeipſum &c.] ſic Ariſto. *δόξειε γὰρ καὶ ἑαυτοῦ μᾶλλον τὸν πατέρα.* Perionius & Gruchius ſic. Nam ſuus cuique pater potius ſit redimendus. ſed multo plus dicit Ariſtoteles. Non enim ſignificat ſuum cuique patrem eſſe redimendum, ſed patrem potius, quàm vel ſeipſum videri eſſe redimendū.

11 Nam ne ei quidem qui &c.] Ariſt. *οὐδὲ γὰρ τῷ δανείσαντι ἐνίοτε ἀντιδανειστέον*, Perion. Neque enim ſemper ei commodandum eſt viciſſim, qui commodarit. Iuriſconſulti docent, quid interſit inter commodatum, & mutuum. quam diſtinctionem nobis puto diligenter eſſe retinendā: videlicet rei mutuæ transferri dominium, commodatæ nequaquam: mutuum conſiſtere in iis rebus, quæ pondere, menſura, numero conſtant, commodatum etiam in aliis. mutuum non idem numero, ſed idem ſpecie reddendum: commodatum autem idem numero eſſe reddendum. de quibus qui plura ſcire uolet, legat inſtitutiones iuris ciuilis & pandect. tit. ſi certum petatur. Perionius hanc diſtinctionem non putauit ſibi eſſe tam religioſè obſeruandam, vno aut altero fortaſſe Ciceronis exemplo confiſus: in quibus videatur commodatum pro mutuo vſurpari. ſed eo cautius illa ſunt imitanda, quo ſunt rariora.

12 Quemadmodum neque Ioui omnia immolantur] confer cum hoc loco ea, quæ ſunt libro quinto pag. 126. capram Ioui immolare, non oues.

13 Funeribus & parentalibus intereſſe] *καὶ εἰς τὰ κήδη δὲ μάλιστα.* alii ferè *κήδη* reddunt ſponſalia, ſed non rectè. Ego cum hunc locum ita vt nunc eſt, vertiſſem, P. Victoriū virum doctiſſimum poſteà mecum facere cognoui.

14 An hoc fieri non poteſt?] reſpondet interrogando, vt facere conſueuit in iis quæſtionibus, quæ in vtranq; partem diſputantur, & in quibus, vtrius partis rationes ſint veriores, non facile expediri poteſt: quales ſunt de rebus ciuilibus, de moribus, de affectibus, de actionibus humanis,

15

15 Non enim oportet rerum malarum ſtudio, neque amore teneri] φιλοπόνηρον γὰρ οὐ χρὴ εἶναι. ſic Aſpaſius, & D.Thomas. alii malorum hominum amorem vetari volunt: vt libet, parum admodum refert.

16 Quæ à pueritia conſtitutæ ſunt] in omnibus libris impreſſis, quos quidem viderim, vox παιδιᾶς corrupta eſt. legendum enim παιδίας, vt videbunt, qui græcas literas didicerunt.

17 Non alio in eum animo &c.] ἆρ᾽ οὐδὲν ἀλλοιότερον πρὸς αὐτὸν ἑκτέον. Perion. vtrùm nihilo erga eum alieniore animo eſſe debet? mendosè. non enim dicit ἀλλοτριώτερον, ſed ἀλλοιότερον, ideſt nihilo ſecus, vel non aliter: nec quærit Ariſtote. an non alieniore eſſe animo ab eo debeat, quàm ſi nunquam amicus fuiſſet, ſed an non alio animo, ideſt an eodem, atque ſi nunquam eum amaſſet. Nam alieno animo is dicitur eſſe ab altero, qui alterum non amat, qui ab eius conſuetudine, atque amicitia abhorret: alio autem animo eſt is, qui animum ſuum immutauit priſtinũ, ſiue olim oderit, & nunc amet: ſiue olim amauerit, & nunc odio perſequatur. Poſtremò latinè dicimus alieno eſſe animo ab aliquo, non in aliquem: ſed hæc puerilia ſunt.

18 Et amici ij inter quos aliqua offenſiuncula &c.] καὶ τῶν φίλων οἱ προσκεκρουκότες. Perionius ſic, iique amici, qui temeritate ducti ſunt ad amandũ. Gruch. Perionij corrector ſic, nihiloque melius: qui veluti impulſi ad amandum feruntur. Atqui, vel pueri ſciunt, quid ſit προσκρούειν. eſt enim in offenſionem incurrere, offendere, interdum etiam conflictare.

19 Non vna aliqua animi parte] κατὰ πᾶσαν ψυχήν. Perionius. per omne tempus ætatis. huius interpretationis, quam rationem reddere poſſit Perionius, non video, niſi fortè dicet animũ interdum pro vita accipi, atq; iccircò κατὰ πᾶσαν ψυχὴν, idem hoc loco valere, quod κατὰ πᾶσαν ζωήν. Sed errat Perionius. Nam cum dicit κατὰ πᾶσαν ψυχὴν Ariſtoteles, reſpicit plures animi ſiue partes ſiue facultates, quæ in vno & eodem homine, vt in incontinente, & improbo diſſident, & ſeditionibus agitantur, quemadmodum infrà dicet. Nunc autem oſtendit hoc, in animo

viri

viri boni accidere non ſolere. Eſt enim in eo mirificus omnium animi partium conſenſus, neque vlla eſt in eius animo diſſenſio, neque diſcordia, eandemque rem vel toto animo expetit, vel toto aſpernatur: non vt incontinens, vna animi parte perſequitur, altera fugit.

20 Eam partem qua ſapit & prudenter ſentit.] *καὶ μάλιστα τοῦτο ᾧ φρονεῖ.* Perion. ob id maximè quia ſapit. quantũ diſtent hæc ab Ariſtotelis ſententia, vel cæco appareat.

21 Sed nullus eſt qui ſi alius, quàm] huius loci hæc ſententia eſt: ſi quis in lapidem, aut aſinum vertatur, nolit ſe aſinum iam factum, aut lapidem, bonis omnibus humanis abundare, ſed ijs duntaxat, quæ aſini aut lapidis naturæ cõueniant. Habet & Deus verum, atque vndique perfectum bonum, idque bonum naturæ diuinæ conuenit maximè: non cõueniret aũt ſi Deus unus & idem non maneret, vt manet, quicquid ſit Deus. non enim huius loci eſt quærere, quid ſit Deus.

22 Plurimarum perceptione &c.] *καὶ θεωρημάτων δ' εὐπορεῖ τῇ διανοίᾳ.* Perionius. eius animus abundat præceptorum copia. Conſtat iam inter omnes eruditos, quæ *θεωρήματα* Græci dicunt, percepta à Cicerone appellari. qua de re & P. Victorius dudum admonuit, & Adrianus Turnebus vir ſingulari bonarum artiũ, & vtriuſque linguæ cognitione in primis inſtructus in doctiſſimis ſuis annotationibus in lib. M. Tullij de fato, ſcripſit aduerſus quendam volubilem noſtræ ætatis dialecticum: qui cùm ſe philoſophũ, & eloquentem profiteretur, populoque ſe talem eſſe perſuadere vellet: præſtantiſſimos earum artium principes Ariſtotelem, & M. Tullium Ciceronem verbis & ſcriptis petulantiſſimis inſectatus eſt, applaudente, & admirante quidem multitudine imperita, prudentiſſimo autem & doctiſſimo quoque maximopere indignante, ac ſtomachante. *θεωρήματα* igitur percepta M. Tullius appellat, quantumuis licet reclament inſolentiſſimi homines. hoc eodem vocabulo vſus eſt Ariſt. lib. 10. his verbis, *ὁ δὲ φιλομαθὴς ἐνεργεῖ τῇ διανοίᾳ περὶ τὰ θεωρήματα.* quæ verba ſic verti. Diſciplinarum ſtudioſus autem, in rerum cognitione, agitatione mẽtis elaborat, munereque ſuo fungitur.

23 Quoniam igitur hæc ſingula in viro bono inſunt.] Hæc ſunt apud Perionium valdè diſſoluta, diſiecta ac perturbata, quæ nos paulo magis aſtrinximus, aptiusque colligauimus.

24 Sed certè primùm hac ratione] ſic Ariſt. *δόξειε δ' ἂν ταύτῃ εἶναι ἡ φιλία ᾗ ἐστὶ δύο ἢ πλείω ἐκ τῶν εἰρημένων.* Perion. ſic. Tandiu autem amicitia manet, quandiu eorum, quæ dixi, aut duo ſunt, aut plura. tantùm hæc abſunt ab Ariſtotelis ſententia, quantùm praua à rectis. Primùm nemo græcis literis mediocriter tinctus, vnquàm dubitauit, quin *ταύτῃ* non ſit tandiu. deinde nemo vnquam ſuſpicatus eſt, hîc quæri de amicitiæ diuturnitate. ſed fruſtrà tempus contero. Hunc locum Aſpaſium ſecutus ſic explico. Nam D. Thomas veteris interpretis culpa ſententiam Ariſtotelis non eſt aſſecutus. Dixerat paulò antè Ariſtoteles ſe hanc quæſtionem, an cuiquàm erga ſeipſum intercedere amicitia poſſit, in præſenti omittere velle. Verùm tamen eam *ἐν παρόδῳ*, tranſigit hoc modo. ſed certè hac ratione (inquit) ſeu ex hac parte videatur alicui in ſeipſum conſtare amicitia poſſe, qua quiſque duo ſunt, aut etiam plura, vt corpus & animus: tùm iterum animi plures ſunt partes: altera rationis particeps, altera rationis expers, ut ſuprà dictum eſt. Ita igitur dici poterit aliquis ſeipſum amare, vel ſi corpus ſuum amet, vel ſi animum. Prætereà ſolemus eam amicitiam, quæ modum ſuperat, cum amicitia, quæ cuique ſecum intercedit, comparare, vt cùm ad hũc modum loquimur. Ego te amo tanquam meipſum. Quibus verbis ſignifico te mihi eſſe cariſſimum: Quamobrem ſequitur vt amicitia nobis erga nos ipſos eſſe poſſit: alioqui hoc loquendi genus non eſſet apud nos vſitatum.

25 Iis enim ſpretis ac reiectis, quæ ſibi bona &c.] *αἱροῦνται γὰρ ἀντὶ τῶν δοκούντων ἑαυτοῖς ἀγαθῶν εἶναι τὰ ἡδέα βλαβερὰ ὄντα.* Perion. ijs omnia anteponunt quæ ſunt iniucunda & moleſta. Gruchius quoque hoc loco pugnantia cum Ariſtotele loquitur, ſic Quæ enim ſibi bona eſſe ſtatuerunt, ea iis quæ iucunda ſunt, cum ſuo etiam damno cõiuncta anteponunt. Corrigere Gruchiũ poſſit aliquis duarum vocum ordine mutato, vt pro ea iis, ſcribat iis ea.

26

26 Propter improbitatem vitã oderũt] ſecutus ſum ſcripturam, meo quidem iudicio, meliorem, quæ reperitur in quibuſdam codicibus manuſcriptis, quamque Argyropylus probaſſe videtur. Ea autem eſt huiuſmodi. *οἷς δὲ πολλὰ καὶ δεινὰ πέπρακται, διὰ τὴν μοχθηρίαν μισοῦσι, καὶ φεύγουσι τὸ ζῆν.* Libri autem impreſſi, in quibus & Florentinus, habent *καὶ διὰ τὴν μοχθηρίαν μισοῦνται, φεύγουσι τὸ ζῆν.* quam lectionem vetus interpres ſecutus eſt. Ego priorem, integriorem ac meliorem eò iudicaui, quòd videtur mihi ſignificare Ariſtoteles, homines improbos ac ſceleratos, vitam odiſſe ac fugere propter ſcelerum ſuorum conſcientiam, non propter pœnæ metum tantùm. At ſi diceremus ſceleratos iccircò vitam fugere, quòd ſe in odium hominum incurriſſe ſentiunt: aliam ob cauſam vitam fugerent, quàm propter angorem animi ex ſcelerum ſuorum recordatione natum.

27 Et altera pars propter improbitatem] ſecutus ſum ſcripturam libri Florentini, Pariſienſis, & aliorum impreſſorum emendatiorum, quæ talis eſt: *καὶ τὸ μὲν διὰ μοχθηρίαν ἀλγεῖ ἀπεχόμενόν τινων, τὸ δ' ἥδεται.* loquitur autem Ariſtoteles de diuerſis animi noſtri partibus, vt rectè P. Victorius admonet, atque hanc lectionem ſequitur vetus interpres. in nonnullis aliis libris ita ſcriptum eſt. *καὶ τοτὲ μὲν διὰ μοχθηρίαν ἀλγεῖ ἀπεχόμενός τινων, τοτὲ δ' ἥδεται.* cuius hæc ſententia eſt: & nunc propter improbitatem dolore angitur, quia ſe à quibuſdam rebus abſtinet, nunc voluptate afficitur. ſed hanc lectionem, neque probant viri doctiſſimi, neque ego germanam iudicaui.

28 Tanquàm eum diuellentes] *ὥσπερ διασπῶντα.* nihil eſt his verbis facilius, nihil eorum ſententia apertius. Perionius tamen ita interpretatur: vt ſolent partes diſſoluti corporis.

28 Nam nec contentionem habet, nec &c.] *οὐ γὰρ ἔχει διάτασιν, οὐδ' ὄρεξιν.* Perionius. præſertim cum nec ſit deſiderii, nec appetitionis particeps. *ὄρεξις,* appetitio Latinè appellari poteſt: *διάτασις* autem deſiderium nullo modo. nomen eſt enim à verbo *διατείνεσθαι* ductum, quod valet dilatari, & contendere. eò autem in beneuolentia contentionem non ineſſe dicit, quia qui in alterum beneuolo

uolo eſt animo, ne tantillum quidem eius cauſa contendere velit, vt mox declarabit exemplo pugilum aut gladiatorum. Nam ſic *ἀγωνιϛὰς* interpretatus ſum: quod nomen generale eſt, & ad eos omnes qui ſpe alicuius præmii certant, pertinet: qua de re plura dicemus annotationum libro proximo & vlt.

30 Sed eos ſua opera adiuuare &c.] *συμπράξαιεν δ' οὐδέν.* Perion. ſic. cum interim nullis officijs, nullis actionibus coniungi queant. vix intelligo quid ille ſibi velit. ſed mihi profectò videtur ab Ariſt. ſententia longiſſimè abeſſe. *συμπράττειν* idem valet, quod *συνεργεῖν*: Latini dicunt adiuuare. Longè enim aliud eſt adiuuare, quàm auxiliari: in quo video errare nonnullos qui habentur latinè docti. Nam auxiliari, vel auxilium ferre dicimur ei qui verſetur in periculo, aut cui aduerſi aliquid acciderit: adiuuare autem etiam eum, cuius res ſint valdè ſecundæ: & auxiliari ei qui ab altero opprimatur, aut oppugnetur: adiuuare autem etiam eum qui alterum oppugnet: denique auxiliari fortaſſe à verbo græco *ἀλεξεῖν*, manauit, quod eſt arcere, propulſare: adiuuare verò non eſt propulſare, ſed alteri inſeruire, atque operam dare, & (vt Græci dicunt) *συνεργεῖν καὶ συμπράττειν, καὶ συλλαμβάνειν.* ſic M. Tull. offic. 1. vicinum potius adiuueris in frugibus percipiendis, quàm aut fratrem, aut familiarem. & 2. Qui denique ex beſtiis fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adiuuarent, percipi poſſet? ibid. nunc dicamus de gloria, quandoquidem ea in rebus maioribus adminiſtrandis adiuuat plurimum. ib. in iis tamen qui ſe adiuuari volent, non vt ne affligantur, ſed ut ad altiorem gradum aſcendant, reſtricti omnino nullo modo eſſe debemus. Terent. in Eunucho. faciam ſedulò, ac dabo operam, adiuuabo. idem in Heautont. at te adiutare oportet adoleſcétuli cauſa, id eſt, *συμπράττειν τῷ Δρόμωνι*, & adiutor *συνεργός.* idem Terent. Adelph. poſtremò, ho dic in pſaltria iſtac emenda hic adiutor fuit. & Phor. Fortes fortuna adiuuat. & iterum M. Tull. offic. 3. Qualis habendus eſt is qui non modo non repellit, ſed etiam adiuuat iniuriam? Idem pro Quintio. non ad mendacium obtinendum, ſed ad uerum probandum veritatem addiuuare. Pro

Archia

Archia poëta. Literæ adiuuant ad percipiendam, colendamq́ue uirtutem. In his omnibus locis, quos exempli cauſa protulimus, ſi quis auxiliandi, pro adiuuaudi verbo, vtatur, impropriè & barbarè loquatur. adiumentum item longè aliud eſt, quàm auxilium. Cic. pro Quintio. hoc mihi in cauſis conſueuit eſſe adiumento. offic. ſecundo. quos negat ſine adiumentis hominum tantas res efficere potuiſſe: M. Brutus Ciceroni: Tùm quòd Bruti eruptio non ſolùm ipſi ſalutaris, ſed etiam magno ad victoriam fuit adiumento.

Principium igitur amicitiæ &c.] ἔοικε δὴ ἀρχὴ φιλίας εἶναι, ὥσπερ τοῦ ἐρᾷν, ἡ διὰ τῆς ὄψεως ἡδονὴ. ſententia huius loci aperta eſt. repetendum eſt autem è ſuperioribus nomẽ εὔνοια. neque quiſquàm mortalium vnquàm hunc locum aliter intellexit. At Perionius. longè aliter: vt amoris, ſic & amicitiæ principium eſt, voluptas ea, quæ ex aſpectu percipitur: quæ interpretatio profectò magnopere diſtat ab Ariſtotelis ſententia. ſignificat enim Ariſtoteles beneuolentiam eſſe amicitiæ principium, quemadmodum amoris principiũ eſt ea voluptas quæ aſpectu gignitur. Perionius vult hanc ex aſpectu naſcẽtem voluptatem, eſſe & amoris & amicitiæ principium, quod eſt falſum.

31 Itaque rectè quis tranſlatione ſermonis vſus] ſecutus ſum librorum emendatiorum ſcripturam, quæ talis eſt. διὸ μεταφέρων φαίη τις ἂν αὐτὴν ἀργὴν εἶναι φιλίαν. quam omnes libri manu ſcripti comprobant, vetus interpres ſequitur. iccircò autem beuolentiam appellat Ariſtoteles amicitiam otioſam, quòd qui erga alterum habet beneuolentiam, ei omnia ſecunda exoptat quidem ille, ſed nullum laborem, nullamq́ue moleſtiam eius cauſa ſuſcipere, nullum deniq; periculum adire velit. amicus autem, vt amico proſit & conſulat, nihil tale recuſare, aut pertimeſcere ſolet. Perionius lectionem quorundam aliorum librorum ſecutus eſt, huiuſmodi φαίη τις ἂν αὐτὴν ἀρχὴν φιλίας εἶναι, vertitq́ue hæc verba latinè, amicitiæ fontem licet dicere. quod eò libentius ei ignoſco, quòd etiam Argyropylus hanc ſcripturam ſequitur, probat Euſtratius. à quibus hoc loco diſſentio, Petroq́ue Victorio potius aſſentior, qui luculentè

do

docet priorem illam eſſe aptiorem ac veriorem.

33 Qui verò alicui res ſecundas &c.] *ὁ δὲ βουλόμενός τιν' εὖ πράττειν.* Perionius ſic. At verò qui beneficium ponere vult. non rectè. nimirum putauit *εὖ πράττειν*, idem eſſe, quod *εὖ ποιεῖν*. ſed non eſt ita. eſt enim *εὖ πράττειν*, rem ſuam bene gerere: *εὖ ποιεῖν*, beneficium in alterum conferre. ſed hæc nota ſunt vel pueris.

34 Vt illi in Phœniſſis] Eteoclem & Polynicem ſignificat. de quibus vide Phœniſſas Euripidis.

35 Neq; inſtar Euripi fluunt & refluunt] *καὶ οὐ μεταῤῥεῖ ὥσπερ Εὔριππος.* Eurippus fretum eſt in Eubœa, quod duodecim horarum ſpatio ſepties fluit, & refluit, vt ſciunt omnes. Perionius hunc locum felicius vertit, quàm illum, qui eſt in oratione Aeſchinis in Cteſiphontem *πλείους τραπόμενος τροπὰς τοῦ Εὐρίππου, παρ' ᾧ ᾤκει.* ſic enim interpretatur, plures ſe in formas quàm Eurippus, cuius erat accola, vertens: quaſi verò Eurippus Proteus quidã ſit. Atqui uel ex M. Tullio ſuis deliciis diſcere potuerat Eurippum nõ Protea, ſed fretum aliquod eſſe. Sic enim M. Tull. pro Muræn. Quod fretum, quem Eurippum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum? ſed hac de re tum dicemus, cùm orationes illas à nobis quoque in latinum ſermonem conuerſas edemus. quod quidem non fiet longius.

36 At vbi ſibi quiſque eadem] ſic habent omnes libri excuſi, *ἑαυτῷ δ' ἕκαστος βουλόμενος ταῦτα*, præter vnum manuſcriptum, in quo reperi ſcriptum *ταὐτὰ*, quam ſcripturam ſecutus ſum, ut ueram & germanam.

37 Eiusque rei quaſi præter rationem & opinionem] *καὶ ὡς παρὰ λόγον γινόμενον ἐπιζητεῖται.* Perio. quæ nobis cõtra opinionem incidit quæſtio. quid ſibi hæc uelint, intelligere arbitror neminem.

38 Quemadmodum itaque in rebus mutuis] *ἐπὶ τῶν δανείων.* Perionius in commodato. ſuprà aliud eſſe mutuũ, aliud commodatum à iuriſconſultis doceri oſtendimus.

39 Ex hominum improbitate ſpect.] Epicharmus poëta comicus Siculus non extat. Eius uerſiculi nonnulli reperiuntur apud Athenæum, Stobæum, M. Tullium. ſed nihil

hildum reperi,quod ad hunc locum pertineat. Ariſtoteles autem in libello *περὶ ποιητικῆς,* ſcribit eum fuiſſe Siculũ, quod item multis locis ſignificat M.Tullius: & uno, atque altero loco Horatius.

40 Quàm ab opere ſuo amaretur &c.] *ἢ ἀγαπηθείη ἂν ὑπὸ τοῦ ἔργου ἐμψύχου γενομένου.* Perionius. quàm ſuis quiſque operibus,quæ muta & inanimata ſunt.lectoris otio abutitur Perion. cum Ariſtotelem ita interpretatur.

41 Qui opus effecit igitur &c.] *ἐνεργείᾳ δὴ ὁ ποιήσας τὸ ἔργον,ἐςί πως.* Ego huius loci ſententiam hanc eſſe puto,artificem qui opus aliquod effecit,tum re uera & functione eſſe artificem: ante quàm uerò opus effecerit, poteſtate duntaxat eſſe artificem: verbi gratia,pictor qui Venerem pinxit, re & functione operis,pictor eſt. Grammaticus qui opus aliquod ex ſe prompſit grammaticum, re & functione grammaticus eſt: denique uir ſapiens cum ſapientiæ munere fungitur, re & uſu ſapiens uerè dici poteſt. Alii ferè omnes penè dicam incredibiliter dicunt hoc ſentire Ariſtotelem, effectorem operis alicuius, opus eſſe ſuum quodammodo. Sic Euſtratius,ſic Argyropy.ſic D. Thomas intelligunt. Atque Euſtratij quidem hæc uerba ſunt. *καὶ τὸ ἔργον ἐνεργείᾳ ἐςὶν ὁ ποιήσας. ἡ γὰρ εἰκὼν αὐτὴ,ἐνεργείᾳ ἐςὶν ὁ ζωγράφος,* ideſt & opus functione eſt operis effector. nam imago ipſa functione pictor eſt. Quæ ſententia ſi cui placebit, (nam meum non eſt in re tanta iudicium meum interponere) ſic erit hic locus latinè reddendus. qui opus igitur effecit, re & functione muneris, ſuum quodammodo opus eſt.

42 Quæ res enim poteſtate eſt &c.] ſic Ariſtote. *ὃ γάρ ἐςι δυνάμει, τοῦτο ἐνεργείᾳ τὸ ἔργον μηνύει.* Ex hoc loco colligi poteſt ſentire id Ariſtotelem, quod paulò antè dicebamus,eum qui poteſtate tantùm erat artifex, antequàm opus efficeret: tum re & functione eſſe artificem, cum opus effecit. opus enim cuiuſque artificis (inquit) eum re & functione operis, artificem eſſe declarat, qui poteſtate tantùm erat artifex, antequam aliquod ab eo opus effectum eſſet.

43 Omnium autem rerum ea iucundiſſima eſt &c.] *ἥδιςον δὲ κατὰ τὴν ἐνέργειαν, καὶ φιλητὸν ὁμοίως.* Perionius, ſed

ſed tamen eo, quod præſens tanquàm in manu datur, nihil iucundius, nihil amabilius eſt. Vera ſunt hæc, quæ dicuntur à Perionio, ſed ab Ariſtotelis ſentẽtia ſunt alieniſſima. Nõ enim hìc agitur de donando, ſed cum tria dixiſſet Ariſt. eſſe iucunda, vſum ſeu functionem præſentium, ſpem futurorũ, memoriam præteritorũ: horum trium dicit eſſe iucundiſſimum, functionem præſentium.

44 Contrà ſe res habere videtur &c.] modò dixerat rerum honeſtarum memoriam eſſe iucundam, utilium non item: nunc contrà ſe rem habere dicit in ſpe, ſeu expectatione. Nam rerum utilium expectatio maxima nos lætitia afficere ſolet, honeſtarum verò non admodum: huius diſſimilitudinis ratio eſt. honeſta non delectant niſi cognita: at fieri non poteſt, ut ſint cognita, niſi ab eo, qui habeat. ita fit, vt futurorum honeſtorum ſpes delectare non poſſit, ſed præteritorum memoria potius, utpote cognitorum. vtilia autem nota ſunt & præterita & futura quidem illa, ſed præteritorum vtilium memoria iccircò minus delectat, quia utilitatis præteritæ fructus celeriter euaneſcit: futurorum autem expectatio propterea magnopere delectat, quia cùm ſibi perſuaſerit vnuſquiſque iucundè, beateque viuendi rationem in copiis rei familiaris, & fortunæ bonis eſſe poſitam, eo ſe iucundius victurum eſſe confidit, quo plus utilitatis ſit conſecuturus.

45 Eos igitur qui in actione ſunt ſuperiores] ſic Ariſt. *τοῖς ὑπερέχουσι δὴ περὶ τὴν πρᾶξιν ἕπεται τὸ φιλεῖν καὶ τὰ φιλικά*. Perionius hæc interpretatur (inuitus equidem dicam, ſed tamen dicam, idque neceſſariò) indoctiſſimè. hoc modo. Qui autem in actione ſunt occupati, eos neceſſe eſt diligere. *ὑπερέχειν*, non eſt occupatum eſſe, ſed excellere & præſtare, niſi forte mendoſo codice vſus eſt, in quo ſcriptum ſit *ὑπάρχουσι*, quod quãuis demus ita eſſe, fœdũ tamẽ eſt erratum.

46 Quòd nihil agat à ſuis rationibus &cet.] ſic habent omnes excuſi libri, quibuſcum manuſcripti conſentiunt, *ὅτι οὐθὲν ἀπ' αὐτοῦ*: ſed Euſtratium ſequor, qui legit *ἀφ' αὐτοῦ*. quam lectionem confirmat uetus interpres.

47 Qui maximè ſit amicus] τὸν μάλιστα φίλον. Perion. qui ſit maximus amicus. non probo.

48 At is maximè amicus eſt, qui quem uult bonis ornatum eſſe,] φίλος δὲ μάλιστα ὁ βουλόμενος, ᾧ βούλεται τἀγαθὰ, ἐκείνου ἕνεκα. Hæc eſt emendatorum librorum ſcriptura. quanuis uetus interpres aliter legiſſe uideatur.

49 Etiam ſi nemo ſciturus ſit] καὶ εἰ μηθεὶς εἴσεται. Perion. etiam ſi ad ſe ex his nihil redeat. in duobus uocabulis duo errata, quæ tamen non emendat Gruchius, ut neq; alia multa, vnum quòd μηθεὶς, interpretatur nihil: alterũ quòd εἴσεται, latinè reddit, redeat. εἴσεται, futurum tempus eſt verbi εἰδέομαι, quod ualet ſcire. hoc vel pueris notum eſt.

50 Hæc autem inſunt in vnoquoque &ce.] ταῦτα δ' ὑπάρχει μάλιστα αὐτῷ πρὸς αὑτόν. ſententia eſt aperta. ſignificat Ariſtoteles ſibi quenque maximè velle omnia benè euenire ſua cauſa. Perionius ſic. Quæ ſibi quenque conciliant. non probo. at ſunt Ciceroniana. quid tum poſtea? non ſatis eſt eſſe Ciceroniana. oportet præterea cum Ariſtotelis ſententia congruere.

51 Itaque ſi quid vtrique ſui ipſius &c.] εἰ δὴ λάβοιμεν, τὸ φίλαυτον πῶς ἑκάτεροι λέγουσι. nomen ἑκάτεροι refero ad eos qui rationes illas ſuperiores in utranque partem attulerunt. quòd ſi quis malet ad nomen λόγους referre, non pugnabo cum eo pertinacius: ſed illud τὸ φίλαυτον, non rectè interpretatus eſt Perionius, ſibi carum, aut ſui amantem. non enim dicit τὸν φίλαυτον, ſed τὸ φίλαυτον, id eſt τὴν φιλαυτίαν.

52 Quemadmodũ aũt pars præcipua &c.] ὥσπερ δὲ καὶ πόλις τὸ κυριώτατον μάλιστ' εἶναι δοκεῖ, καὶ πᾶν ἄλλο σύστημα, οὕτω καὶ ἄνθρωπος. nihil horum uerborum ſententia planius, nihil dilucidius. At Perionius hæc ita interpretatur, vt meræ tenebræ videantur, hoc modo: vt enim ciuitas, omniſque alius conuentus, ſic homo eſt omnium optimum. hæc Ariſtoteli profectò nunquàm in mentem venerunt.

53 Quòd mens in illo ſuperior ſit &c.] Ariſtot. τῷ κρατεῖν τὸν νοῦν ἢ μή. Perion. quòd animum vincat & teneat, vel non teneat. fœda interpretatio: tolerabilius erat. quòd animus

animus vincat.& *ita* fortaſſe ab eo ſcriptum eſt.

54 Quantum intereſt utrùm quis &c.] ſic reperi ſcriptũ in oĩbus libris ĩpreſſis,& manuſcriptis ὅσον τὸ κατὰ λόγον ζῆν τοῦ κατὰ πάθος, καὶ ὀρέγεσθαι ἢ τοῦ καλοῦ ἢ τοῦ δοκοῦντος συμφέρειν. vetus interpres videtur legiſſe καὶ ὀρέγεσθαι τοῦ καλοῦ, ſine particula diſiungente ante τοῦ καλοῦ: quæ quidem mihi videtur planè otioſa. Sic igitur hunc locum explicant latini: tantum intereſt inter eum, qui mentem ſuam amat, & eum qui partes animi rationis expertes colit, quãtum inter vitam rationi conſentaneam, & eam quæ perturbationibus dirigitur, & quantum inter honeſti appetitionem,& ſimulatæ vtilitatis. Euſtr. hęc tria τὸ κατὰ λόγον ζῆν, τὸ ὀρέγεσθαι τοῦ καλοῦ, τὸ ὀρέγεσθαι τοῦ συμφέροντος, vna cõiungit hoc modo, quantum intereſt, vtrùm quis rationi cõuenienter viuat,& honeſtum, aut id quod ad honeſtum obtinendum valet, appetat, an affectibus animi ſeruiat: ſed ſecutus ſum D. Thomam,& Latinos.

55 Ipſi honeſtum quæritur] αὐτῷ δὲ τὸ καλὸν, mutat numerum.

56 Fortuna cum fauet &cet.] ὅταν ὁ δαίμων διδῷ, τί δεῖ φίλων; verſus eſt Euripidis in Oreſte. Perionius putauit eſſe verba Ariſtotelis.

57 Si igitur hæc uera ſunt] nos hæc addidimus propter hyperbatum, quod pendet ab illo loco. Quòd ſi beatum eſſe, in uiuendo &c.

58 Quemadmodum ait Theognis] verſus Theognidis abſunt hoc loco à bonis codi.& mihi ſit uериſimile ab Ariſtotele eſſe prætermiſſos, ut omnibus notiſſimos, quanuis eos infrà proferet.

59 Rei autem principatus] τὸ κύριον. Perion laus omnis in actione conſiſtit. pulchrè dictum & verè. ſed non fideliter. aliud enim loquitur Perionius, aliud ſentit Ariſtoteles. τὸ κύριον, vis præcipua, principatus, id quod plurimum valet.

60 Ad naturam ipſius boni pertinet] τῆς τἀγαθοῦ φύσεως. Perion. ad naturam boni uiri accommodata eſt. Putauit Ariſtotelem de uiro bono loqui. ſed non ita eſt. ſigni-

ficat enim id quod finitum ac terminatũ eſt,ut Pythagorei tradiderunt,eſſe in ordine rerum bonarum locatum: quemadmodum infinitum in malarum. qua de re diximus in annot.lib.1.pag.290.nume.29.

61 Quo circà viuere videtur omnibus eſſe &c.] διόπερ ἔοικε πᾶσιν ἡδὺ εἶναι. repetendum τὸ ζῆν à ſuperioribus. Perionius aliter intellexit. putauit enim ſignificare Ariſtotelem τὸ εἶναι, ideſt ipſum eſſe, omnibus eſſe iucundum:quod quanuis uerum ſit, id non dicit tamen hoc loco, ſed alibi dicturus eſt.

62 Sentire autem nos ſentire, & intelligere nos intelligere poſſumus.] Αἰσθανοίμεθα δ᾽ ἂν ὅτι αἰσθανόμεθα, καὶ νοοῖμεν ὅτι νοοῦμεν. hunc locum non rectè vertit Perion. hoc modo. Atqui ſenſu aliquid percipere poſſumus, quia ſenſu percipimus,& mente agitare quid poſſumus, quia cogitamus.Non dicit Ariſtoteles nos iccircò ſentire, quia ſentiamus,aut intelligere,quia intelligamus: eſſet enim dictu abſurdum, atque ineptum: ſed hoc ſignificat, cum uiuere ſit ſentire,aut intelligere,& cum ſentiamus nos ſentire, intelligamusque intelligere,ex iis effici, vt intelligamus nos uiuere: ſi uiuere, ergo & eſſe.

63 Eſſe autem eò cuique] ſic libri impreſſi, & nonnulli manu ſcripti,quos uetus interpres & Argyropy.ſecuti ſunt. τὸ δ᾽ εἶναι ἦν αἱρετὸν διὰ τὸ αἰσθάνεσθαι αὐτοῦ ἀγαθοῦ ὄντος. mendoſè autem ſcriptum eſt in libris Florẽtinis διὰ τὸ αἰσθάνεσθαι αὐτοῦ ἀγαθοῦ ὄντος, quæ ſcriptura virum quendam doctiſſimum in fraudem induxit, vt exiſtimaret hanc eſſe huius loci ſententiam: eſſe autem erat optabile propte reà quod quis ſentiat ſeipſum bonum eſſe. Sed vehementer errat.Non enim dicit Ariſto. τὸ εἶναι, propterea eſſe expetendum, quòd quis ſeipſum virum bonum eſſe ſentiat, ſed propterea quòd τὸ εἶναι ſit per ſe, & natura bonum tum omnibus,tum maximè viris bonis,ut ſuprà dixit. Qua de re plura dicerem, niſi verba ipſa Ariſtotelis, quæ ſunt hoc loco,ſententiam illam perſpicuè refellerent.

64 Multorum neque dicaris,neque nullius hoſpes] μήτε πολύξεινος, μήτ᾽ ἄξεινος. ab eſt verbum καλέεσθαι. verſus

ſus eſt Heſiodi.

65 Neque huic rei agendæ ſatis ſint &c.] καὶ οὐχ ἱκανὸς ὁ βίος αὐτοῖς τοῦτο πράττειν. βίον fortunas & facultates latinè reddidi Euſtratium & Argyropylum ſecutus. Alii vitam interpretantur, vt ſit hic ſenſus, ne totius quidem vitæ ſpatium eis ſatis futurum ad hoc agendum. ſed non eſt omittendum, Argyropylum legiſſe ὁ βίος αὐτὸς, non vt in omnibus libris impreſſis legitur, αὐτοῖς.

66 Iam qui uoluptatis cauſa comparantur &c.] ſic Ariſto. καὶ οἱ πρὸς ἡδονὴν δέ. Perionius ſic, iis etiam qui delectationis, iucunditatisque cauſa amicitiæ præſidia quærunt. non rectè. primùm enim debuit dicere, ij etiam qui &c. ſcriptum eſt enim ab Ariſtotele. οἱ πρὸς ἡδονὴν, non τοῖς: deinde quid ſibi hæc volunt, amicitiæ præſidia voluptatis cauſa quærere? quis vnquàm audiuit præſidia adhiberi cauſa voluptatis?

67 Amor enim quoddam amicitiæ nimium &c.] Ariſto. ὑπερβολὴ γάρ τις εἶναι βούλεται φιλίας. repetendum ἀπὸ κοινοῦ τὸ ἐρᾷν. ideſt amare.

68 Quem ciuili more] πολιτικῶς μὲν οὖν. μὲν οὖν interdum aduerſandi vim habet, vt hoc loco.

69 Volunt enim de aliquibus benè mereri] βούλονται γὰρ εὖ δρᾷν. Perion. præſertim cùm alijs conſultum velint. hæc verba ſententiam Ariſtotelis non exprimunt.

70 Ac niſi quis doloris vacuitate &c.] ſic Ariſt. κἂν μὴ ὑπερτείνῃ τῇ ἀλυπίᾳ, τὴν ἐκείνοις γενομένην λύπην οὐχ ὑπομένει. mutat numerum, vt ſæpe aliàs ſolet. Huius loci autem hæc ſententia eſt, quam D. Thomas culpa veteris interpretis aſſequi non potuit. Viri fortes, animoque virili amicos ſuos nolunt ſecum vnà dolere. Et niſi quis animo ſit penè dicam ferreo, ita vt in eum non cadat vllus animi dolor, æquo animo non feret illorum dolorem ex ſuis caſibus aduerſis contractum. Verbum ὑπερτείνῃ, abſolutè (vt loquuntur grammatici) poſitum eſt: vt ſuprà hoc eodem lib. ἐὰν δ᾽ ὑπερτείνῃ ἡ δόσις τῷ καλῷ. & lib. 3. ὅταν ὑπερτείνῃ ὁ κίνδυνος.

71 Amicorum autem præſentia in rebus ſecundis] ἡ δ᾽

ἐν ταῖς δ᾽ ἀτυχίαις τῶν φίλων παρουσία. Perionius vſus eſt corrupto codice in quo ſcriptũ eſſet ἀτυχίαις. vertit enim. in rebus aſperis.

72 Satis eſt miſerum eſſe me] ἅλις ἐγὼ δυςυχῶν. Euripides in Oreſte.

73 Veruntamen acerbitatis opinio &c.] δόξαν δ᾽ ἀηδίας ἐν τῷ διωθεῖσθαι ἴσως εὐλαβητέον. omnes codices ſine vlla varietate ſic habent. Huius quoq; loci ſententiam vitio interpretationis antiquæ non eſt aſſecutus D. Thomas. nata eſt difficultas ex uerbo διωθεῖσθαι, quod valet reiicere, recuſare, vt ſuprà diximus. Quemadmodum(inquit Ariſtoteles) non nimis cupidè ex amicitia in amicorum rebus ſecũdis vtilitatem quærere debemus: ſic ſi amicus benignè nobis facere velit, emolumentumque aliquod ac beneficium deferat, non debemus ita præcisè ac præfractè reijcere illius liberalitatem, ut inſuaues, atque acerbi meritò videri poſſimus. Perionius quoque in hoc loco lapſus eſt, qui ita reddit. ſed tamen vitanda eſt in denegando, quod petitur, offenſionis opinio.

74 Seipſum autem ſentire eſſe &c.] ſententiam verborum expreſſi, non verba appendi. ſic enim loquitur Ariſto. περὶ αὐτὸν δ᾽ ἡ αἴσθησις ὅτι ἐςὶν, αἱρετὴ. ideſt verbum ferè è verbo, ſenſus autem cuiuſque in ſeipſo occupatus, quo ſe eſſe ſentiat, expetendus eſt. ergo & in amico. Perio. autem ſic: ſuus cuique in ſemetipſo iucundus eſt ſenſus, quæ verba parum declarant Ariſtotelis ſententiam. Tùm omiſſa ſunt illa, ὅτι ἐςὶ, in quibus tota vis ſententiæ poſita eſt.

75 Et quacunque in re ſuus cuique &c.] καὶ ὅ, ποτε ἐςὶν ἑκάςοις τὸ εἶναι. poteram ſic verbum è verbo interpretari, ſi liceret ita loqui, & quodcunque tandem cuique eſt eſſe.

76 Deinceps autem nobis de voluptate] ἑπόμενον δ᾽ ἂν εἴη διελθεῖν περὶ ἡδονῆς. doctiſſimi quidam viri putant hæc eſſe ſuperuacanea, neque eſſe Ariſtotelis: quibus aſſentior. nam quæ in hoc extremo libro ponuntur, in principio eius, qui proximè ſequitur, aptius dicuntur, magisque ſuo loco ponuntur.

In librum decimum.

1 Quaſi omnis ſit expetenda] ὡς τοιαύτην οὖσαν : in corruptis codicibus legitur cum negatione, ὡς οὐ τοιαύτην οὖσαν, quos Perionius & Gruchius ſecuti ſunt.

2 At omnibus in rebus id, quod ſit,&c.] ἐν πᾶσι δ᾽ εἶναι τὸ αἱρετὸν ἐπιεικὲς, καὶ τὸ μάλιστα,κράτιστον. præpoſterè hæc interpretatur Perion.In omni re quod bonum ſit, eſſe expetendum,& optimum quicque maximè.

3 Qualis res eſt iuſtè agere,& temperanter &cet.] libri omnes impreſſi ſic habent, neque diſſentiunt manuſcripti, præter quàm vnus & alter, οἷον τὸ δικαιοπραγεῖν καὶ σωφρονεῖν. quidam ſcripti cum quibus conſentit uetus interpretatio, τῷ δικαιοπραγεῖν, quam lectionem ſi quis probabit coniungendum erit illud τῷ cum participio προσιθεμένην, neque variabitur vlla ex parte ſententia.

4 Nihiloque magis bonum &ce.] καὶ οὐδὲν μᾶλλον ἑτέρου. poteram & ſic interpretari, nihiloque magis bonum. quàm quiduis aliud. & ita Argyropylus: probat D. Thomas: tametſi parum intereſt inter hanc, & illam interpretationem. mihi quidem hæc quam ſecutus ſum, concinnior videtur.

5 Quòd ſi iucundum alteri bono admiſtum] Ariſtote. εἰ δὲ τὸ μικτὸν κρεῖττον. Omnes qui in hos libros ſcripſerunt commentarios,ſic accipiunt, τὸ, vt ſubaudiant ἡδὺ, ideſt iucundum: quam uocem latinam maioris lucis gratia mea interpretatione repræſentandum eſſe exiſtimaui.

6 Quod omnia deſiderāt] οὗ πάντα ἐφίενται. libenter ex Perionio quæſierim cur hæc verba, οὗ πάντα ἐφίενται, reddiderit latinè hoc loco,quod omnes appetunt: in primo libro autem maluerit interpretari,ad quod omnia referuntur.Eadem ſunt verba, eadem ſententia eſt.Vtrùm dicet ſe conſilium mutauiſſe? an orationis formam, dicendique figuram variare uoluiſſe? at hoc in ijs, quæ ſubtiliter diſputātur, maximeque in definitionibus, vel facere non oportet, vel ita facere,vt eadem ſententia maneat. ſuprà autem do-

cuimus aliud eſſe referri ad aliquid, aliud quippiam deſiderare, aut appetere. iam quòd dixit omnes appetunt, non, omnia, in eo, uel ſecutus eſt codicem aliquem corruptum, uel ſuo arbitratu id fecit. Nam omnes libri emendati habẽt *πάντα*, non *πάντες*.

7 Nam ſi ſola mentis expertia] duos codices manuſcriptos antiquiſſimos ſecutus ſum, in quibus ita ſcriptum eſt, *εἰ μὲν γὰρ τὰ ἀνόητα μόνα ὠρέγετο αὐτῶν*, quã quidem ſcripturam confirmant Euſtratius & Argyropylus. libri uulgati autem non habent uocem *μόνα*, ac ne Florentini quidem, neque Pariſienſes. D. Thomas tamen & latini eam ſubintelligunt: mihi certè prorſus neceſſaria uidetur.

8 Quàm ipſorum ſit captus] *ἢ καθ' αὑτά*. Adriano Turnebo approbatore, atque adeo auctore, hunc locum ſic interpretatus ſum. ſignificat Ariſtoteles in malis ſiue rationis expertibus, ſiue ratione vtentibus, aliquod eſſe bonum naturale, ſanum, integrum, incorruptum, melius denique, quàm id quod in illis eſt uitioſum, & corruptũ: hoc aũt appetere id, quod ſibi ſit accommodatum, atque amicum: Omnia porrò appetere ſine ulla varietate uoluptatem: Summum igitur eſſe bonum uoluptatem, eamq; integræ, atq; incorruptæ naturæ maximè conuenire. Suprà autem proximè, illa verba *ἴσως δὲ καὶ ἐν τοῖς φαύλοις*, ſic verti: fortaſſe verò etiã in vitioſis, nõ in vitioſis hominibus. puto enim hoc *φαύλοις*, neutrum eſſe à rectò caſu mumeri multitudinis *φαῦλα*, quod ita eſſe declarant ea verba *ἢ καθ' αὑτά*.

9 Verùm tamen ſi ad ea &c.] *οὐ μὴν ἐπίγε τῶν εἰρημένων ἀληθεύοντες*. Hæc verba hanc ſententiam continent. dicunt illi verum ſimpliciter, malum opponi & malo, & bono, quemadmodum duo extrema & inter ſe opponuntur, & medio. ſed ſi quæ dicunt, ad ea de quibus quærimus, exigantur, non reperientur vera. nam ſi dicent dolorem opponi voluptati, vt malum malo, ergo erunt ambo fugienda: ſin neutrũ erit malum: vel neutrum erit fugiendum, vel ſimiliter vtrunque. At videmus dolorem fugi &c. Perionius hæc ſic reddit latinè, ſed ab iis, quæ dicta ſunt, diſſentiunt, quàm aptè, iudicent homines.

10 Sin neutrum eſſet malum] ſecutus ſum librum Floren. Pariſien. Vene. & D. Thomã. ſic Ariſto. τῶν μηδετέρων δὲ μηδέτερον, ἢ ὁμοίως. Quæ ſic interpretantur Perionius, & Gruchius, ſin neutrum ſit aut alterum, eadem ratio eſt: omnino (ne quid diſſimulem) uitioſè.

11 Si igitur ex perceptione voluptatis] εἰ μὲν οὖν ἐκ τοῦ ἥδεσθαι. Perionius ſi ex maiore & minore id iudicant. equidem quid ſibi hæc velint, neſcio. ἥδεσθαι eſt delectari, voluptate affici. quòd ſi mihi dicat in verbo ἥδεσθαι, ſubaudiri μᾶλλον καὶ ἧττον, ego tamen non probabo hanc interpretationem ἥδεσθαι μᾶλλον καὶ ἧττον, maior & minor voluptas.

12 In iuſtitia quoque, & ceteris virtutibus, ex quibus perſpicuè aiunt &c.] hic locus ſic in omnibus libris & impreſſis & manuſcriptis legitur, καὶ περὶ τὴν δικαιοσύνην, καὶ τὰς ἄλλας ἀρετάς, καθ᾽ ἃς ἐναργῶς φασὶ μᾶλλον καὶ ἧττον τοὺς ποιοὺς ὑπάρχειν, καὶ κατὰ τὰς ἀρετὰς ἔσται τὸ αὐτό. quæ ſcriptura ſine dubio corrupta eſt. quorſum enim illa inanis iteratio καθ᾽ ἃς, & κατὰ τὰς ἀρετάς? quæ quidem doctiſſimos homines commouit, vt hæc poſtrema verba κατὰ τὰς ἀρετάς, putarent eſſe delenda. Ego cùm viderem tantum omnium librorum conſenſum, antequàm ea reijcerem, diligenter mihi conſiderãdum eſſe exiſtimaui, qua ratione huius loci peruulgatam ſcripturam tueri & ſeruare poſſem. Reperi tandem ordinem verborum tantùm eſſe perturbatum, eaque verba κατὰ τὰς ἀρετάς, ſuo loco eſſe mota, quæ ſi reſtituantur in ſedem ſuam, totum hunc locum perpurgatũ, & reſtitutum iri. ſic igitur lego. Εἰ μὲν οὖν ἐκ τοῦ ἥδεσθαι τοῦτο κρίνουσι, καὶ περὶ τὴν δικαιοσύνην, καὶ τὰς ἄλλας ἀρετάς, καθ᾽ ἃς ἐναργῶς φασὶ μᾶλλον καὶ ἧττον τοὺς κατὰ τὰς ἀρετὰς ποιοὺς ὑπάρχειν, ἔσται τὸ αὐτό. in hac emendatione (vt dixi) nihil præter ordinem mutatur, immò verò nihil præter ordinis perturbationem innouatur, niſi quòd copulatio καὶ etiam tollitur. Poterat & iiſdem verbis ſeruatis, eademque ſententia, quam ego ex verbis elicio, neque vlla ex parte verborum ordine immutato, ſed ſublata copulatione καὶ, & in eius locum trãſlato articulo τούς, hoc modo legi. μᾶλ-

λον

λον καὶ ἧττον ποιοὺς ὑπάρχειν τοὺς κατὰ τὰς ἀρετάς. Si quis autem ex me quærat, qui dicantur οἱ κατὰ τὰς ἀρετάς, reſpondebo ſic appellari ab Ariſtotele eos qui virtutes colũt, ſeu virtutum ſtudioſos. ſic enim loquitur lib.4.cum de magnificentia diſputat. Τῶν δὲ κατ᾽ἀρετὴν οὐδεὶς ἠλίθιος: quæ verba ſic ſum interpretatus: eorum autem qui ſunt ſtudioſi virtutis, nemo ſtolidus eſt. Simile ferè illud eſt, in lib. de categorijs, capite περὶ ποιοῦ καὶ ποιότητος, in extremo. vbi docet in qualitatibus locum habere ea quæ dicuntur magis & minus. Sic igitur loquitur. Αλλ᾽οὖν τάδε κατ᾽αὐτὰς λεγόμενα, ἀναμφισβητήτως ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Quòd ſi quis malet illa verba τοὺς κατ᾽ἀρετὰς ποιούς, coniunctè legi, vt ποιοὶ κατ᾽ἀρετάς, intelligantur ij qui ex virtutibus cuiuſdammodi facti, & quodam modo conformati ſunt, perinde mihi probabitur. ſic enim idem Ariſtot. locutus eſt ſuprà lib.1. εἴρηται γὰρ ψυχῆς ἐνέργεια κατ᾽ἀρετὴν ποιά τις.

13 Siquidem ſunt aliæ puræ] omnes libri excuſi habẽt, ἐὰν ὦσιν αἱ μὲν ἀμιγεῖς. vnus ſcriptus ὡς εἰσὶν .i. quoniam ſunt, paruo diſcrimine.

14 Neque voluptas eſt motus] ſic definitur apud Mar. Tull.lib.2.de finibus. Voluptas eſt iucundus motus quo ſenſus hilarantur.

15 Qualis eſt ea] ſic Ariſtot. οἷον τὸ τοῦ κόσμου, πρὸς ἄλλο, atque ita ſcriptum reperi in omnibus codicibus excuſis emendatioribus, non vt in nonnullis Germanicis οἷον τῇ τοῦ κόσμου. huius loci ſententia non eſt obſcura, ſi Euſtratiũ ſpectes, & D. Thomam, & ceteros, qui in hos libros ſcripſerunt commentarios, aut ſcholia. omnes enim ſine vlla varietate, hæc verba εἰ μὴ καθ᾽αὑτήν, οἷον τὸ τοῦ κόσμου, πρὸς ἄλλο, ſic explicant: omnis motionis propria eſt tarditas & celeritas, ſi non per ſe, at comparatione facta ad alias motiones, qualis eſt ea qua mũdus mouetur, id eſt prima ſphæra. hæc enim celeritatis & tarditatis non eſt capax per ſe, propterea quòd æquabiliter perpetuò mouetur: ſed ſi quis eam cum aliarum ſphærarum motionibus cõferet, reperiet eam motionibus illis longè celeriorem eſſe. Verùm ſi uerba Ariſto-

Ariſtotelis alio ordine collocentur, & legantur: videntur & planiora futura, & eam ſententiam quam modò expoſui, ſignificantius oculis ſubiectura, hoc modo. Πᾶσι γὰρ οἰκεῖον εἶναι δοκεῖ τάχος καὶ βραδυτὴς, καὶ εἰμὴ καθ' αὑτὴν, πρὸς ἄλλο, οἷον τὸ τοῦ κόσμου. Præterea non reprehendam, ſi quis dicat in illis verbis πρὸς ἄλλο, οἷον τὸ τοῦ κόσμου, ſubintelligi τάχος, hoc modo πρὸς ἄλλο τάχος. οἷον τὸ τοῦ κόσμου τάχος, quamuis ſciam hoc doctiſſimis viris non probari, à quibus mihi graue eſt diſſentire.

16 Id in quo fiet expletio, etiam voluptate afficietur.] ſic Ariſt. ἐν ᾧ ἡ ἀναπλήρωσις, τοῦτ' ἂν καὶ ἥδοιτο. τὸ σῶμα ἄρα. hæc ſic interpretatur Perion. id in quo fuerit expletio, id profectò corporis percipiat voluptatem. quæ quidem interpretatio à uerbis & ſententia Ariſtotelis abeſt longiſſimè.

17 Et ex iis quæ in ſenſibus poſitæ ſunt] in omnibus libris impreſſis, à quibus manuſcripti non diſſentiunt, ſic legitur, καὶ τῶν κατὰ τὰς αἰσθήσεις καὶ διὰ τῆς ὀσφρήσεως. quam lectionem ſine dubio mendoſam & corruptam ego detracta vna litera .κ. emẽdaui, feciq;, vt legatur αἱ διὰ τῆς ὀσφρήσεως, cum antea καὶ legeretur, vt dixi: neque dubito quin omnes docti hanc meam coniecturam ſint probaturi. M. Antonius Muretus quidem & probat, & negat aliter huius loci ſententiam conſtare poſſe.

18 Et verò acroamata]acroama nomen eſt græcum: ſignificat autem narrationem iucundam, fabulam, cantilenã, quicquid denique audiendi ſenſum permulcet. eo vtitur M. Tull. in ora. pro Archia poëta. Cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem libenter audiret.

19 Quibus pueri lætantur quàm maximè] ἡδόμενος ἐφ' οἷς τὰ παιδία, ὡς οἷόντε μάλιστα. Perion. Voluptatibus perfluens, quibus pueri quàm maximè putant. Videtur vſus eſſe corrupto codice, in quo ſcriptum ſit οἴονται id eſt putãt, pro οἷόντε. quanquam Argyropylus quoque & vetus interpres ita legiſſe videntur. liber Florentinus quidem, Pariſienſis, Venetus quibuſcum conſentiunt manuſcripti, habẽt οἷόντε. quos ſecutus ſum.

20 Videtur enim aſpectus] ὅρασις. propterea quod ὄψις eſt ipſe videndi ſenſus, ὅρασις autem, oculi functio, atque actio, quærebam nomen aliquod Latinum, quod græco reſponderet. Ac nomen aſpectus quidem, quia mihi etiam videbatur videndi ſenſum ſignificare duntaxat, vſque eò fugi ac reieci, quoad apud M. Tull. relegi pro Cecina. aſpectus armatorum, & Philippic. ſecunda, aſpectus auctionis.

21 Aut igitur in toto tempore, aut in hoc] omnes quos quidem viderim codices, ſine vlla varietate ſic habent, ἢ ἐν ἅπαντι δὴ τῷ χρόνῳ, ἢ τούτῳ, præter Germanicũ, à quo abeſt ἢ, quem ſecutus eſt Perionius. ſic enim interpretatur. aut certe in eo toto tempore. quæ ſcriptura poſtrema vnà cum ſua interpretatione, vitioſa eſt.

22 Alia eſt à columnarum ad pares angulos collocatione.] ſic Ariſt. ἑτέρα τῆς τοῦ κίονος ῥαβδώσεως. ῥάβδωσιν κίονος (inquit Euſtratius) λέγει Ἀριστοτέλης τὴν κατὰ μῆκος τοῦ κίονος πῆξιν, ἥτις γίνεται ὅταν πρὸς ὀρθὰς γωνίας ἵσηται, id eſt rhabdôſin columnæ, nominat Ariſtoteles, columnæ in longitudinem, collocationem, & (ſi liceat dicere) defixionem, quæ tum fit, cùm ad rectos angulos recta ſteterit. doctiſſimi quidam viri putabant ῥάβδωσιν, eſſe columnæ ſtriaturam, ſeu ſtriationem, & κίονας ῥαβδωτοὺς, columnas ſtriatas, & quaſi virgatas. qui tamen Euſtratii auctoritate commoti facilè de ſententia deceſſerunt.

23 Lacunaris] τριγλύφου. τρίγλυφα, (inquit Euſtratius) ξύλα ἐστὶ τὰ τριχῆ ἐν τοῖς πέρασιν ἐγκεκλυμμένα, id eſt ligna ſunt in extremis tabulatorum partibus tripliciter inſculpta. Ego affirmare non auſim τρίγλυφον, idem eſſe, quod apud Latinos, lacunar: ſed cùm videam τρίγλυφον, tecti eſſe ornamentum è lignis ſculptis, ſeu cælatis, neque vllum latinum vocabulum, quod ad eam rem ſignificandam propius accedat, reperire poſſim, hoc mutuatus ſum, ei gratiam habiturus, qui mihi aliquod aptius proferet.

23 Si enim loci mutatio] ſic φορὰν appellaui. nam lationis nomen, quo alii vtuntur, reformidaui. tranſlatio autem nihilo magis mihi probatur. Iam φορὰν non ineptè loci

ci mutationem latinè dici poſſe, ex ipſo Ariſtotele intelligere licet, qui in libro de categoriis, vbi motus partes, ſeu formas enumerat, φορὰν perſpicuè τὴν κατὰ τόπον μεταβολὴν appellat, his verbis: κινήσεως δέ ἐστιν εἴδη ἕξ, γένεσις, φθορὰ, αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, καὶ ἡ κατὰ τόπον μεταβολή, quanuis in Topicis id improbare videatur.

25 Huius quoque formæ] quoniam hoc loco breuius ac præciſius loquitur Ariſtoteles, vt ſæpe aliàs ſolet, nos ea verba, quæ ſubintelliguntur, perſpicuitatis gratia, repræſentauimus. ſic loquitur Ariſtoteles. Εἰ γὰρ ἐστιν ἡ φορὰ κίνησις πόθεν ποῖ: καὶ ταύτης διαφοραὶ κατ' εἶδος πτῆσις, βάδισις, ἅλσις, καὶ τὰ τοιαῦτα, repetendum ἀπὸ κοινοῦ, κινήσεις εἰσὶ πόθεν ποῖ. Nihil eſt horum verborum ſententia planius homini nō hebeti. argumentū eſt à genere: ſi loci mutatio eſt motus à puncto vnde, ad pūctū quò, huius quoq; differētiæ, id eſt partes ſeu formæ inter ſe differentes, motus erunt alicunde aliquò. Perionius ſic interpretatur. ſi tranſlatio motus eſt, quo hinc illuc itur, & huius genera ſunt volatus, ingreſſus, ſaltatio, & alia generis eiuſdem. quæ verba ab Ariſtotelis ſententia plurimùm diſtant.

26 Saltus] ἅλσις. Perionius, ſaltatio. aliud eſt ſalire, aliud ſaltare. nemo ferè (inquit M. Tull.) ſaltat ſobrius. aliud igitur ſaltus, aliud ſaltatio. neque verò nomen ſaltus nobis fugiendum eſt. eo enim vtitur M. Tull. in Catone, nec enim excurſione, aut ſaltu, nec eminus haſtis, nec comminus gladiis vteretur.

27 Motum informat] εἰδοποιόν. id eſt formarum efficiens, & quodam modo parens: quod perinde eſt ac ſi diceret, puncta vnde, & quò loci ſit mutatio, motionis formas efficere differentes.

28 Perſpicuum igitur eſt &c.] ſic Ariſtote. δῆλον οὖν ὡς ἕτεραί τε εἶεν ἀλλήλων, καὶ τῶν ὅλων τι καὶ τελείων ἡ ἡδονή. Perionius minus attentè, minusque conſideratè ita interpretatur. Ita perſpicuum eſt & inter ſe ſpecie differre voluptates, &c. Hìc non colligit è ſuperioribus Ariſtoteles inter ſe differre ſpecie voluptates, ſed motum à voluptate eo differre, quòd nihil uetet, quò minus motus ſit imperfectus:

vo

voluptas autem ſit quiddam totum, & integrum: atque ita explicat D.Thom.

29 Neque horum quicquam vel motus] ſic habent omnes libri vulgati Pariſienſ. Ven. Florent. *ὐδὲ τούτων ὐδὲν κίνησις, οὐδὲ γένεσις.* quam lectionem cùm reiicere veritus ſim, tùm putaui legendum deinceps, *Οὐδὲ δὴ ἡδονὴ*, quẽadmodum legit & Argyropylus, vt mox dicemus. Huius autẽ vulgatæ ſcripturæ hæc ſentẽtia eſt, neq; aſpectũ, neq; pũctũ, neq; monada, ſeu (ſi dicere liceat) vnitatem, eſſe motum aut ortum. Ergo neque voluptatem eſſe motum, quod alii dicebant. neque me commouit quorundam librorum manu ſcriptorum auctoritas, in quibus ita ſcriptum eſt, *οὐ δὲ τούτων ὐδενὸς κίνησις.* quanuis enim hæc ſint veriſſima, tamen cùm paulo antè dixerit aſpectus, puncti, monadis non eſſe motionem, ineptam repetitionem futuram exiſtimaui, ſi ſtatim ſubiungeret, neque cuiuſquam horum motio aut ortus eſt. Prætereà tota hæc diſputatio pertinet ad eos refellendos, qui dicebant voluptatem eſſe motum. colligit igitur hîc à ſimilibus illis aſpectu, puncto, monade, quæ cum ſint quædam tota, non ſunt motus, neque voluptatem eſſe motum. docuit autem primùm neque aſpectus, neque puncti, neque monadis eſſe motionem: deinde addit, neque horum quicquam eſſe motionem. Quòd ſi nihil horum eſt motio, ergo neque voluptas motio eſt. eo enim his ſimilis voluptas eſt, quòd quiddam totum & perfectum eſt.

30 Ergo neque voluptas] ſic arbitror hoc loco legẽdum *οὐ δὲ δὴ ἡδονὴ*, quantunuis reclament licet omnes codices. Ac meam quidem ſententiam adiuuat Argyropylus, præter ipſam rationem, quæ multo pluris eſt.

31 In vnoquoque igitur] ſcio in omnibus libris impreſſis legi *καθ᾽ ἕκαστον δὲ*, ſed arbitror *δὴ* eſſe reponendum. Vetus interpres neutrum habuit neque *δὲ*, neque *δὴ*. pendet autem ſententia ab illo loco, Iam verò cùm ſenſus omnis &cet.

32 Atque vt quæque voluptas eſt perfectiſſima, ita eſt iucundiſſima.] *ἡδίστη δ᾽ ἡ τελειοτάτη.* Perionius præpoſterè hæc interpretatur. Vt autem quæque actio plurimùm habet

bet iucunditatis,ita eſt perfectiſſima. articulus enim præpoſitus voci *τελειοτάτη*, poſtulat vt *τελειοτάτη* antecedat ſi non ordine, at ſententia.

33 Sed non ita perficit ut & res ſenſui ſubiecta.] ſic omnes habent codices ſine ulla uarietate, *οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἥτε ἡδονὴ τελειοῖ, καὶ τὸ αἰσθητόν τε καὶ ἡ αἴσθησις.* quorum verborum hæc ſententia eſt, aliter functionem ſenſus perficit uoluptas,aliter & d qđ ſenſu percipitur, & ſenſûs. Nam voluptas functionem ſenſus perficit, vel vt forma,vel vt finis,quemadmodum infrà docebit Ariſtoteles. id autem quod ſenſu percipitur, & ſenſus, vt mouentia quædam perficiunt. Atque hoc quidem modo D. Thomas explicat. ſed Euſtratius & aliter explicat, & ſcripturam immutat. ſic enim legendum cenſet. *οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἥτε ἡδονὴ τελειοῖ, καὶ τὸ αἰσθητὸν τὴν αἴσθησιν.* putat enim mendum eſſe in nomine *αἴσθησις*, ſuſpicaturque in eius locum ſcribendum eſſe *τὴν αἴσθησιν*, vt ſit hæc ſententia Ariſtotelis. non eodem autem modo ſenſus functionem perficit voluptas, quo modo id quod ſub ſenſum cadit, ſenſum: ſed id quidem quod ſub ſenſum cadit, ſenſum perficere dicitur,tanquàm eum à poteſtate ad functionem muneris deducens: uoluptas autem muneris functionem perficere dicitur tanquam eā amplificās,maiorēq; efficiens. Ea.n.quæ ex terræ dimēſione percipitur, voluptas, terræ dimetiendæ ſtudiū & functionē exacuit, promouet, amplificat: itemq; ea quam ex fidium cantu capit fidicē,auget fidicinis fidibus canentis functionem. Quemadmodum igitur medicus & bona valetudo non eodem modo benè valendi ſunt cauſæ: ſed medicus quidem extra eum eſt qui conualuit, & homine benè valente prior eſt: ægrotante enim homine erat medicus is qui morbū depulſurus eſt: ille aūt nō erat valēs. at bona valetudo & eſt in eo qui benè valet vel vt habitus, vel vt forma (bona valetudo enim hominē benè valentē informat, cum à bona valetudine benè valens & fit & appelletur) & vno eodemq; tempore eſt, quo is qui benè valet: ſic id quod ſub ſenſum cadit,longè aliter ſenſum, eiuſque vſum & functionē perficit,quàm voluptas. Nam id quod ſenſu percipitur, ſenſum

eò

eò perficit, quòd ſenſum ipſum quodammodo laceſſit, atq; ad munus fungendum prouocat, functionéq; ex eo in quo poteſtas ineſt, elicit: voluptas autem propterea quòd functionem muneris amplificat, vt diximus.

34 Veluti eos qui florent, ætate] *τοὺς ἀκμαίους* uel *τοὺς ἀκμάζοντας* ſoleo ita latinè reddere ætate florentes. nam & paſtores illi Virgiliani Ambo florentes ætatibus, mihi videntur græco nomine *ἀκμάζοντες* dici poſſe. & flos ætatis apud Lucretium & Terentium, *ἀκμὴ* à Græcis nominatur.

35 Principio enim incumbit in ea cogitatio] ſecutus ſum hoc loco librorum Florentinorum, Pariſienſium, & ceterorum emendatiorum ſcripturam: quæ ſic habet, *τὸ μὲν γὰρ πρῶτον παρακέκλιται ἡ διάνοια*, quanuis mihi non diſpliceat altera lectio, quam ſecutus eſt Arpyropylus, *παρακέκληται.* ideſt excitata, & prouocata quodammodo cogitatio eſt.

46 At differunt ſpecie functiones cogitat.] *διαφέρουσι δὲ αἱ τῆς διανοίας.* &c. in quibuſdã codicib. corruptis reperitur hæc ſententia bis ſcripta, ſemel hîc ſuo loco: iterum ſuprà alieno, ſtatim poſt illa verba *οἰόμεθα τελειοῦσθαι.* atque eos codices ſecutus eſt Perion. neque emendauit Gruchius.

37 Cum inepti & mali ſunt equorum agitatores, aut hiſtriones] *ὅταν φαῦλοι ἀγωνιζόμενοι ὦσι.* ſecutus ſum hoc loco Euſtrat. qui hæc verba ſic explicat. *Δηλοῖ τὸ συμβαῖνον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις. οὐδεὶς γὰρ τῶν θεατῶν, ἀγωνιζομένων τῶν ἡνιόχων ἄλλοτι πράττει, ἀλλ᾽ ἐκείνοις πάνυ προσέχουσι διὰ τὸ σφόδρα χαίρειν τοῖς τῶν ἵππων δρόμοις, καὶ ταῖς τῶν ἡνιόχων ἐνεργείαις.* i. declarat id quod accidit in ludis circenſibus. nemo enim ſpectatorum certantibus aurigis aliud agit, immò verò eos ſpectant attentiſſimè propterea, quòd equorum curſibus, & aurigarum functionibus delectantur, cum boni ſunt aurigæ. ſic igitur Euſtratius. ſed *ἀγωνισαὶ* intelligi etiam poſſunt hiſtriones, quod ex libro Ariſtote. *περὶ ποιητικῆς*, cuiuis cognoſcere licet. *ἢ ἐκπίπτουσιν, ἢ κακῶς ἀγωνίζονται.* ibid. *εἰ γὰρ ἔδει ἑκατὸν τραγῳδίας ἀγωνίζεσθαι, πρὸς κλεψύδρας ἂν ἠγωνίζοντο.*

38

38 Euenit igitur muneris functionibus] ſic Ariſtoteles συμβαίνει δὴ περὶ τὰς ἐνεργείας τοὐναντίον· ἀπὸ τῶν οἰκείων ἡδονῶν τε καὶ λυπῶν. quorum verborum ſententia eſt aperta. At Perionius ſic.nec emendat Gruchius. Contingit ergo circa actiones rem ſe habere contrà in voluptatibus iis, quæ naturæ accommodatæ ſunt, atque doloribus: quæ oratio,neque ſatis emendata eſt, neque ſententiam Ariſtotelis declarat.

39 Non tamen videtur voluptas] οὐ μὴν ἔοικέ γε ἡ ἡδονὴ διάνοια εἶναι, οὐδ' ἡ αἴσθησις. quibus verbis hoc ſignificatur ſi verum de verbo exprimas, non videtur tamen voluptas cogitatio,aut ſenſus eſſe. ſed cùm græci & latini Philoſophi,qui in hos libros ſcripſerunt commentarios, hæc verba ſic accipiant, διάνοια & αἴσθησις, quaſi dixerit διανοίας ἐνέργεια, αἰσθήσεως ἐνέργεια: ego quoque mihi faciendum eſſe putaui, ut hunc locum alioqui obſcurum futurum, hoc modo interpretando luculentum redderem.

40 Quòd ſi hoc rectè dicitur, vt uidetur,& ſi uniuſcuiuſque rei &c.] ſecutus ſum eam ſcripturam, quæ reperitur in omnibus emendatis codicibus, Florentinis, Venetis,Pariſienſibus. eſt autem huiuſmodi. Εἰ δὲ τοῦτο καλῶς λέγεται, καθάπερ δοκεῖ, καί ἐστιν ἑκάστου μέτρον ἡ ἀρετὴ, καὶ ὁ ἀγαθὸς ᾗ τοιοῦτος: καὶ ἡδοναὶ εἶεν ἂν αἱ τούτῳ φαινόμεναι. mendoſa ſunt autem exemplaria quædam Germanica,in quibus legitur καί ἐστι καὶ ἑκάστου, tollendaq; eſt copulatio καὶ, quæ eſt ante vocem ἑκάστου: eaque verba καὶ ἐστι, ſic ſunt accipienda quaſi dixerit καὶ εἰ ἐστι. ideſt & ſi eſt.repetitur enim particula εἰ, è ſuperioribus.Quarè mendosè vertit totum hunc locum Perionius hoc modo.Quòd ſi præclarè ac verè dicitur, profectò vt videtur, ſic etiam eſt rerum omnium menſura virtus & ſapiens quia talis eſt. Putauit ſententiam hìc concludi & finiri,cùm pendeat vſque ad illa verba τὰ δὲ τούτῳ. Eſt autem legendum hoc loco in meis latinis. Quòd ſi hoc rectè dicitur, ut uidetur: non ut librarius impreſſit,dici videtur.

41 Multę enim exoriuntur hominum peſtes &c.]ſic Ariſto. πολλαὶ γὰρ καὶ φθοραὶ καὶ λῦμαι ἀνθρώπων γίνονται. Perionius

e

rionius ſic. Multæ enim ſunt hominum deprauatæ, infe-ctæque affectiones. non dicit Ariſtoteles multas eſſe hominum deprauatas affectiones, ſed multas exiſtere hominum corruptelas. ideſt multa quotidie exoriri, quæ ingenium hominum corrumpant, ac deprauent.

42 Sed earum, quæ uidentur eſſe &c.] Perionius hunc locum (diſſimulare non poſſum) ualde inconſiderate interpretatur. Verba Ariſtotelis hæc ſunt τῶν δ᾽ ἐπιεικῶν δοκουσῶν εἶναι ποίαν, ἢ τίνα φατέον τοῦ ἀνθρώπου εἶναι; Primùm horum verborum vnus ſpiritus, una continuatio eſt. ille autem diſcerpſit, hoc modo, bonorum autem ſunt veræ voluptates. ſed quæ tandem, qualis'ue hominis propria voluptas habenda eſt? Deinde in nomine ἐπιεικῶν, ſubintelligitur ἡδονῶν: Perionius uult ſubintelligi uirorum. Poſtremò δοκουσῶν, participium eſt patrii caſus, numeri multitudinis à rectò δοκοῦσαι, quod cohæret cum nomine ἐπιεικῶν: quæ cum ſint puerilia, & in promptu poſita, non perſequerer, niſi Perionius in eis lapſus eſſet.

43 Siue igitur una, ſiue plures &c.] ſic Ariſtote. εἴτ᾽ οὖν μία ἐστὶν, εἴτε πλείους, αἱ τοῦ τελείου καὶ μακαρίου ἀνδρὸς. Subintelligendum nomen ἐνέργειαι, quod antecedit, non ἡδοναὶ, vt interpretatur Perionius. Toties dixit Ariſtoteles vnamquanque actionem, ſeu functionem muneris à ſua voluptate perfici. nunc hoc dicit. ſiue una, ſiue plures ſint viri boni actiones, eas, quæ has actiones perficiunt, voluptates, propriè dicendas eſſe hominis uoluptates.

44 Et verò ex ludis ij qui remiſſionis] Ariſtot. καὶ τῶν παιδιῶν αἱ ἡδεῖαι. Perion. atque etiam eæ, quæ pueris gratæ ſunt & iucundæ, oblectationes. παιδιὰ græcis, ludus eſt latinis. Nemo græcè doctus contrà dicet. at Perionius unus aliter ſentit.

45 At quę ex virtutæ vita degitur &c.] οὗτος δὲ σπουδαῖος, Perion. quoniam ea demum ſapiens videtur. σπουδαῖος, hoc loco non ſapientem, ſed grauem, ſeuerum, ac ſerijs rebus deditum ſignificat. itaque βίος σπουδαῖος ab Ariſtotele appellatur vita ſeuera, & in rebus ſerijs poſita: & σπουδάζειν interdum valet res ſerias agere & σπουδαῖα τοῖς γελοίοις, ideſt ri-

diculis

diculis ſtatim opponit.

46 Niſi & uitam cum uirtute cõiunctam] εἰ μὴ καὶ βίε. Euſtratius & Argyropylus ſubintelligunt σπεδαίε. alii εὐδαίμονος. ego illos ſecutus ſum.

47 Videtur itaque ſapientia] δοκεῖ γοῦν ἡ σοφία. ſecutus ſum libros Venetos, Florentinos, & ceteros ferè omnes: in quibus ita ſcriptũ eſt. vetus interpres & Argyropylus legerunt ἡ φιλοσοφία. quod ſi quis probet, non repugno.

48 Fortaſſe vero melius] ſic omnes libri habent βέλτιον δ᾽ ἴσως συνεργοὺς ἔχων. vetus interpres videtur legiſſe συνεργοὺς ἔχειν. quam ſcripturam ſi quis probet, ſic erit interpretanda: fortaſſe verò præſtiterit adiutores habere.

49 Nemo enim bellum gerere] ratio eſt ſuperiorum illorum. Verſamur enim in rebus gerẽdis &c. quædam interpoſuit ſuo more.

50 Si cum amicis inimicitias ſuſcipiat] εἰ τὺς φίλυς πολεμίυς ποιοῖτο. Perionius, ſi quis amicos ad bellum inſtruat. rectè ſic interpretatus eſſet Perionius, ſi πολεμικὺς ſcriptũ eſſet. niſi fortè putat πολεμικὺς, & πολεμίυς, idem eſſe. quod longe aliter eſt. hanc ſententiam ſic Homer. ἰλ. ιῶτ.

Αφρήτωρ, ἀθέμιςος, ἀνέςιός ἐςιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμυ ἔραται ἐπιδημίυ, ὀκρυόεντος.

Et M. Tull. Philip. 13. in princip. Nã nec priuatos focos, nec publicas leges uidetur, nec libertatis iura cara habere, quem diſcordiæ, quẽ cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat: eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto.

51 A` facultate ciuili diuerſam ac] ſic habent om. lib. impreſſi. neque diſſentiunt manuſcripti: ἑτέραν ὖσαν τῆς πολιτικῆς, &c. quorum verborum hanc ſententiam eſſe puto. Reip. quoque adminiſtratio negotioſa eſt. nam præter reip. gerendæ curam, & operam, is qui remp. adminiſtrat, ſibi, ac ciuibus potentiam, & honores, aut beatitudinem comparat: quæ quidem beatitudo à ratione reip. gerẽdæ differt, eamq; beatitudinem quærimus, vt ab illa plurimum differentem. Euſtratius uidetur vim afferre verbis Ariſtotelis, & in locum nominis πολιτικῆς ſubſtituere velle θεωρητικῆς.

 itaque

Itaque ſic hunc locum explicat. & talis beatitudo ſeu felicitas alia eſt ab ea beatitudine, quæ in contemplatione poſita eſt, quam beatitudinem in contemplatione poſitam nunc quærimus. ego peruulgatam Ariſtotelis lectionem ſecutus, & interpretatus ſum, eiusque ſententiam eam, quæ mihi verbis Ariſtotelis maximè videbatur conuenire, paulò ante in medio propoſui.

53 Hæ autem ſunt negotioſæ] *αὗται δ' ἄσχολοι*. Perio. hæc autem officia ſunt actuoſa. actuoſi dicuntur ij, qui ad agendum apti ſunt, qui in actione verſantur. & virtus actuoſa à M. Tull. appellatur, quòd aliquid agat: res autem ipſę non dicuntur actuoſæ, ſed negotioſæ potius.

53 Quod decorum eſt cuique &ce.] *τὸ πρέπον ἑκάστῳ διατηροῦντες*. Perio. ſuum cuique tribuimus pro dignitate. Multa peccata in paucis verbis. *διατηρεῖν* eſt conſeruare, non tribuere. niſi forte dicet ſe legiſſe *διαιροῦντες*, quæ lectio reperitur in quibuſdam libris Germanicis. ſed mendosè. Prætereà *τὸ πρέπον* non rectè interpretatur pro dignitate.

54 Et temperanti, auctoritate & licentia] *καὶ τῷ σώφρονι ἐξουσίας*. Plato lib. primo de rep. præclarè ac penè dicam diuinè, vt alia, oſtendit iuſtitiam & temperantiam in hominibus diſſimili ac diſpari fortuna ſpectari, atque explorari. Nam vt ſi quis diues, & omnibus rebus ad victum cultumq; neceſſariis affluens neminem fraudet, nemini furetur: non continuò iuſtus habendus ſit: ſed is potius, qui in ſumma tenuitate, & mendicitate, nihil tale admittat: ſic ſi quis priuatus, & inops ac tenuis vxorem alienam non ſolicitet ad ſtuprum, nec puellis ingenuis labem inferat, non ſit ob eam cauſam temperantiæ laudibus ornandus: ſed is demùm, qui potens, opulentus, & magiſtratum gerens ab vxore alterius oculos & cupiditates ſuas contineat, & refrenet. Quidam viri doctiſſimi putant *ἐξουσίαν*, hoc loco valere facultatem, à quibus diſſentio. eſt enim *ἐξουσία* poteſtas ea quam potentior, aut opulentior aliquis propter opes ſuas, aut magiſtratum adeptus eſt. & ita loquitur ſupra lib. 1. *διὰ πολλοὺς τῶν ἐν ἐξουσίαις ὁμοιοπαθεῖν Σαρδαναπάλῳ*.

55

55 Et humaniter viuat] ſic loquitur M. Tullius in quadam epiſtola. docebo quid ſit humaniter viuere.

56 Iam verò vtrùm dij erunt temperantes] ſcio in omnibus libris impreſſis legi. *εἰ δὲ σώφρονες, τί ἂν εἶεν*: ſed cũ viderem hæc verba non ſatis aptè cohærere cum ijs, quæ antecedunt, *δικαίας, τὰς ἀνδρείους, τὰς ἐλευθερίους,* ſuſpicatus ſum ſub eſſe mendum. auxit ſuſpicionem meam quidam vetus codex manuſcriptus, in quo ita ſcriptum reperi. *αἱ δὲ σώφρονες*. Præthereà vetus interpres aliquantum abeſt ab hac vulgata lectione, videturque legiſſe *ἆρα ἂν εἶεν*: vt hæc fortaſſe ſit integra huius loci ſcriptura. *οἱ δὲ σώφρονες ἆρα ἂν εἶεν, ἢ φορτικὸς*. &c. quorũ verborum ſententiam expreſſi, cum iis, quæ ſentit Ariſtoteles, meo quidem iudicio, valdè conſentaneam. Verba autem, quæ deinceps ſequuntur, an odioſa ac non ferenda &c. quæ cum interrogatione pronuntianda ſunt, affirmationis vim obtinere intelligentur. quod genus Ariſtoteli perquàm vſitatum eſt.

57 An odioſa ac non ferenda laus illa] *ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος*. ſuprà annotaui vocem *φορτικὸν* mihi videri aptè reddi poſſe latinè odioſum, non ferendum. Adr. Turnebus arbitrabatur hoc loco *φορτικὸν ἔπαινον* commodè dici poſſe, laudem ineptam: cuius auctoritatem quanuis plurimi faciam, non ſum tamen ſemper ſecutus, exiſtimans ineptum minus eſſe, quàm *φορτικὸν*.

58 Neq; huius rei iudicium] *οὐδ' ἡ κρίσις*. quibuſdam codicibus mendoſis deſunt hæc *οὐδ' ἡ κρίσις*.

59 Et qui res quàm potuerint honeſtiſſimas, geſſerunt] omnes libri tùm impreſſi, tùm manuſcripti, quos quidem viderim, ſic habent *πεπραγότας δὲ τὰ κάλλιστα ὡς ᾤετο*. Ego verò eos omnes arbitror eſſe corruptos. qua in re non dubito, quin homines eruditi, & perpoliti mihi ſint aſſenſuri. Quis enim ita loqueretur? & qui res, (vt arbitrabatur) honeſtiſſimas geſſerunt. Exiſtimo igitur ita primùm ſcriptum eſſe ab Ariſtotele *πεπραγότας δὲ τὰ κάλλιστα ὡς οἷόν τε*. deinde vel librarios, vel arrogantes aliquos homines(quorum maxima turba eſt) ex *οἷόν τε*, feciſſe *οἴονται*. Poſtremò ſtudioſos, & mediocriter doctos animaduertẽtes verbũ tẽ-

poris præſentis *οἴονται* huic loco non quadrare,& ſuſpicantes ab Ariſt. ſcriptum eſſe *ὡς ᾤετο*, vt ad Solonem referatur, non ad participium *πεπραγότας*, ita correxiſſe. legendum igitur hoc loco cenſeo *ὡς οἷόν τε*. neque puto quenquàm auris purgatæ hominem à me diſsenſurum. M.Antonius Muretus quidem mihi aſſentitur, cuius vnius ſententia & iudicium inſtar eſt multorum. Quemadmodum auté græci dicere ſolent, *ὡς οἷόν τε κάλλιστον*. *ὡς οἷόν τε βέλτιστον*. *ὡς οἷόν τε μέγιστον*: Ita & latinè dicimus, quàm poſſum maxima voce dico,quàm breuiſſimè potui, quàm maxi mè poſſumus, quàm potui maximis itineribus.

60 Quippe qui dixerit mirum ſibi non futurum,ſi multitudini &c.] ſcio Euſtratium ita hunc locum explicare,quaſi ſignificet Ariſto. Anaxagoram dixiſſe,ſibi mirum non futurum, ſi ipſe haberetur à multitudine ineptus quidam & abſurdus. ſic enim ſcribit Euſtratius. *λέγει δ' ὁ Αναξαγόρας μηδὲν εἶναι θαυμαστὸν εἰ τοῖς πολλοῖς ἄτοπος καὶ κακοδαίμων νομίζομαι.* Ideſt non eſt mirum (inquit Anaxagoras) ſi à multitudine abſurdus, & miſer habear. Verùm pluris eſt apud me Ariſtoteles ipſe in libris ad Eudemum,cuius hæc verba ſunt. *Αναξαγόρας μὲν ὁ Κλαζομένιος ἐρωτηθεὶς τίς ὁ εὐδαιμονέστατος, οὐθεὶς εἶπεν ὃν σὺ νομίζεις, ἀλλ' ἄτοπος ἄν τις σοι φανείη*. ideſt Anaxagoras Clazomenius interrogatus quis eſſet beatiſſimus? non is (inquit) quem tu exiſtimas, ſed abſurdus quidam, atque à beatitudine valde alienus videatur. Apparet igitur ex his verbis,non dixiſſe Anaxagoram mirum non futurum, ſi ipſe miſer, minimèque beatus à vulgo habeatur: ſed ſi is qui re vera ſit beatus, non habeatur à uulgo beatus. fateor tamen etiam Euſtratii ſenſum huic loco conuenire.

61 Vis actionum præcipua] *τὸ κύριον*. Perion. in quibus laus verſatur. non probo. *τὸ κύριον* malim interpretari,id quod plurimùm valet, vim præcipuam. &c. vt ſup.

62 Multa quidem & meritò præmia magna ferant]*πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους* &c. verſus eſt Theogn. integer pentameter. interiectum eſt autem aduerbium *δικαίως*. cuius ſententiam non eſt aſſecutus Perionius.quin ne ſuſpica-

tus

tus eſt quidem eſſe verſum. ſic enim interpretatur, magnum illa quidem fructum ferrent, ideſt, vt opinor, afferrent. ἔφερον autem valet hoc loco ἐφέροντο. ideſt conſequerentur, obtinerent, referrent. Præterea non probo quòd μισθὸν fructum interpretatur, cùm mercedem ſignificet. neq; verò eſt, quòd quis mihi vitio uertat, quòd præmia latinè reddiderim. nam & licuit mihi in verſu μισθοὺς præmia dicere, et arbitror etiam in ſoluta oratione præmium pro mercede vſurpari poſſe, non tamen contrà pro eo, quod latini præmium propriè nominant, mercedem, niſi quis vti velit tralatione liberiore, & penè dicam, inuerecunda.

63 Docile ad virtutem reddere] ſcio κατακώχιμον, valere ἁλωτόν, κατεχόμενον, κεκρατημένον, ideſt captum, obnoxium, diuino quodam ſpiritu afflatum. ſed cum lingua latina talem tralationem non ferat, niſi ita verterem, virtutis ſtudio, atque amore diuinitus afflare, ſtudui in Ariſtotelis ſententia exprimenda quàm proximè ad græci nominis notionem alio loquendi genere accedere. Inflammandi igitur verbum, quo vſus ſum, quanuis à ſignificatione nominis græci κατακώχιμος valdè remotum ſit, ab eo tamen, quod ſignificat Ariſtoteles, non valde longè animos abducit. Alterum autem illud, quod priore loco poſui, docile ad virtutem reddere, græco καταχώκιμον ποιῆσαι, ita ſimile eſt, vt idem penè videatur. Euſtratius enim diſertè ait κατακώχιμον, hoc loco valere τὸ ὑπεῖκον καὶ εὐπειθές. ideſt quod cedit, facileque obtemperat: quibus nomen docilis propemodum par eſt. Non eſt porrò omittendum Argyropylũ mihi videri aliter legiſſe, quàm in vulgatis libris ſcriptum reperitur. ſic enim habent omnes libri typis excuſi, cum quibus conſentiunt manuſcripti, quos quidem viderim, ἦθος τε εὐγενὲς καὶ ὡς ἀληθῶς φιλόκαλον, ποιῆσαι ἂν κατακώχιμον ἐκ τῆς ἀρετῆς. quorum verborum ea ſententia eſt, quam expreſſimus. Ille autem ſic videtur legiſſe ἦθος τε εὐγενὲς καὶ ὡς ἀληθῶς φιλόκαλον, πεῖσαι ἂν κατακώχιμον ἐκ τῆς ἀγωγῆς. ideſt ingenioque generoſo, verèque honeſti ſtudioſo bona educatione diuinitus afflato fidem facere poſſe. cuius lectionis veſtigia nuſquam alibi reperi.

64 Præclareque fortaſſe nobis cum agatur.] ἀγαπητὸν δ' ἴσως ἐστιν. ἀγαπητόν ἐστι, latinè dicere ſolemus, benè aut præclarè nobiſcum agitur, magna diis habenda eſt gratia. Perio. ſed contenti eſſe debemus. non probo.

65 Sed oporteat animum auditoris.&c.] ἀλλὰ δεῖ ἢ προδιειργάσθαι τοῖς ἔθεσι τὴν τοῦ ἀκροατοῦ ψυχὴν. Perionius hæc verba, τὴν τοῦ ἀκροατοῦ ψυχὴν, interpretatur. impotentis animum, duorum uocabulorum ſimilitudine ἀκροάτης & ἀκρατὴς deceptus. quorum alterum auditorem ſignificat, alterum incontinentem ſeu impotentem. neque emendauit Gruchius.

66 Quonam modo oratione de ſententia ſua demouere poſſis?] Varia eſt huius loci lectio ita tamen, vt quomodocunque legas, eadem ſit ſententia. libri Veneti, Florentini, & Pariſienſes, quos ſecutus ſum, ſic habent. πῶς οἷόν τε μεταπεῖσαι. alii πῶς οἷόν τε μεταπεῖσαι. ſubintellige λόγος: alii quos ſecutus eſt vetus interpres. πῶς οἷόν τε μεταπείθεσθαι.

67 Perinde quaſi viri boni in primis conſuetudine] ſecutus ſum ſcripturam omnium librorū impreſſorum, quos quidem viderim. quæ talis eſt. ὡς ὑπακουσομένων τῶν ἐπιεικῶν τοῖς ἔθεσι προηγουμένως, quãuis eã ſuſpicer eẽ corruptã. ſuſpicionem meam adiuuat vetus interpres, qui videtur legiſſe προηγουμένων, proculdubio mendosè. ne igitur longum faciam, puto omnino legendum προηγμένων. atque hanc meam coniecturam codices nonnulli manuſcripti cõprobant & confirmant. Erit autem ſi ita legamus, hæc ſententia. perinde quaſi viri boni conſuetudine prouecti, ſint obtemperaturi.

68 Cyclopum more vxorem & natos priuata lege gubernans.] κυκλωπικῶς θεμιστεύων παίδων, ἠδ' ἀλόχου. Hom. ὀδυσσ. ι.

69 Ceteris denique inſtitutionibus] καὶ τῶν ἄλλων παιδευμάτων. in quibuſdã codicibus ſcriptũ reperi, καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων. Vtraque lectio æquè probabilis eſt.

70 Suntque ad obtemperandum faciles & propenſi.] καὶ εὐπειθεῖς. nonnulli codices habent εὐπαθεῖς, ſed mendosè.

doſè. quos ſecuti Perion. & Gruch. hunc locum perperam interpretati ſunt.

71 Ita enim, quod ſibì opportunum, atque vtile eſt.] *μᾶλλον γὰρ τοῦ προσφόρου τυγχάνει ἕκαστος.* Perion. omnes enim vtilitatem ſequuntur libentius. ſunt hæc quidem vera, ſed ab Ariſtotelis ſententia valdè diſſident.

73 Quemadmodum & nonnullos ipſos ſibi medicos] *καθάπερ καὶ ἰατροὶ ἔνιοι δοκοῦσιν ἑαυτοῖς ἄριστοι εἶναι.* Perion. ſicuti etiam ſunt quidam medici, qui ſuo iudicio ſunt clariſſimi. longè aliam orationem affingit Ariſtoteli, quàm ipſe ſentiat Ariſtoteles. non enim di cit quoſdam medicos ſua opinione, ſuo'ue iudicio eſſe optimos, ſed reapſe quoſdā ſibi eſſe medicos optimos, propterea quòd iis rebus obſeruatis, quæ ſibi prodeſſe & quæ obeſſe ſoleant, didicerint, quo potiſſimùm victu, & quibus exercitationibus ſuā valetudinem tueri poſſint.

73 Vt legum ferendarum ſcientia præſtet.] *νομοθετικῷ γενέσθαι.* Perionius. vt ad leges imponendas idoneus eſſe videatur. docuimus ſuprà leges imponere, eſſe ferre leges perniciosas, aut inutiles. neque hoc loquendi genus huic loco conuenire. neque tamen hæc ſunt à Gruchio emendata.

74 Non enim cuiuſlibet hominis eſt quenuis, & eum qui &c.] *ὅντινα γὰρ οὖν καὶ τὸν προτεθέντα διαθεῖναι καλῶς οὐκ ἔστι τοῦ τυχόντος.* Perion. & Gruchius hæc verba *ὅντινα καὶ τὸν προτεθέντα* referunt ad *νόμον*, non rectè. ſic enim illi, Neque enim cuiuſuis eſt noſſe quas leges ponere oporteat, & quomodo rectè diſponendæ, quas ponere velit. quam quidem interpretationem ego refellerem, niſi græci ſermonis vſus, & proprietas refellerent. Quis enim græcorum ita vnquam locutus eſt *προτιθέναι νόμον*, pro legem ponere aut ferre? præterea his verbis, *ὅντινα οὖν*, nullo modo ea ſententia, quam illi expreſſerunt, ſubiici poteſt. Poſtremò Argyropylus, & Aretinus, & ceteri omnes verba illa *ὅντινα*, & *τὸν προτεθέντα*, de homine qui ſit inſtituendus, accipiunt. Quin D. Thomas tametſi corrupta interpretatione vſus ſit, eam tamen ſententiam, quam ego expreſſi, ſequitur, & explicat.

Errata


Errata ſic corrigenda.

Pagina	verſus	
3	21	eruditi
4	12	debeat,
5	17	vtiliter
7	4	encyclia
eadem	13	bonorum ſunt fines
11	7	eo quod
12	10	quo &c. eo
14	13	Eodemq; modo
20	13	chamæleontem
21	30	fortunæ
25	4	accommodata
ead.	13	atque eo quidem &c quo
28	1	hic verſus duo præpoſterè poſiti ſunt.
ead.	10	quod parum
35	5	temperatæ
36	12	propter has
38	9	dicam)
4	11	per inſcientiam) hic omiſſus eſt index numerus 2.
50	2	horum
eadem	29	dicatur
51	28	ſphæræ hic omiſſus num. 11.
52	5	. Ea autem
56	1	poſſunt. Neque
63	29	quæ ſint, & qualibus
65	8	qui in bello &c. decernuntur.
eadem	24	afferunt.
73	29	nec ceruo viſo) hic omiſſus num. 63
77	29	Nam et pueri) hic omiſſus num. 75
84	16	propenſiores
85	3	alii quidem tum
eadem	16	& quibus exiguum
86	9	μεγαλοπρέπειαν
87	25	operis, quod
97	7	remotæ
99	15	ἀκρόχολοι
100	6	accommodati ſunt. Sed
118	15	Itaq; vocant eos &c.) n.25 omiſſus
125	24	vſq; eò dum parui) nu.49 omiſſus
134	18	abſurdum videtur,

135	4	fieri poteſt :
139	14	partium quoque animi eam , quæ
140	29	geſta. Appetitio. 10. aũt vltimi eſt. Cõ ſilium &c.
156	28	careat : ſic ſe
158	30	illum haud
159	19	tolerantia, ſiue
160	25	, omninò rationem eorum
166	17	non eſt vniuerſus
173	14	præditæ
176	27	Hæc enim à conſilio auerſa eſt : Illa
183	9	quæ ab his
188	20	ſed ineſt in ea
204	9	Videntur autem
208	1	autem reip.
247	15	expletio, etiam
255	15	eaſdem eſſe probab.
eadem	24	Quòd ſi hoc rectè dicitur, vt videtur,
268	23	ab omnibus

Errata in annotat.

273	22	incuria , ſeu quæ
288	29	: ἢ ὅτι
316	33	etiam ſi quis
323	22	παρ' αὐτὸ
351	6	eam
385	24	τῶν δὴ
397	7	bonos eſſe : bonum eſſe
398	14	κατὰ ποσὸν, & ita verſ. 19.
401	23	qui vtuntur, hæc
407	3	ἄρκιος
416	38	ἢ δ' ἴσον δὲ τὸ κατὰ
427	32	perfruens


VIN
CENT